1022
Catul
Tib

27958

Scarce
Only 5
in World Cat.

CAJUS VALERIUS
CATULLUS
IN INTEGRUM RESTITUTUS

Ex Manuſcripto nuper Romæ reperto, & ex Gallicano, Patavino, Mediolanenſi, Romano, Zanchi, Maffei, Scaligeri, Achillis, & Voſſii, & aliorum.

CRITICE

JOANNIS FRANCISCI CORRADINI

DE ALLIO

In interpretes veteres, recentioreſque, grammaticos, cronologos, etymologos, lexicographos

CUM VITA POETÆ NONDUM EDITA.

VENETIIS
1738.
SUPERIORUM VENIA.

PRINCIPI SERENISSIMO

CAROLO ALBERTO

ELECTORI AC DUCI BAVARIÆ &c.

Catullum poetarum principem, atque deum, quod mihi felix, fauſtum, fortunatumque ſit, nuper ſtigmatiam alterum, quem vidiſti, confoſſum quodammodo, ac ſemimortuum, ab audaciſſima manu graſſatorum extortum, alacrem, & juris ſui dono, dedicoque tibi, ORNATISSIME PRINCEPS, *non jam Propertii, ac Tibulli ſociolum,*

quem fecerunt iniqui rerum æſtimatores, tanquam cum albis aquilam columbis, ſed unum, & unicum legiſlatorem, atque magiſtrum. Quis enim eſt tam latinus præter te Plaute, teque Terenti? quis tam facetus, tam eruditus, quem cum Catullo comparem? Cornelius certe Nepos ita amicum magnifecit, ut L. Julio Calidio elegantiſſimo poetæ præpoſuerit, Martialis vero, qui lepidiſſimus habebatur, tamen Catullo primas deferendas putavit, quem non ipſe ſolum judicabat patrem leporum, ac facetiarum, ſed etiam Ovidius & Au. Gellius, & antiquiores, præcipue noſtri Scaliger, & Muretus, omiſſis aliis, Horatio, Tibullo, Propertio, Virgilioque, ſi plura heroica ſcripſiſſet, antepoſuerunt. Profecto ſtatim atque literarum ſaporem ſentire cœpi, tot ſuavitates, & condimenta, tantum ſalis, ac ſucci in Catullo uno tanquam in aliquo exquiſito convivio percepi, ut illum mihi primum apponendum putarim. Ac quanto melior jampridem, & lautior fuiſſet, ſi negligentia veterum librariorum, & inane quorundam hominum ingenium tanquam harpyiæ teterrimæ non corrupiſſent? Extiterunt quidem ſummi viri, & in re literaria facile primi, qui contagionem depellere conati ſunt, delere maculas, polire, ornare, ſed & ipſi eandem labem, ac peſtem incauti, nolenteſque contraxerunt. Nam Achilles, Scaliger, Voſſius, Faernus, Guarinus, Paſſeratius, trecentique alii, neglecta germana lectione manuſcriptorum, immiſcere ſua, eaque tueri mordicus maluerunt, quam Catullum. Quid dicam autem de farragine cæterorum? o capita lepidiſſima! eruditiones nonnullæ loco, reique ineptæ, lites pretii nullius, præterea ſomnia, adulterina, ut adhuc non Catullum, ſed commentum habuerimus. Neque hæc diſputo, ut virorum eruditiſſimorum nomen offundam, qui jam ſtrenue, feliciterque omnem gloriæ curſum emenſi ſunt, ſed ut mitius interpreteris noſtram in hoc veteri poeta ſanando, exornandoque, qualiſcumque ſit, ſummam induſtriam. Licet enim me in cute noverim puſilli, & parvuli ingenii virum, tamen Catullum parentem alterum ita dilexi, ut potius audaculus coram viris doctiſſimis, quam inofficioſus in poetam viderer. Enim vero animos dedit, vireſque vetuſtiſſimus Codex membranaceus, quem Romæ offendi caſu domi cujuſdam figuli ſqualidum, ac ſine fronte una cum aliquot ineptis libellulis, quibus ille maxime delectabatur, quibuſque conſumere otium dicebat. Hoc hoc ingenioſiſſimis corruptoribus ruborem incuties, hoc præcides ſæpe futiles controverſias, hoc vitioſas, quod caput eſt, cæterorum manuſcriptorum lectiones exſolves, ut nova, ac nondum edita, immo Catullus ipſe revixiſſe videatur. Eruditionis autem habes græcam, latinam, italam non ſane curtam ſupellectilem; criticem quoque ſi non robuſtam, venuſtamque, navam ſaltem, & attentam non in interpretes ſolum noſtros, ſed grammaticos, cronologos, etyma, & vocabularia vulgo Calepinum ſeptem linguarum, vel lexicon latinum, quæ quidem ſi mavis optima, demas neceſſe eſt falſa, & inania multa, totidem addas aurea ex penu Plauti, Terentii, Ciceronis, Livii, ſexcentorum deprompta; totam denique poetæ vitam, quæ nobis ab Euſebio, Crinito, Voſſio, Gyraldo jejune tradebatur, ita auxi, mutavique, ut ne verbum quidem biographorum legas. Quod ſi ſalſius ago, quam æquum eſt, & naribus nonnunquam utor, dent mihi veniam viri docti, præſertim doctiſſimi Vulpius ver Gymnaſii Patavini, Maffejus flos Veronenſium, qui non malitioſe, neque ſuperbe feci, ſed ut dicerem, quod demiſſe ſentirem, & lectorem aliqua ratione delectarem. Si vero peccatum a nobis fuerit vel in eo, in quo cæteri dormierunt, accedant, per me licet, cenſores acerrimi, & Ariſtarchi, dum-

modo

modo Catullum noſtrum juvare poſſimus. Itaque habe tibi MUNIFICENTISSIME PRINCEPS *elegantiſſimum poetarum, quot ſunt, fuerunt, & aliis erunt in annis, quidquid autem hoc commentarioli mei eſt, qualecumque, amplectere magnitudine animi tui, cujus ſane virtutum enumeratio non eſt hujus anguſti loci. Quis enim, omiſſis ceteris ornamentis, prudentiam divinam tuam in rebus præſertim publicis difficillimis auguſtiori imperio digniſſimam non ſolum ornare, ſed dicendo conſequi poteſt? incredibilemne morum ſanctitatem, ſuavitatemque quaſi conſenſu, & conſpiratione quadam piiſſimæ Conjugis tuæ non per Italiam modo totam, & Europam, ſed exteras quoque nationes pervagatam? an nomen vetus, ac ſtirpem brevi orationis ſpatio comprehendere, unde tot Cæſares, Imperatoreſque Populi Romani, tot tantarum gentium, urbium victores prodierunt? Non ſunt, inquam, hæc hujus anguſti loci, multo minus virium mearum, cum ſpatioſiorem campum, & electiſſimum prædicatorem deſiderent. Quæ res, & aliæ multæ, cum me impulerunt timidum ad ſpem optimam, & audaciam tanti Patroni ſeligendi, tum erunt earum partes defendendi officium meum, & voluntatem, qui jam defeſſus opere longo recubo tuto tuæ ſub tegmine fagi.*

Joannes Franciſcus Corradinus de Allio.

CAII VALERII CATULLI

VITA

JOANNE FRANCISCO CORRADINO DE ALLIO

Auctore

1 CAjus Valerius Catullus natus eſt Olympiade 171 fortaſſe C. Cælio,
2 & L. Domitio CoSS in Sirmione peninſula ad lacum Benacum,
3 ex familia nobili quidem, ac quondam divite Valeria; Pauper ta-
4 men erat, & ſane pauperes amicos habebat puta Furium, Aurelium,
Fabullum, Verannium, & alios, nihilominus beneficio nobiliſſimo-
5 rum Romanorum locuples factus eſt. Nam Sirmionem vel in ditione
porro habuit ſua, vel ejus majores olim habuerunt, & phaſelum,
quem de penu in Bithynia ædificavit, & domum Veronæ, & villam,
6 & Fundum Tiburtem; Patrem etiam habuit Cæſaris amicum, &
Fratrem ſæpe comitem Prætorum, quem in Troade mortuum lamen-
7 tatur & ad Hortalum, & ad Manlium ſcribens. Fuit autem facie
honeſta, colore bono, naſo mediocri, ore bellulo, ac dentibus albis,
8 fuit & natura vegeti. Itinera enim maritima ſemel, iterum, ac tertio
confecit, ac tuſſim graviſſimam expulit urtica tantum, & otio ſine
medici opella, ac Venerem maxime exercebat. Erat enim ſubobſce-
9 nus. Nam puellas ſectatus eſt, præcipue Lesbiam amicam; tamen
10 bonus homo videbatur, qui a multis deceptus fuit Silone, Aſinio,
Thallo, Alpheno, Aufilena, Furio, Lesbia, amica Mamurræ, a Con-
tubernalibus, peſſimis hominibus, puellulíſque. In tenera ætate Ro-
mam profectus eſt, ubi ingenio clarere cœpit. Anno enim fere deci-
mo ſexto multa ſcribebat amatoria ad Lesbiam, & alias, anno vero
ætatis fortaſſe viceſimo primo in Bithyniam cum Memmio Prætore na-
vigavit, & ineunte vere ex Bithynia Troadem ivit ad Fratrem tunc
11 comitem neſcio cujus Prætoris ſanum, & incolumem, ex Troade
12 iterum ad Prætorem, quocum tandem rediit Romam, hinc ad Pa-
triam, ex qua, nuncio de morte Fratris accepto, rurſum Troadem
petiit phaſelo ad eundem Fratrem patrio more ſepeliendum, paren-
13 tandumque; Ex Troade iterum ad patriam, hinc Veronam, ubi ja-
14 nuam domus quondam Lesbiæ allocutus eſt, ubique mæſtiſſimus Fra-
15 tris obitu hyemavit. Tandem Verona Romam profectus, ubi facul-
tatibus, & amicis floruit. Amicum enim habuit in primis Manlium,
16 a quo beneficia maxima reportavit, quapropter ejuſdem nuptias ele-
17 gantiſſime cecinit, amicum & Ciceronem habuit, & Calvum Lici-
nium, Cornificium, Verannium, Flavium, Furium, Aurelium, Va-
rum, & alios, præſertim Cornelium Nepotem, cui libellum dedi-
cavit ſuum; inimicos etiam Nonium Strumam, Cominium, Gellium,
Vectium, filium P. Clodii, quem vocat Lesbium, Mamurram, quem
vocat mentulam, & Cæſarem, quocum tamen licet jambis ſæpiſſime
18 lacerato cænavit. Poſtremo ſciendum, nihil aliud compoſuiſſe Catul-
lum præter hunc libellum, quem non mutilum, ſed abſolutum præ
manibus habemus. Non enim *de incantamentis*, non *in Priapum*,
non

non *Pervigilium Veneris*, non *Ver*, non alia, hinc ait merito de ſe *Parva
mei mihi ſunt cordi monumenta laboris*. Cæterum Catullus fuit poeta poe-
tarum nobiliſſimus, latinitate quidem cum Plauto, ac Terentio compa-
randus, facetiarum vero unus, & unicus pater; eruditiſſimus quoque
& in græcis literis verſatiſſimus. Nam præter alia Callimachi elegiam *de
coma Berenices* in latinos verſus feliciter traductam Hortalo miſit, ita ut
19 omnium voto *doctus* appellaretur, de cujus quidem dicendi elegantia,
doctrinaque habentur ampliſſima teſtimonia, Cornelius Nepos, Hora-
tius, Tibullus, Propertius, Ovidius, Juvenalis, Corn. Tacitus, Pa-
terculus, Seneca, Plinius, Martialis, Quintilianus, Svetonius, Apu-
lejus, Euſebius, Auſonius, Macrobius, & A. Gellius, a quo ut poeta
20 elegantiſſimus maximopere laudatur. Mortuus eſt Romæ Olympiade
184 fortaſſe C. Cæſare, & M. Antonio CoSS. annum agens ætatis
21 quinquageſimum primum, quo tempore Virgilius Maro florere cœpe-
rat, de quibus natum eſt illud diſtichon

Tantum parva ſuo debet Verona Catullo,
Quantum magna ſuo Mantua Virgilio.

NOTÆ CRTICÆ

1 *Cajus &c.* Vide carmen ad januam *O dulci jucunda viro &c.*

2 *Olymp.* 171. Quia fatentur omnes docti, Catullum profectum fuiſſe cum Memmio Prætore in Bithyniam L. Lucullo, & M. Cotta CoSS, cum eodem Romam rediiſſe M. Craſſo, & Cn. Pompejo CoSS. Si Euſebium probaremus, qui docet, poetam natum Olymp. 173. Cinna, & Octavio CoSS, inſulſum naſceretur, Catullum petiiſſe Bithyniam anno ætatis decimo quarto, quæ ętas ineptiſſima erat ad onus, quod gerebat Prætore Memmio. Rem enim ejus fortaſſe adminiſtrabat, ut colligo ex illo poetæ loco ad Veranium *Ut mihi, qui meum ſecutus Prætorem, refero datum lucello*. Porro anno decimo ſexto Romæ, Veronæque multa ſcribebat amatoria, ut ipſe teſtatur ibi *Tempore quo primum veſtis mihi tradita pura eſt -- Multa ſatis luſi*. Veſtem enim puram, & candidam induebant anno decimo ſexto, ut omnes docent, niſi forte Euſebii gratia dicamus, poetam in Bithynia res amatorias ſcripſiſſe, quod riſu dignum eſt.

3 *In Sirmione &c.* Vide carmen ad Sirmionem *Peninſularum, Sirmio, Inſularumq. ocelle*, & carmen ad Coloniam verbo *municipem*.

4 *Pauper &c.* Vide carmen ad Fabullum verbo *Saculus*, & ad Manlium verbo *campum*.

5 *In ditione ſua &c.* Nam ait *Salve Sirmio, atque hero gaude*, ita de phaſelo, quem propriis ſumptibus ædificaverat *herum tuliſſe*. Habuiſſe autem domum Veronæ, ex eo tacite colligo ad papyrum *Veronam veniat*, villam autem, & fundum ex carm. *O funde noſter &c. fui in tua ſuburbana Villa*.

6 *Patrem &c.* Fuiſſe amicum Cęſaris teſtatur Svetonius. De fratre autem carm. ad Hort. *Troja rhæteo quem ſubter litore tellus -- Ereptum noſtris obterit ex oculis*, & ad Manl. *heu miſero frater ademte mihi*.

7 *Fuit &c.* Tacite colligo ex eo, quod ait de Furio pallidulo *Hoſpes inaurata pallidior ſtatua*, & d'amica Mamurræ *Iſta turpiculo puella naſo*, & de Gellio, *ſi tria natorum ſuavia repererit*, & de Egnatio *Egnatius quod candidos habet dentes renidet uſquequaque*. Hos enim non irriſiſſet, ſi in eodem vitio & ipſe peccaviſſet.

8 *Fuit &c.* Vide carmen *multas per gentes &c.* Et alterum *O funde noſter* verbo *tuſſis*, & alterum ad Ipſityllam verbo *fututiones*.

9 *Lesbiam &c.* Hanc fuiſſe Veronenſem fœminam impudicam, collige ex carmine *Vivamus mea Lesbia*, quod vide; Clodiam autem dictam, quia fuit meritrix filii P. Clodii, vide carmen *Lesbius eſt pulcher*.

10 *Deceptus &c.* Vide carmina, in quibus agitur de callido quoque deceptore, quem nomino.

11 *Januam &c.* Vide carmen *Jam ver egelidos*.

12 *Romam &c.* Colligo ex carmine *Varus me meus*, quod vide.

13 *Veronam &c.* Ex car. ad Manlium *quare quod ſcribis Veronæ turpe Catullo eſſe*, quod vide, ubi poeta monet Manlium de morte fratris; At cur certiorem non fecit, cum Romæ fuit? igitur collige, tunc temporis nondum fratrem mortuum fuiſſe.

14 *Januam &c.* Vide carmen ad Januam, *o dulci jucunda viro &c.*

15 *Fratris obitu &c.* Vide carmen ad Manlium verſu *ſed totum hoc ſtudium &c.*

16 *Beneficia &c.* Vide Carm. ad Manl. verſu *Non poſſum reticere*, & reliqua.

17 *Ciceronem &c.* De M. Tullio, & aliis amicis, & inimicis, vide loco ſuo.

18 *Nihil aliud &c.* Vide carmen de Acme, & ſeptimio, & alterum *Vivamus mea Lesbia*, & carmen ad Coloniam in fine, & alterum *Gellius eſt tenuis*. De carm. *Ver* nihil novi; Ad illa autem verba Virgilii *per mille coloribus arcum*, ubi Servius *de iride arcum in genere maſculino dixit, Virgilius, Catullus, & alii in fœminino &c.* & ad illa *quo te carmine dicam Retica?* ubi Servius refert, *Virgilium, cum ſciret Ræticum vinum ſummopere laudari a Catone, contra autem vituperari a Catullo*, & ad illa apud

Nonium

Nonium *de meo ligurire libido eſt* reſpondetur, vel de alio Catullo locutos fuiſſe, vel fortaſſe erraviſſe ut accidit Gellio, qui negavit, verbum *noviſſimus* apud Ciceronem legi, immo ipſi Servio, qui primo hendecaſyllabo legebat *arida*, cum omnes libri ſcripti habeant *arido*.

19 *Doctus &c.* Explica eruditum, non laſcivum cum Bertio hic ſane interprete *guercio*, ita Prop. de Calvo Lic. *Docti confeſſa eſt pagina Calvi*.

20 *Mortuus &c.* Vide carmen *Quis poteſt videre* verbo *Ibera*, & alterum *Quid eſt Catulle quid moraris emori*, & carmen *Dianæ ſumus in fide* contra Euſebium, Crinitum, Gyraldum, Voſſium, Scaligerum, Maffejum, & alios.

22 *Virgilius &c.* Cum poeta noſter mortuus eſt, Virgilius annum ætatis viceſimum ſeptimum complevit, ut contra Doctos certiſſime putes, carmen *de paſſere Lesbiæ* a poeta revera miſſum Virgilio fuiſſe, quod Martialis teſtatur apertiſſime

Si forſan tener auſus eſt Catullus
Magno mittere paſſerem Maroni.

Interpretes, Critici, & Eruditi, qui paſſim in Catullo notantur

Aldus
Apulejus
Achilles
Avantius
Bembus
Crinitus
Caſteluitrus
Douſa pater
Douſa filius
Euſebius
Faernus
Friſclinus
Gyraldus
Galeardus
Guyetus
Guarinus
Giffanius
Iſidorus
Lipſius
Meleager
Muretus
Marcilius
Pitiſchius
Paſſeratius
Pontanus
Politianus
Palladius
Parthenius
Quintilianus
Spondanus
Sidonius Apolinaris
Scip. Maffejus
Salmaſius
Silvius
Spondanus
Servius
Scaliger
Scioppius
Terentianus
Turnebus
Voſſius
Urſinus
Victorius
Vulpius, & alii.

C. V. CATULLUS

AD CORNELIUM

Quoi dono lepidum novum libellum
Arido modo pumice expolitum?
Corneli, tibi; nanque tu ſolebas
Meas eſſe aliquid putare nugas
Jam tum, quom auſus es unus italorum
Omne ævum tribus explicare chartis
Doctis, Juppiter, & laborioſis.
Quare habe tibi quicquid hoc libelli eſt,
Qualecunque, quod, o patrona virgo,
Plus uno maneat perenne ſæclo.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Quoi* &c. Verſus eſt hendecaſyllabus, vel phaleucius conſtans ex Spondæo, dactylo, ac tribus trochæis, vel ex Jambo, dactylo, ac tribus trochæis, vel ex trochæo, dactylo, ac tribus trochæis, in quo poeta donat Cornelio libellum ſuum, quem deinde Minervæ commendat. Solebant enim poetæ dedicare ſua. Virg. *Accipe dona meo multum vigilata labore*. Ovid. *Excipe Cæſar Germanice hoc opus.* Mart. *Cujus vis fieri libelle munus*. Neque putes cum Vulpio, libellum donatum Saturnalibus; nam conjecturam invenies nullam, niſi forte utaris libertate decembri, quando majores voluerunt licere, quidvis dicere, vel facere. *Quoi* autem ἀρχαϊκῶς, pro *cui*, quod ſæpe occurret. *Lepidum* vero explico contra omnium opinionem venuſtum, molliculum, ac laſcivum, de quo poeta, *Me ex verſiculis meis putatis -- Quod ſint molliculi, parum pudicum*. τὸ *lepidum* enim ſpectat ad cinædos, meretrices, reſque amatorias, quarum plenus eſt poetæ libellus, & ad quas alludit Petrarca, ibi,

L'un era Ovidio, l'altro era Catullo,
L'altro Properzio, che d'amor cantaro.

Ter. *Dabo illam lepidam, quam ames.* poeta, *Quorum lepidiſſima conjux.* Cic. *Pueri lepidi, qui amare, & amari.* Porro *novum* libelli θέσιν tangit. Nemo enim præter Catullum ſcripſerat novas h. e. lepidas res. Cic. *Neque novi quicquam audieram*. Non enim intelligas nuper abſolutum, ac nondum editum, ut macre putarunt interpretes, qui tamen excuſandi ſunt; In rebus enim, libelloque tam lepido poetæ non niſi inlepida dici poſſunt. Nota tandem verbo *libellum*, injuria Crinitum a Vulpio vellicari, quod, inquam, libellum in capita diviſerit. Quid enim vetat, ut ad clariorem lucem non dividamus?

2 *Arido* &c. In omnibus MSS erat *arido*, quod mutare tantum ſceleris eſt, quantum non genitor nympharum abluit oceanus. Non enim homo unus Servius interpres Virgilii, qui legit ſine MSS *arida*, quod a lexicographis expungendum eſt tanquam fictitium, valere debet contra fidem MSS, & auctoritatem veterum Plauti, Ciceronis, cæterorumque, qui ſemper in maſculino uſurparunt, & votum grammaticorum Atilii Fortunatiani, criticorum Achillis, Palladii, & Parthenii, hiſtoricorum Plinii, qui, ut notavit & alia multa in Catullo, ita & hoc notaviſſet ibi, cum ait, *ſed & hi pumices, qui ſunt in uſu corporum levigandorum, fœminis, & viris, atque, ut ait Catullus, libris.* τὸ *Expolitum* autem translate dictum puto, ut apud Prop. *Exactus tenui pumice verſus eat*. Ovid. *Incipiam lima mordacius uti -- Ut ſub judicio ſingula verba notem*; Unde etiam Itali, Dant. *Limarono, e a perfezione la Filoſofia riduſſero*. Non enim poeta hac φιλαυτίᾳ tenebatur, quam irridet in Sufeno ibi, *ac pumice omnia æquata*, quamque falſius irrideret in noſtris, qui ſolæciſmum committere malunt, quam chartis tranſverſo calamo ſignum. Solebant vero antiqui, libros pumice expolire, plumbo dirigere, & cedrino oleo ungere contra tineas, quos induebant palliolis vel rubeis, vel candidis; in fronte cornua, vel lunulam, quæ mænis dicebatur, deſignabant; titulus cocco, miniove pingebatur; in calce cornua, & coronidem, dein umbilicos, h. e. claviculos oſſeos, ligneoſve ex utraq. parte media pallioli addebant, unde lora, quæ libellos obligabant, ex Catul. Hor. Mart. Auſ. & aliis; qui quidem libri ſi boni, in bibliotheca Apollinis, ſi mali, in culinas mittebantur, quod, magnos oro deos, ne accidat rebus meis. Tot enim boni, quot digiti ſunt in manu, cæteri cacata charta.

3 *Corneli* &c. non eſt dubitandum de Cornelio Nepote Catulli, ac Ciceronis amico, qui ſcripſit vitas Imperatorum, & chronica, de quibus poeta cum ait, *omne ævum*, quæque vitio temporum non pervenerunt ad nos.

Auſ. *Quoi dono lepidum novum libellum,*
Veronenſis ait poeta quondam,
Inventoque dedit ſtatim Nepoti,

quod ad ethymon ſpectat, ajo, Chronica eſse a Κρόνος *Saturnus*, quæ nempe incipiebant a Saturno, ut patet ex Chronicis Nepotis, de quibus L. Firmianus, *Qui res Saturni in Italia geſtas memoriæ prodiderunt græci Diodorus, & Thallus, latini Nepos & Caſſius, & Varro*. Improprie tamen Chronica vocantur quævis hiſtoriæ veteres, licet de Saturno mentionem non faciant. *Namque tu* autem cum dicit, reddit rationem, cur potius Cornelium elegerit; Magni enim faciebat poemata poetæ, quæ eſſe aliquid putabat; etiam Juvenalis loco neſcio quo,

4 *Si vis eſſe aliquis*. Propert. *Eſt aliquid manes*. τὸ *Nugas* vero dictum ταπεινῶς. Optimi enim poetæ ſemper extenuant res ſuas. Virg. *Nec dicere Cinna digna*. Hor. *Et nugis addere pondus*. Ovid. *Scripta vetuſtatem dummodo noſtra ferant*. Martialis tamen fuit cæteris ambitioſior, ibi, *non ſum, Claſſice, tam malus poeta*. Nimirum omnes fallimur, nec eſt quiſquam, quem non in hoc videre Martialem poſſis; quiſque poeta eſt, ſibi pulcher, ſibi alter Petrarca, quem audire negat de ſe loquentem

ibi, *A me par il contrario, e temo ch'ella*
Non abbia a ſchiffo il mio dir troppo umile.

Noto tandem contra Voſſium, quem ſequitur Vulpius, *nugas* non dictas a *nihil agendo*, ſed a *nuces agendo*. Nuces enim ſunt puerilia, quibus nugamur; poeta, *Da nuces pueris iners concubine*. Perſ. *Nucibus facimus quæcumque relictis*.

5 *Quom* ἀρχαϊκῶς pro *quum*, vel *cum*, quod in MSS, & monumentis legitur, quodque ſæpiſſime occurret. τὸ *auſus* autem in optimam partem, ita Hor. *Sapere aude*. *Unus* vero, quia Nepos primus fuit ex Italis, qui chronica, & omne ævum ſcripſerit, deinde tamen fuit Caſſius, & Varro, de quibus Tertull. & L. Firmianus ſupra citatus.

6 *Tribus* &c. h. e. paucis. Tres enim latini dicebant, cum parvum numerum ſignificabant. Plaut. *Pax te tribus verbis volo*. poeta, *Si tria notorum ſuavia repererit*. Cic. *breves tuæ literæ*. *Tribus ne verſiculis, Brute, ad me?* unde & Itali, Dant. *Che la ſcaletta di tre gradi breve*. Ne enim ineptias cum Scaligero, qui libros Chronicorum putat eſſe tres, quos ne de facie quidem novit.

7 *Doctis* &c. Verbo *doctis* laudat eruditionem Cornelii; hinc muſas vocat doctas ibi, *doctis, Ortale, Virginibus*, quia ſuggerunt luce digna; *laborioſis* brevitatem, ac diligentiam. Virg. *Multum vigilata labore*. Au. Priap. *Carmina ſcripſi non nimium laborioſa*. τὸ *Juppiter* autem exclamatio admirantis ex græcis ſumpta, Ariſtoph. ὦ ζεῦ. alias eſt irati, poeta, *Juppiter ut Chalybum omne genus pereat*. alias exultantis, Ter: *Jamne erumpere hoc licet mihi gaudium, pro Juppiter!* modo dolentis, Ter. *o Juppiter, tantam eſſe in animo inſcitiam!* modo timentis, Ter. *O Juppiter, quæ iſthæc turba eſt?* de quibus mone lexicographos. quod ad ethymon, non a *juvo*. Nam dii omnes eſſent Joves; nec a *pater Jovis*, ſed ab ἴος *unus*, & πατὴρ *pater*. Hom: πατὴρ &c. *Pater hominumque, deorumque*. Nomina enim deorum ajo contra ethymologos a græcis nata, quos Romani unos, & unicos imitabantur, non ex Chaldæis, & Arabis, *che mi fanno arrabbiare, e venir caldo*.

8 *Quare* &c. ἐπίλογος eſt; Concludit enim, jubetque, habere ſibi libellum; translatione ſumpta a divortiis, in quibus jubebatur uxor ſibi habere res ſuas. Leges autem *libelli eſt, qualecumque* ex vet. ſcripſ. Scaligero teſte, non *libelli, & qualecumque*, ut dure, & contra MSS legit Vulpius. En Cicero, *Velim quid erit, qualecumque erit, ſcribas*.

9 *Patrona* &c. In MSS omnibus Achille teſte, & etiam in noſtro *Patrona*, & in libro Scaligeri *patruna*, ita ut lectiones vulgatæ tam *patrima*, quam *patroa*, amandandæ ſint in ultimas terras, præterquamquod neutra defendi poteſt. Patrimi enim dicuntur, quibus pater ſuperſtes eſt matre mortua, quod de Minerva dici nequit, quæ matrem nunquam habuit, ut mecum facit etiam Voſſius, contra quem tamen ajo, lectionem *patroa* caram Vulpio pejorem eſſe priore, quæ a lexicographis expungenda eſt tamquam fictitia. Primo enim cogunt Catullum græciſſare nunquam ſolitum, deinde, vel Veſtam, vel Palladem intelligant, neutra in diis patriis annumeratur. Dii enim patrii ſunt Penates, de quibus Dio. Hal. θεοὺς τούτους &c. *Deos hoſce Romani penates vocant, vertentes vero in græcam linguam hoc nomen alii quidem Patroos dicunt, alii autem Genetlios*; qui dii Penates minuti a Plauto vocati, & patellarii, quibus patellas dabant, omnino differunt a diis magnis h. e. majorum gentium, quibus pateras offerebant, quoſque enumerat Ennius

ibi, *Juno, Veſta, Ceres, Diana, Menerva, Venus, Mars,*
Mercurius, Jovi, Neptunus, Volcanus, Apollo.

De Pontano nihil dico, qui legebat *ora per virorum*, quique eſt ab omnibus truſus foras.

Patro-

Venio ad illos, qui, *patrona* cum legant, Dianam intelligunt, vel Lesbiam, vel muſam, quibus repugnat τὸ *patrona*. Nam neque Diana, neque Lesbia, ac vix muſa poetas defendunt. Fateor enim quidem, Dianam eſſe virginem, ſed cum poetis habere rem, omnino nego, ac pernego, quam inſulſiorem opinionem una cum Diana ad lucos, & ſilvas abigas. Multo minus Lesbia, de qua ridiculum puto diſſerere. Neque vero muſam putes; muſæ enim ſcribenda poetis ſuggerunt luce digna, eaque diſſeminant.

Virgilius, *Pandite nunc Helicona Deæ, cantuſq. movete.*

hinc poeta, *Facite hæc charta loquatur anus* h. e, diſſeminate, quæ vobis dicam, ita ut charta hæc loquatur anus.

poeta, *Sed dicam vobis, vos porro dicite multis.*

Neque Horatius obſtat, cum ait, *Dignum laude virum muſa vetat mori*; Ibi enim muſa idem eſt, ac carmina, ut apud Virgilium, *Pollio amat noſtram, quanvis ſit ruſtica, muſam*; vel muſa eſt in cauſa, ne moriatur, quia diſſeminat carmina, in quibus eſt viri laus. Sola Minerva poetas, poetarumque carmina tutatur, ita ut patrona merito vocetur a poeta noſtro, imploreturque a poetis fere omnibus.

Homerus ἄειδε θεὰ &c. *cane dea*. Puto enim contra Spondanum, τὸ *dea* eſſe Minervam, tum quia agitur de bello; nemo enim dictare veriora poterat poetæ, quam Minerva, tum quia, quoties Homerus voluit muſam invocare, eam μοῦσαν appellavit, ut in eadem Iliade, & in Odyſſea ibi, ἔννεπε μοῦσα *dic muſa*.

Ovidius, *Mille dea eſt operum, certe dea carminis illa eſt,*
Si mereor, ſtudiis adſit amica meis.

Dantes, *L'acqua ch'io prendo giammai non ſi ſcorſe,*
Minerva ſpira, e conducemi Apollo,
E nove muſe mi dimoſtran l'Orſe.

hinc Romæ bibliothecis dedicabatur.

Juvenalis, *Hic libros dabit, forulos, mediamque Minervam.*

Ingeniis enim præerat, & liberalibus artibus. quam ingenioſam vocat Ovidius, ibi, *Nominis in dubio cauſa eſt, capitale vocamus*
Ingenium ſolers, ingenioſa dea eſt.

Horatius, *Tu nihil invita dices, facieſque Minerva*, quæ quidem dea κατ᾽ ἐξοχὴν dicitur *virgo*. Virgilius, *Tritonia virgo*: hinc dicta ἀθηλᾶ ab alpha privativa, & θήλεος *lac* contra ethymologos, unde ortum Athenarum nomen, quæ erant in ejus tutela; in qua re mecum facit etiam Scaliger, cum ait, *Quod ſi* patrona *retines, non deterius erit altero; propterea quod in bibliothecis Minerva dicata erat, hinc* Juvenalis *mediam Minervam vocat, quo nomine patronam librorum vocaverit. Itaque non immerito librum plus uno ſæclo vivere optat, quem Minerva in bibliothecas receperit*. Quam quidem optimam lectionem & Achilles, doctioreſque amplectuntur, quamque qui defendere nolit, eum velut judæi cogemus in hanc concedere turbam.

10 *Plus uno* h. e. ſæcula; hinc Cinna allatus ab Achille de Diana Catonis, ut eſt apud Svetonium de Illuſtribus Grammaticis, *Sæcula permaneat noſtri Diana Catonis*. *Perenne* autem cum dicit, optat ſubmiſſe rebus ſuis immortalitatem, alluditque ad poetarum mala carmina, quæ vivere diutius non poſſunt.

ita Horatius allatus ab Achille *Exegi mon·mentum ære perennius.*

& Virgilius, *Dicite, priſca fides facta, ſed fama perennis.*

τὸ *perenne* autem dictum puto quaſi *per annos*, translatione ducta a fluminibus, quæ æternum fluunt, quæque vocantur perennia.

Laur. de Medicis *Uſciron ſempre due perenni fiumi.*

Ovidius, *Amne perenne latens, Anna Perenna vocor*, quæ dea Perenna colebatur a Romanis.
Idem Ovidius, *Idibus eſt Anna feſtum geniale Perennæ.*

AD PASSEREM

Paſſer deliciæ meæ puellæ,
Quicum ludere, quem in ſinu tenere,
Quoi primum digitum dare adpetenti,
Et acris ſolet incitare morſus,
Cum deſiderio meo nitenti
Carum neſcio quid lubet jocari,
Et ſolatiolum ſui doloris.
Credo, ut, quom gravis acquieſcet ardor;
Tecum ludere, ſicut ipſa, poſſem,
Et triſtis animi levare curas!
Tam gratum eſt mihi, quam ferunt puellæ
Pernici aureolum fuiſſe malum,
Quod zonam ſolvit diu ligatam.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Paſſer* &c. Verſus eſt hendecaſyllabus, in quo poeta paſſerem ægrotantem alloquitur, ſolaturque Lesbiam, & ſeſe. Errant enim omnes ad unum interpretes tam in lectione, quam in ſenſu; non enim laudatur paſſer, non poeta excluditur, non res obſcæna intelligitur, ut clarius patebit in altero carmine, ubi verus, ac vivus paſſer mortuus eſt; at certe miſellus ægrotavit ante: quo autem morbo, & quando? hic, & nunc, ubi eum poeta blande appellat, cum ait *deliciæ*, enumeratque præteritos ejus luſus, ut ſolent pater, materque ad febricitantes filiolos.

2 *Quicum* ἀρχαϊκῶς pro *quocum*. In *ſinu* autem tenebat, quia maxime amabat, hinc græci ὄφιν ἐν τῷ κόλπῳ θάλπειν, *anguem in ſinu fovere*. Hor. *in ſinu ferens deos*.

3 *Quoi* &c. in uno MSS erat *qui* fortaſſe *quoi* ut in aliis, pro *cui*. τὸ *primum* autem explicant ſummum digiti. ita Cic. *primis labris guſtaſſe*. puto tamen eſſe indicem, quem nimirum aviculis in roſtellum damus. Index enim prior, & melior agit in rebus omnibus.

4 *Acris* pro *acreis* vel *acres* ἀρχαϊκῶς, ita infra *triſtis* pro *triſtes*, quæ ſæpiſſime occurrent ſimilia.

5 *Cum deſid.* &c. Solatur Lesbiam, quæ afflicta erat paſseris morbo, quamque vocat *deſiderium ſuum*. Hor. *o deſiderium, & dulce decus meum*. Cic. *meum deſiderium mea lux*. leges autem *cum*, non *quum*, pro *quoniam*, ut mallebat Scaliger, qui hic MSS ſuſque, deque. Ex eo autem *nitenti* colligo, Lesbiam fuiſſe adhuc fortaſſe Virginem, præſertim cum infra utatur poeta exemplo Atalantæ Virginis, vel ſaltem nuper virginitatem depoſuiſſe, vel certe bellam fuiſſe ſine fuco, & arte, quæ duo ita ſunt cara fœminis noſtris, ut potius oculo contentæ ſint uno, quam non tingi, & illini. Nitere enim proprium eſt eorum, quæ natura fiunt. Hor. *Ludentem nitidis Virginibus*. alibi, *Purior nitet lapillis*. rurſum, *Soles melius nitent*; alio loco, *Luna rubens nitet vultu*. Dant. *per l'acque nitide, e tranquille*.

6 *Carum* eſt carmen, quod præ manibus habemus, vel aliquid ſimile dandum, legendumque puellæ, ex quo ſolatium acciperet. Lesbia enim erat docta, cui carmina cariſſima, ut porro annales Voluſii igne dignos judicaverit.

7 *Et ſolat.* &c. in omnibus MSS erat *Et ſolatiolum ſui doloris*, ut maxime mirer, Vulpium mutaſſe *&*, in *ut*, ſecutum nonnullos inſulſiores veterum, qui, cum ſenſum non aſſequuntur, MSS pili faciunt. Cupit igitur poeta jocari cum Lesbia carmine aliquo jocoſo, ac lepido, quod eſſet eidem & res cara, & ſolatium, hinc belle *carum quid & ſolatiolum*.

8 *Credo* &c. Vetus lib. ſcript. lectio, Scaligero teſte, habet, *Credo, ut, quom gravis acquieſcet ardor*; quam lectionem ab aliis ſpretam ego deoſculor. In hoc enim verſiculo latet divina ἀποσιώπησις, qua tacetur, quod turpiculum, & dubium eſt, familiaris non ſolum indignantibus, ut apud Virg. *Quos ego* ſubaudi *puniam*, ſed etiam his, qui ſunt in ſpe bona, ut hic, & apud Ter. *Ego illum Eunucum vel ſobrius*; immo etiam exultantibus, ut in eodem Eunuco, niſi fallor, apud eundem Comicum, de quibus mone lexicographos. Senſus igitur eſt; *Credo, ut, quom gravis acquieſcet ardor puellæ*, ſubaudi, *tum ea potiri potuero*. τὸ *quom* eſt pro *quum*, *acquieſcet*, non pro *acquieſcit*, ut putat Scaliger, ſed futuri temporis, *gravis* tandem ardor eſt

amor

amor cum dolore mixtus; poeta, *Quom tantum arderem* &c. Hor. *Ardentes Cupido acuens ſagittas*. Virgilius de Didone, *At regina gravi jamdudum ſaucia cura*.

9 *Tecum* &c. In omnibus MSS Achille, & Scaligero teſte erat, *Tecum ludere, ſicut ipſa, poſſem*, non *ipſe*, ut olim Aldus impreſſit, non *poſſe*, ut Vulpius. Itaque hunc ſenſum facio; *Utinam* (quod ἀττικὸν naſcitur ab apoſiopeſi ſuperiori) *ludere poſſem tecum, ô Paſſer, ſicut ipſa Lesbia quondam ſolebat, cum ſanus eras*; & hac occaſione optat paſſeri ſanitatem. Si enim ludere poſſet, paſſer eſſet ſanus, quapropter Lesbia nec ipſa amplius afflicta, ſed hilaris, qua facile potiretur. Utitur vero poetá ſemel, iterumque verbo *ludere*, quia totus incumbit in ſpem Lesbiæ potiundæ. Ludere enim eſt in obſcænis; poeta, *Ludere hanc finit, ut lubet*. alio loco, *Ludite, ut lubet*.

10 *Triſtis* pro *triſtes*; *curas* autem ſubaudi *meas*. Catullus enim amabat Lesbiam, qua frui non poterat. Amor enim, qui non expletur, curás affert. Virgilius de Didóne, quæ Æneam diutius amare non potuit, *At regina gravi jamdudum ſaucia cura*.

11 *Tam gratum* &c. Omnis vet. ſcript. *Tam gratum eſt mihi*. Senſus autem maxime cohæret cum ſuperioribus contra opinionem Guarini, & Achillis: Ut enim gratum Atalantæ malum, quod fuit in cauſa, ut ipſa ſolveret zonam, ita gratum Catullo ludere cum paſſere ſano, cujus cauſa Lesbiæ zonam ſolveret. *Puella* autem *pernix* eſt Atalanta, quæ pedibus cæteros anteibat; victa tamen fuit ab Hippomene tribus malis aureis a Venere acceptis, inque viam jactis, a quo in luco Cybeles ſacro compreſſa fuit, unde dea Magna irata eos in leones mutavit, & currui ſubdidit ſuo.

Ovidius, *O quoties cum jam poſſet tranſire, morata eſt,*
Spectatoſque diu vultus invita reliquit;
Aridus a laſſo veniebat anhelitus ore.
deinde, *Declinat curſus nitidi cupidine pomi.*
rurſum, *Illic concubitus intempeſtiva cupido occupat Ippomenem.*
poeta, *Ibi juncta juga reſolvens Cybelli leonibus.*
Petr: *Evidi la crudel figlia di Niſo*
Fuggir volando, e correr Atalanta,
Di tre palle d'or vinta, e d'un bel viſo,
E ſeco Ippomenes, che fra cotanta
Turba d'amanti, e miſeri curſori,
Sol di vittoria ſi rallegra, e vanta.

12 *Malum* &c. mala, poma, & cæteri fructus pro re obſcæna uſurpantur, hinc Priapus deus hortorum. Malis enim tentantur amantes.
Virg: *Malo me Galatea petit laſciva puella.*
Mart: *Laſcivis donavit poma puellis.*
Unde & Itali,
G. C. *Per man mi preſe d'amoroſa voglia,*
E diſſe, che donato m'avea il cuore,
Menommi ſotto una freſchetta foglia,
Laddove io vidi fior d'egni colore.
E tanto vi ſentio gioi, e dolzore,
Che dio d'amor mi parve ivi vedere.

13 *Zonam* &c. Tam apud latinos, quam græcos virgo zona h. e. cingulo ex ovis lana ſolvebatur, cum viro tradebatur.
Theocritus, λῦσε &c. *Solve cingulum, & lectus &c.*
Varro apud Nonium, *Novos maritus is ſolvebat cingulum.*
Poeta, *Tibi virgines zonulla ſolvunt ſinus.*
τὸ Solvit vero triſyllabum eſt, ut *diſſolvo* alio loco tetraſyllabum; *ligatam* autem ... ſed quid perſequor plura? deſino, ne cubanti, febricitantique paſſeri, qui ſolatio, & ſilentio eget, caput obtundam.

A D

AD VENERES, ET AMORES

Lugete o Veneres, Cupidineſque,
Et quantum eſt hominum venuſtiorum;
Paſſer mortuus eſt meæ puellæ,
Paſſer deliciæ meæ puellæ,
Quem plus illa oculis ſuis amabat.
Nam mellitus erat, ſuamque norat
Ipſam tam bene, quam puella matrem,
Nec ſeſe a gremio illius movebat,
Sed circumſiliens modo huc, modo illuc
Ad ſolam dominam uſque pipilabat;
Qui nunc it per iter tenebricoſum
Illud, unde negant redire quenquam.
At vobis male ſit malæ tenebræ
Orci, quæ omnia bella devoratis,
Tam bellum mihi paſſerem abſtuliſtis.
Oh factum male! oh miſelle paſſer!
Tua nunc opera meæ puellæ
Flendo turgiduli rubent ocelli.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Lugete* &c. Verſus eſt hendecaſyllabus, in quo poeta vocat ad paſſeris funus Veneres, & Amores, quereliſque in mortem jactis, paſſeris obitum lamentatur. Cur autem inuitat bella? quia paſſer & ipſe erat bellus, & carus bellæ puellæ, & Veneri ſacer; quem Catulli locum imitatus eſt Petrarca,

ibi, *Piangete donne, e con voi pianga amore,*
Piangete amanti per ciaſcun paeſe,
Poichè morto è colui, che tutto inteſe
In farui, mentre viſſe, al mondo onore.

L. de M. *Piangerà meco dolcemente amore,*
Le Grazie, e le ſorelle di Parnaſo,
E chi non piangeria con queſte inſieme?

ab Hom: *μῦσαι* &c. *muſa voce pulcra lamentabantur*. Etymon vero Veneris non a *veniendo*; nam omnes dii eſſent Veneres, ſed a *βία vis*, & *νέος* juuenis, ut *Venus* ſit quaſi *Benus* contra ethymologos. Venus enim vi irruit in juuenes. Hor: *In me ruens Venus Cyprum deſeruit*. Cupidines autem non a *cupio*, vel *cubito*, ſed a *κοπὶς κοπίδος*, *mucro*, *telum*. Cupidines enim armati ſunt telis, & arcu. Prop: *Tela precor, pueri, promite acuta magis*. Hor: *Demiſſo Veneris filius arcu*.

2 *Et quantum* h. e. & quot quot ſunt; alio loco, *o quantum eſt hominum beatiorum*. Ter: *Quantum hominum eſt in foro*. τὸ autem *venuſtiorum* cum dicit, intelligit meretrices bellas, & cinædos, qui muliebrem formam ſectantur, ut colligo ex Cicerone, *Venuſtatem muliebrem ducere debemus, dignitatem virilem*.

4 *Paſſer deliciæ* &c. hic verſus eſt mordicus retinendus, qui legitur in libro MSS Scaligeri, quemque & Aldus olim impreſſit. *ἀπαίτησις* enim illa *Paſſer* in uno, & altero verſu Catullo cariſſima eſt, ut ibi, *munera libet onyx, Veſter onyx*, & aliis in locis ſæpe.

5 *Plus oculis* h. e. enixe amabat. Nihil enim carius oculis eſt. Poeta, *Ni te plus oculis meis amarem, Calue*; hinc oculos vocamus, quos amamus. Poeta, *Peninſularum Sirmio ocelle*; unde & Itali, Bocc: *Deh occhio mio bello*.

6 *Mellitus* h. e. gratioſus, & dulcis. Mel enim eſt in deliciis. poeta, *Mellitos oculos tuos, Juventi*. Plaut: *Spes mea, mel meum*. Cic: *Cum mellito Cicerone*; unde etiam Itali, Bocc: *Ella era più melata del confetto*.

7 *Ipſam* h. e. Lesbiam. In MSS fere omnibus erat *ipſam*, non *ipſa*, quod pace Vulpii *σύνταξις*

turbat

turbat, & aufert orationi elegantiam. τὸ enim *ipſam* ἔμφασις eſt, h. e. ipſam illam puellam, de qua loquor, Lesbiam; Phædrus, *Profert ipſum porcellum de ſinu*. Dicit autem *puella matrem*, quia nemo, & nihil certius cognoſcitur, quam mater. Virg: *Incipe parue puer riſu cognoſcere matrem*.

10 *Dominam* h. e. Lesbiam, quæ non in malam partem pro amica, ut putat Vulpius, & alii, ſed in bonam accipitur, ut & alio loco, *Ac domum dominam voca*, nempe conjugem Manlii, de quo mone lexicographos. Erat enim domina & poetæ, & paſſeris, quem alebat, quemque in ſinu tenere ſolebat. Leges autem, ut volunt Scaliger, doctioreſque, & MSS *pipilabat*, hinc in Maffei libro *piplabat*, a *pipulo*, ut a *ventulo ventilare*. Apage igitur ſis cum tua illa lectione *pippiebat* Murete, & Manutj, in quos reclamant MSS.

11 *Qui nunc* &c. Putabant antiqui, non ſolum animas hominum, ſed etiam auicularum, ferarumque ire per iter tenebricoſum Elyſiii. Tib: *Hic ſonant tenui gutture carmen aues*. Vocat autem *tenebricoſum*, quod eſt optima lectio, quia iter ſub terra eſt, ſine luce, ac ſole; hinc apud Homerum ſol diis iratus ita loquitur ἐν νεκύεσσι φαείνω, *inter mortuos lucebo.* alibi, θανάτοιο &c. *mortis nigra nebula*; hinc mortui græce νέκροι, unde *niger*, & *negro* latinorum, italorumque.

12 *Illud* eſt in MSS omnibus, Achille teſte, non *illuc*, quod ab excuſſis delendum eſt. Ex hoc autem verſu omnino cognoſcitur, verum, ac vivum paſſerem obiiſſe. Si enim cum Politiano res poetæ obſcæna imbecillima intelligeretur, eadem medico, ac pharmacis reviviſceret, ita ut eſſet ineptum τὸ *unde negant redire quenquam*.

13 *At vobis* &c. τὸ *at* particula indignantis eſt. poeta, *At vobis mala multa dii, deæque dent*. Ex hoc autem loco corruit Politianus per caputque, pedeſque. Non enim Orcum, qui eſt ipſiſſima mors, increpaviſſet poeta, ſi ad ſuam imbecillitatem reſpexiſſet. Orcus autem idem eſt, ac Pluto, hic tamen accipitur pro loco inferorum, ut apud Prop: *Minos ſed & arbiter Orci*. Plaut: *Apud Orcum te videbo*. Quod ad etymon ſpectat, non placet eſſe ab *urgendo*, nec ab ὅρκος *juramentum*, ſed ab ὀρκέω *deſtruo*, *devoro*, contra ethymologos; hoc enim pacto explico totam Orci naturam, cui proprium eſt, omnia devorare, ac deſtruere. poeta, *Qui omnia bella devoratis*. Virg: *Primiſque in faucibus Orci*. Hor: *Rapacis Orci fine deſtinata*. Cic: *Ut Verres alter Orcus abripuiſſe Cererem videretur*. Areoſt: *Che l' Orco non ti ſenta, e non t' ingoi*. Mor: *Tu m' ha da mangiar un di poi come l' Oreo*.

16 *Oh factum* &c. In MSS omnibus erat Achille teſte *bonum factum male*, *bonus ille paſſer*, unde vir doctus egregie, *o factum male*, *o miſelle paſſer*! ſcribendum tamen eſt *oh* in utroque loco cum aſpiratione, ut propius ad libros MSS accedamus. *oh* enim aliquando dolentis eſt,
Plaut. *Oh perii*. & *e* in *male* non eliditur poetarum licentia, ut ſæpiſſime ſolet. *Factum male* autem dicitur ad morbo oppreſſos, mortuoſque. Formula enim dolentium eſt,
Cicero de Alexione mortuo, *O factum male de Alexione*! In rebus lætis contra, Ter: *O factum bene! beaſti me*.
Hinc patet apertiſſime, verum hic ac vivum paſſerem obiiſſe, & ſuperius verum, vivumque ægrotaviſſe contra malitioſam de cauda interpretationem Politiani, qui tamen dignus eſt excuſatione. Politi enim, ac belli cauda delectantur.

17 *Tua* &c. In omnibus MSS *tua* non *veſtra*, ut olim male impreſſit Aldus cum Mureto, & aliis. τὸ *tua* enim refertur ad paſſerem, qui ipſe in cauſa fuit, ut puellæ flendo ruberent ocelli: quam lectionem probat etiam Juvenalis,
ibi. *Haud ſimilis tibi Cynthia, nec tibi, cujus*
Turbavit nitidos extinctus paſſer ocellos.
Opera enim idem eſt, ac cauſa, & culpa, quam in paſſerem licet ante blande appellatum transfert iratior poeta, cum videat oculos puellæ turgidulos. Plus enim amabat puellam, quam paſſerem.
Ter: *Non mea opera pol evenit, nec culpa*.
Cic: *Eius opera accidiſſe, & culpa*.
Leges autem *rubent*, ut eſt in mel: MSS, non *tument*, quod inane eſſet, ut vidit & Achilles, cum prius *turgiduli* dicat poeta, quod & hoc alterum legendum eſt, non *turbiduli*.
Prop: *Quid gemitu turgentia lumina torquet?*

AD HOSPITES

Phaſelus ille, quem videtis, Hoſpites,
Ait fuiſſe navium celerrimus,
Neque ullius natantis impetum trabis
Nequiſſe præterire, ſive palmulis
Opus foret volare, ſive linteo.
Et hoc negat minacis Hadriatici
Negare litus, inſulaſque Cycladas,
Rhodumque nobilem, horridamque Thraciam,
Propontida, trucemque Ponticum ſinum,
Ubi iſte, poſt phaſelus, antea fuit
Comata ſilva. Nam Cythorio in jugo
Loquente ſæpe ſibilum edidit coma.
Amaſtri pontica, & Cythore buxifer,
Tibi hæc fuiſſe, & eſſe cognitiſſima
Ait phaſelus; ultima ex origine
Tuo ſtetiſſe dicit in cacumine,
Tuo imbuiſſe palmulas in æquore,
Et inde tot per impotentia freta
Herum tuliſſe, læva, ſive dextera
Vocaret aura, ſive utrunque Juppiter
Simul ſecundus incidiſſet in pedem,
Neque ulla vota litoralibus diis
Sibi eſſe facta, quom veniret a mari
Noviſſimo hunc ad uſque limpidum lacum.
Sed hæc prius fuere, nunc recondita
Senet quiete, ſeque dedicat tibi,
Gemelle Caſtor, & gemelle Caſtoris.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Phaſelus* &c. Verſus eſt jambicus trimeter conſtans ex ſex jambis, aliquando ſpondæis, ſecunda, ac quarta ſede excepta, in quo poeta deſcribit hoſpitibus ſuis originem, celeritatem, felicitatemque phaſeli, quem Caſtori, & Polluci dedicat. Hæc autem compoſuit in peninſula Sirmione ad Lacum Benacum, ex illis verbis; *Hunc ad uſque limpidum lacum*. Phaſelus vero non eſt a φάσηλος *leguminis genus*, ut putant, pace bona, legumine digni, ſed ajo a φαοσ... *velum*, & ἐλάω *remigo*. Hoc enim ethymo explicas totam phaſeli naturam, qui velis, ac remis currit, quod probat poeta, *ſive palmulis*, *ſive linteo*, ita ut erret Friſclinus putans, phaſelum eſſe verbum barbarum non grecum, & Lexicographi docentes, phaſelum nomen habere a Phaſelide urbe Pamphiliæ, quibus repugnat etiam Nonius, cum ait, phaſelum eſſe navigium campanum, fortaſſe ſimilem noſtro, vulgo *filuca*, quem Catullus in Paphlagonia ædificavit de penu ſuo, Memmio Prætore Bithyniam tenente, cujus erat comes ex cohorte. *Quem videtis* porro cum dicit, oſtendit hoſpitibus quaſi digito phaſelum humi ſeneſcentem. poeta, *Illa, quam videtis, turpe incedere*. Aut: Priap. *Hunc tute, quem vides*.

2 τὸ *Celerrimus* eſt ἑλληνικὸν, pro *celerrimum*; ita Hor: *patiens vocari Cæſaris ultor*. τὸ *trabis* au-
3 tem ὑπαλλαγὴ pro navi. Hor: *trabe Cypria ſecet mare*. τὸ vero *ſive palmulis* Ovidius imitatus
4 eſt,
ibi, *Sive opus eſt velis, minimam bene currit ad auram,*
Sive opus eſt remo remige carpit iter.
Palmulæ enim, vel palmæ ſunt remi, pars extrema pro toto. Virg: *Litus ama, ſtringat ſine palmu-*

palmula cauteſ: Volare tandem dictum de itinere maris; unde & Itali, Bocc: *Non vogando, ma volando*. etiam de terreſtri: poeta, *Ad claras Aſiæ volemus urbeſ.* unde & Itali, Petr: *Fuggir volando, e correr Atalanta.*

6 *Negat negare* h. e. affirmat hoc litus hadriaticum, quod radebat phaſelus, quia erat fragilis navicula, non quia veteres ſemper litus legerent, ut putat Vulpius, in quem reclamat Virgilius, *In altum vela dabant læti*, quemque non excuſat idem poeta ab eo citatus, cum ait *Proxima Circeæ raduntur litora terræ*. Poſt longam enim navigationem ad litus Circeum tandem pervenerat. Mare autem hadriaticum cæteris ſævius eſt. Hor: *Ego quid ſit Hadriæ ater novi ſinus*. alibi, *Dux inqueti turbidus Hadriæ*. Ex Hadriatico profectus eſt phaſelus ad Cycladas inſulas in mari Ægæo, hinc Rhodum inſulam in mari Carpatio, quam vocat *nobilem*, non tantum ob Coloſſum Apollinis, vel mercaturas, ut cenſet Muretus, ſed ob antiquitatem inſulæ, de qua A. Gellius, *Rhodon inſulam celebritatis antiquiſſimæ*. Hom: ῥοδίων ἀγερώχων, *Rhodienſium ſuperborum*. Rhodo porro navigavit in Thraciam *horridam* dictam non ob frigus, & aquilonem, ut ait Vulpius, & alii, qui frigus, ac tuſſim ferunt, ſed ob feroces, & bellicoſos gentis mores. Hor: *Bello furioſa Trace*, etiam alibi, *Mollire Thracum pectora*. Horridus enim eſt, qui horrorem incutit, terroremque;

Hor: *Illa terrorem incuterat Jovi*
Fidens juventus horrida brachiis.

Ex Thracia in Propontida, (quod eſt in MSS, ultima longa ob duas conſonantes ſequentes) hinc in ſinum ponticum *trucem* dictum, cum a mari fero, tum a feritate hominum, de quibus Ovidus,

ibi, *Frigida me cohibent Euxini litora Ponti,*
Dictus ab antiquis Axenus ille fuit.
Sunt circa gentes, quæ prædam ſanguine quærunt,
Nec minus infida terra timetur aquâ.

Leges autem ut eſt in noſtro MSS *trucemque*, ita ſupra *inſulaſque*, *Rhodumq.*, *horridamq.*

10 *Ubi iſte* &c. Deſcribit originem phaſeli, & locum, unde ligna ſelecta. *Loquente* autem cum
12 dicit, vocem donat eleganter rebus inanimatis; Videntur enim arbores loqui, quando vento moventur. Virg: *Pinoſque loquentes*.

Lau. de Med: *L'aura moue degli arbor l'alte chiome,*
Che rendon moſſe un mormorio ſoave.

13 *Amaſtri* &c. Teſtem appellat urbem Amaſtrim, & montem Cythorum ei proximum buxiferum. Virg: *Juvat undatem buxo ſpectare Cythorum*. Porro *ultima* idem eſt, ac prima. Cic: *Principio Aſſyrii, ut ab ultimis repetam*. Nepos, *Atticus ab origine ultima ſtirpis Romanæ generatus*. τὸ *Imbuiſſe* tandem naſcitur ab *imbibo*. Hor: *Quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem teſta diu*,
18 h. e. quem ſemel imbibit, ſervabit; hoc tamen loco eſt liquore maris palmulas implere. Nota,
19 ultimam in *impotentia* eſſe lungam ob duas conſonantes ſequentes. *Herum* autem puta Catullum, quia de penu ſuo ædificavit phaſelum.

20 *Juppiter* h. e. ventus ab Homero dictus *nubium congregator*. τὸ *pedem* autem eſt verbum nauticum idem, ac funis, cui pas ultima veli ligatur. Hom: πόδας &c. *pedeſque in ipſa*. Virg: *Omnes una fecere pedem*. Pli: *prolatis pedibus, ut vela concurrant*.

22 *Litoralibus* &c. Nautæ vota ſoluebant in littore, ubi templa deorum erant, qui dii litorales dicebantur.

Areoſ: *Sicchè nel lito i voti ſciogliér ſpero,*
A chi nel mar per tanta via m'hà ſcorto.

Dii autem litorales contra Vulpium, & interpretes omnes, erat primus Neptunus, quia nautis ventum felicem dabat, cui dedicabant tauros nigros, & capillos tonſos. Hom τὸ δ' ἐπὶ θινὶ &c. *Ipſi vero in litore maris ſacra faciebant, -- Tauros plane nigros Neptuno*. alibi δὸς &c. *da autem ventum bonum, & reditum nautis*. Luci: *Neptune, nil aliud cum ſit, dedico cæſariem*; ſæcundus Palæmon, de quo Plaut: *o Palæmon ſancte Neptuni comes*; tum Glaucus, & Panopea, de quibus Virg: *Vota ſolvent in litore nautæ Glauco, & Panopeæ*; Dein Nereus, de quo Lucia: χαίρησι; porro Caſtor, & Pullux, quibus agnos albos in litore ſacrificabant. Hom: οἱ δ' εὐχόμενοι &c. *hi autem vota facientes vocant Jovis pueros -- Agnis albis ad litora egreſſi a puppi*; Etiam Venus, Eolus, & Jupiter Vrius dictus ab οὖρος *ventus*, quia felicem ventum dabat, habebatque templum in faucibus Ponti Euxini. Docet enim & Vitruvius, Veneris templa in litore fuiſſe, tum quia ex mare nata, tum quia nautis felix. Hor: *Sic te diva potens Cypri -- Ventorumque regat pater*; tandem Priapus, qui navigationi, & mercaturæ præerat. Av: Priap. *Colit ora helleſpontia*. Solebant autem veteres, antequam vela dabant, ſacrificare vitulos, & agnas tempeſtatibus, dein funes e litore ſoluebant, & ſacrificulus cingebatur foliis oliuæ, ſtanſque in propra exta, & vina in mare projiciebat; coronæ puppibus, h. e. diis, qui in puppibus ſtabant, imponebantur; imminente tempeſtate capillos nautæ tondebant, cum vero evaſiſſent e periculo, ſacrificabant tauros candentes diis maris, ornabantque focos, ac delubra, tabel-

laſque, & veſtes humidas naufragio templo figebant.

Virg: *Di, quibus imperium Pelagi,*
Candentem in litore taurum conſtituam.

Ex quo quoque verſu collige contra Vulpium negantem, deos marinos eſſe litorales deos,

Hora; *Paſcitur in veſtrum reditum votiva juvenca.*

alibi; *Et thure, & fidibus juvat*
Placare, & vituli ſanguine debito
Cuſtodes Numidæ deos &c.

alio loco; *Me tabula ſacer*
Votiva paries indicat, humida
Suſpendiſſe potenti
Veſtimenta maris Deo.

Perſ: *Largire inopi ne pictus oberret*
Cærulea in tabula.

Juv: *Et quem votiva teſtantur fana tabella.*

alibi. *Picta ſe tempeſtate tuetur.*

23 *A mari* &c. In noſtro eſt liquide a *mari*, ut jurarim *a mare* nunquam ſcriptum a Catullo, qui & alio loco ait, *Deprenſa navis in mari.* rurſum, *Marique vaſto fert uterque Neptunus.* Leges etiam *noviſſimo* verbum latinum uſurpatum a Cicerone, non *noviſſime*, quod ineptum eſt. Revera enim ſinus ponticus eſt mare noviſſimum, ſi paludem excipias;

Ovid: *Me terrarum pars pæne noviſſima Pontus*
Euxinus falſo nomine dictus habet.

24 Laudat autem lacum Benacum vulgo *lago di Garda*, quem vocat limpidum, quod aquarum eſt
25 maxima laus. Dant: *Per l'acque nitide, e tranquille.* τὸ *ſenet* vero dictum ἀρχαϊκῶς. ita Actius, *Languentque, ſenentque.*

26 *Dedicat &c.* Poeta imitatus eſt Jaſonem, qui olim dedicavit Neptuno navem Argo. Donat enim & ipſe phaſelum Caſtori, & Polluci, ſtellis felicibus navigationi, fratribus Helenæ, ex Leda natis, quæ cum Jove, ac Tyndaro conjuncta duo ova peperit, ex uno Pollucem immortalem, ex altero Caſtorem mortalem, qui in bello occiſus, prece fratris Pollucis, & ipſe immortalis factus eſt.

Virgilius, *Si fratrem Pollux alterna morte redemit.*

Horatius, *Caſtor gaudet equis, ovo prognatus eodem pugnis.*

Propertius, *Qualis & Eurotæ Pollux, & Caſtor arenis,*
Hic victor pugnis, ille futurus equis.

Homerus, Κάστορα &c. *Caſtorem equorum domitorem, & pugnis valentem Pollucem.*

Neque putes cum Scipione Maphejo, phaſelum donatum Gemellis illis, qui templum habebant inter Placentiam, & Cremonam. Hic enim, & nunc phaſelus erat in litore Benaci, ex eo, *uſque ad hunc limpidum lacum.* Tandem *Caſtor & Caſtoris* dicit, quia nomen Pollucis ſæpe tacebatur. hinc Romæ ædes Caſtorum ab A. Poſtumio dedicata; hinc etiam Suetonius, *Nec diſſimularet collega eius Bibulus eveniſſe ſibi, ac Polluci.* In conſulatu enim Bibuli, Cæſariſque tantum Cæſar nominabatur, unde lepidus verſiculus, *Nam factum Bibulo Conſule nil memini.*

AD LESBIAM

Vivamus, mea Lesbia, atque amemus,
Rumoreſque ſenum ſeveriorum
Omnis unius æſtimemus aſſis.
Soles occidere, & redire poſſunt,
Nobis, quom ſemel occidit brevis lux,
Nox eſt perpetua una dormienda.
Da mi baſia mille, deinde centum,
Dein mille altera, dein ſecunda centum,
Deinde uſque altera mille, deinde centum,
Dein, quom millia multa fecerimus,
Conturbabimus illa, ne ſciamus,
Aut ne quis malus invidere poſſit,
Quom tantum ſciat eſſe baſiorum.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Vivamus* &c. Verſus eſt hendecaſyllabus, in quo poeta invitat Lesbiam ad voluptates, petitque ab ea innumeras baſiationes, ut curioſos eludat. Hor: *Vivas in amore, jociſque*. Mart: *Poſthume, vive hodie*. Prop: *Omnes jam norunt, quam ſit amare bonum*. Lesbia autem erat peſſima puella, primo conjux hominis cujuſdam inſulſi, deinde meretrix filii P. Clodii, hinc Clodia dicta, porro puella Catulli; Non enim putes fuiſſe ſororem Clodii, & conjugem Metelli, ut falſo putavit Apulejus, & Sidonius Apollinaris, qui poſſunt eſſe poetæ, cum fingunt tam belle. Soror enim Clodii vitiata fuit a fratre Clodio, Lesbia vero a ſocero; poeta, *Sed pater ipſius nati violaſſe cubile dicitur*; tum Lesbia erat veronenſis, non romana, qualis ſoror Clodii, ex eo, *Ten Provincia narrat eſſe bellam? - - Tecum Lesbia noſtra comparatur?* Provincia enim transpadana h. e. Verona audacter judicavit de Lesbia, quia eam ex eadem terra probe notam habebat de facie; deinde maritus ejus erat fatuus, qui adulteria conjugis patiebatur; poeta, *Aſt illi fatuo maxima lætitia eſt*, quod de Cæcilio Metello dici nequit; tandem Lesbia fuit publica meretrix, & ſemitaria, & vilis, de qua ad Cælium poeta, *Lesbia in angiportis glubit Remi nepotes*. In quadriviis enim, & angiportis proſtabant viles meretrices; quis ergo eſt tam fungus, ut credat, ſororem Clodii nobiliſſimam in angiportis victum turpiſſimum quæritaſſe? Fateor tamen τὸ *Lesbia* eſſe nomen fictitium, ut teſtis eſt Ovidius, *Cui falſo Lesbia nomen habet*, dicta Lesbia cum alluſione fortaſſe ad Inſulam Lesbon, ubi fœminæ cæteras forma anteibant, de quibus Hom: δώσω &c. *Dabo ſeptem mulieres Lesbias, quæ forma - - Vincebant genera mulierum*. hinc poeta, *Lesbia formoſa eſt, quæ cum pulcherrima tota eſt*. ita etiam vocat Gatullus filium P. Clodii, ibi, *Lesbius eſt pulcher, quid ni? quem Lesbia malit*. Erat enim, ut dixi, meretrix filii P. Clodii, ut videre eſt clarius loco ſuo.

τὸ autem *ſenum ſeveriorum* ajo eſſe patrem Catulli ſeverum, de quo ita ad Manlium, *Ingratum tremuli tolle parentis onus*. Erat enim pater ſenex onus Catullo ingratum, quia accuſa-
3 bat ejus voluptates, *Omnis* vero pro omnes. Porro *As* erat vilis moneta, quæ valebat duos
ſolidos Venetos. Hor: *Vilem redigatur ad aſſem*.
4 *Soles* &c. Omittamus ethicem, ne accuſemur inepti, miſcere ſacra profanis. Soles igitur plu-
6 res videntur, cum mane oriatur, veſperi occidat. *Nox* vero cum dicit, alludit ad tenebras Or-
ci, de quibus ſuperius, *at vobis male ſit tenebræ Orci*; niſi forte reſpiciat ad Epicurum, & Zenonem, qui animam mortalem faciebant, contra quos Hom: ψυχὴ &c. *anima vero deſcendit ad inferos*. Prop: *Sunt aliquid manes*.

Dantes ibi, *Suo cimiterio da queſta parte anno*
Con Epicuro tutti i ſuoi ſeguaci,
Che l'anima col corpo morta fanno.

11 *Conturb.* &c. Huc reſpexit Plinius, cum ait, *Catulli incantamentorum amatoria imitatio*, quæ verba incantarunt doctos putantes, a Catullo librum *de incantamentis* ſcriptum; quod verbum eſt a decoctoribus, qui conturbabant rationes, ita hic, ne malignis baſiorum numerus innoteſceret, qui ſubducendo amori damno erant. Prop: *Nec mihi rivalis certos ſubducet amores*.

AD FLAVIUM

1 Flavi, delicias tuas Catullo,
2 Ni ſint inlepidæ, atque inelegantes,
3 Velles dicere, nec tacere poſſes.
4 Verum neſcio quid febriculoſi
5 Scorti diligis, hoc pudet fateri.
6 Nam te non viduas jacere noctes,
7 Nequicquam tacitum cubile clamat,
8 Sertis, ac ſyrio flagrans olivo,
9 Pulvinuſque peræque & hic, & ille
10 Attritus, tremulique quaſſa lecti
11 Argutatio, inambulatioque,
12 Nam mi iſta ipſa valet nihil tacere,
13 Cur non tam latera exfututa pandas,
14 Nec tu quid facias ineptiarum?
15 Quare quicquid habes boni, malique,
16 Dic nobis; volo te, ac tuos amores
17 Ad cælum lepido vocare verſu.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Flavi* &c. Verſus eſt hendecaſyllabus, in quo poeta quærit a Flavio eius amicæ conditionem, quibus promittit lepidum, ἐγκώμιον. Flavius autem amiciſſimus Catulli noſtri, ille idem, de quo Hor: *Noluit in Flavi ludum me mittere.* Capros enim puto, qui hunc Flavium Caprum, vel alterum Tribunum plebis eſſe volunt.

4 *Neſcio quid* valde minuit conditionem ſcortilli. poeta, *Carum neſcio quid lubet jocari.* Et ſane erat febriculoſum, & parui pretii. Febris autem Romæ fanum habebat in Palatio, alterum in area Marianorum monumentorum, tertium in ſumma parte vici longi, ex Cic: & V. Maximo.

6 *Non viduas* &c. Hinc colligo, conjugem Flavii obiiſſe, qui jacebat cum amica noctes non vi-
7 duas. Ovid: *Cur ego tot viduas exegi frigida noctes?* Leges autem *nequicquam*. Cicero, *Cum ta-*
8 *cent, clamant*; non *nequaquam* cum Achille, qui facit contra MSS. *Olivo* vero cum dicit, de-
ſcribit veterum morem, qui ſolebant in lecto virginis, conjugis, & amicæ ſpargere odores.
poeta de Ariadna virgine, *Expirans caſtus odores lectulus*, hic tamen locus habet nonnihil ſalis;
Flavius enim non ſolum ad invitandam libidinem, ſed etiam ad expellendum odorem fortaſſe
non bonum ſcorti febriculoſi, utebatur olivo præcipue ſyrio, quod erat ungentum cæteris pre-
tioſius. Tib: *Stillabat ſyrio mirtea rore coma.* Prop: *Et dabitur ſyrio munere plenus onyx.*

9 *Pulvinus* eſt lectulus exiguus plenus pluma, vel tomento, quo utebantur non ſolum in ſedendo,
ſed in lecto, de quo mone lexicographos, non idem ac cervical, ſed qui vice cervicalis funge-
batur, vulgo *cuſſino*, & fere ſemper duo erant pulvini, præſertim ſi duo dormiebant in lecto
uno, ut etiam apud nos; hinc non temere in omnibus MSS Achille teſte erat *hic, & ille*, quod
10 certe legendum eſt, non *illic*, quod tanquam ſpurium ejiciendum ab excuſſis. Ex attritione
vero lecti tutum argumentum voluptatum deſumitur;
Prop: *Apparent non ulla toro veſtigia preſſo -- Signa voluptatis, nec jacuiſſe duos.*

11 *Argutatio* eſt garrulitas lecti, cum movetur, & proprie de inanimatis dicitur. Virg: *Argutumque nemus.* alibi, *Arguta lamina ſerra.* poeta, *Arguta conſtituit ſolea;* translate ad homines loquaces. Næu: *Argutatur quaſi cicada.* τὸ *Inambulatio* autem, vel *perambulatio* ſunt verba in obſcænis, de quibus mone lexicographos. Amantes enim, in lecto cum pedes moveant, ambulare videntur. poeta, *Ille perambulabit omnium cubilia?* h. e. ille puellas omnes in cubilibus ſubagitabit?

12 *Nam mi* &c. Nemo adhuc, ne Scaliger ipſe, qui in ſecernenda lectionum peſſimarum merdæ Hippocrates eſt, hunc hendecaſyllabum ſanare potuit. Legit enim *Nam ni ſtupra*, dii boni, lectionem ſtupro violentiorem! Neque Vulpius quicquam veri exſculpſit, qui legit, *Nam ni iſta-*

pte,

pte, libentiſſime repudiandam propter τὸ *pte* dictionem ſyllabicam, quæ nunquam omnino jungitur, niſi cum ablativis pronominum *meus*, *tuus*, *ſuus*, *noſter*, *veſter* &c. poeta, *Sonitu ſuopte tintinant aures*. Leges igitur, ut eſt in omnibus MSS, quæ ita concepta ſunt, *Nam ni iſta præ valet nihil tacere*, mutatis *ni* in *mi*, & *præ* in *ipſa* hoc pacto, *Nam mi iſta ipſa ualet nihil tacere*. τὸ enim *ipſa* demonſtrativum eſt, nempe pulvinus attritus, argutatio lecti, inambulatioque. Cic: *Ille ipſe Cryſippus*. alibi, *Illo ipſo die*. rurſum, *Hic ipſe rejectus eſt*. & ſenſus erit; *nihil valet tacere mihi iſta ipſa, quæ vidi, ac probe novi*.

13 *Cur non* &c. Invitat Flavium, ut libere fateatur; ſuperius enim oſtendit iam, nihil ſilentium valere; quo quoque loco interpretes Catullum delumbant, & MSS pili faciunt, quæ ita erant in omnibus, Achille, & Scaligero teſte,

Cur non tam latera & futura vel *exfututa panda* vel *pandam*
Nec tu quid facias ineptiarum,

Unde & critici ineptiunt, Scaliger *pandant*, Achilles *pandus*, *ni tu*, alii *ni tu*, *facias inep.* Vulpius *cui jam tam pandant noctu* &c. mala omnia, quia aberrant a ſcriptura, quam ego non muto,

Cur non tam latera exfututa pandas,
Nec tu quid facias ineptiarum? & ſenſus erit; *Cur non pandas, & dicas mihi tam latera exfututa*, h.e. *tuam amicam exf.*, *nec*, ſubaudi, *dicas vel pandas*, *quid tu facias ineptiarum?* τὸ *latera* autem eſt pars pro toto, ſcilicet amica ipſa Flavii, quam a potiori parte appellavit, quæq. habebat latera exfututa, quæ cum in omnibus rebus, tum in obſcænis præcipue exercentur. Au: Priap:

14 *Venus jocoſa molle ruperit latus*. poeta, *Omnium ilia rumpens*. Tandem *ineptias facere* eſt ineptire in voluptatibus, vel ita perdite amare, ut ineptire videare.
poeta; *Miſer Catulle deſinas ineptire*.

15 *Quare* ἐπίλογος eſt. Concludit enim, hortaturque Flavium, ut libere loquatur, ſive bonam amicam habeat, ſive non, h.e. vel pulcram, vel deformem. Bonum enim, & malum non ſolum ad animum, ſed etiam ſpectat ad corpus; poeta, *Infeſto pueris bonis, maliſque*. Ter: *Forma fortaſſe bona*; hinc etiam itali, cum dicunt, *Egli è un buon moſtaccio*.

17 *Lepido* &c. Habet hoc verbum eundem ſenſum, ac illud ſuperius, *Lepidum novum libellum*, &c Cicero, *Pueri lepidi, ac delicati, qui amare, &c.* Agitur enim in hoc lepido verſu laus & meretriculæ, & hominis in meretriculam deditiſſimi, quæ duo verſus laſciviuſculos, & amica dignos deſiderant. Quare autem Flavius noſter amaret febriculoſam amicam, noli, quæſo, mirari; fortaſſe enim febricula illa delectabatur, quemadmodum & de tuſſiente amica apud Martialem in epigrammate neſcio quo,

ibi, *Quid in illa petitur, & placet? tuſſis.*

Cujus quidem rei reddit rationem Horatius,

ibi, *Illuc prævertamur, amatorem quod amicæ*
Turpia decipiunt cæcum vitia, aut etiam ipſa hæc
Delectant, veluti Balbinum polypus Agnæ.
Vellem in amicitia ſic erraremus, & iſti
Errori nomen virtus poſuiſſet honeſtum.
At peter ut gnati, ſic nos debemus amici,
Si quod ſit vitium, non faſtidire; ſtrabonem
Appellat pætum pater, & pullum male parvus
Si cui filius eſt.
—— —— *at eſt truculentior, atque*
Plus æquo liber, ſimplex, fortiſque habeatur.
Caldior eſt, acres inter numeretur; opinor,
Hæc res & jungit, junctos & ſervat amicos.

AD LESBIAM

1 Quæris, quot mihi baſiationes
2 Tuæ, Lesbia, ſint ſatis, ſuperque?
3 Quam magnus numerus libyſſæ arenæ
4 Laſerpiciferis jacet Cyrenis,
5 Oraclum Jovis inter æſtuoſi,
6 Et Batti veteris ſacrum ſepulchrum;
7 Aut quam ſidera multa, quom tacet nox,
8 Furtivos hominum vident amores,
9 Tam te baſia multa baſiare,
10 Veſano ſatis, & ſuper Catullo eſt,
11 Quæ nec pernumerare curioſi
12 Poſſint, nec mala faſcinare lingua.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Quæris* &c. Verſus eſt hendecaſyllabus, in quo poeta petit a Lesbia innumeras baſiationes ad
eludendam faſcinantium curioſitatem. Cupit enim tot baſia, quot ſunt libyſſæ arenæ in Africa, ubi ingens numerus earum,

Virg: *Libyci velut æquoris idem*
Dicere, quam multæ zephiro turbentur arenæ,

Dant: *Più non ſi vanti Libia con ſua rena*. Ethymon autem puto eſſe ab alpha privativa, & *ἐρέω dico*, & *νοέω cogito*. Arenæ enim numerus neque dici, neque cogitari poteſt; Hor: *Te maris, & terræ, numeroque carentis arenæ.*

4 *Cyrenis* &c. Primam corripuit exemplo græcorum, Call: *ἄσυ κυρήνης*. Cyrene autem metro-
polis regni Barcæ a Batto ædificata, ubi magna copia laſerpicii. Strabo, *Ultra hanc, quæ ſunt,*
5 *non habitantur, Garamantum terra laſerpicifera.* Ab hac urbe paulum aberat templum Jovis Am-
6 monis inter ſeptem orbis miracula annumeratum, & ſepulcrum ejuſdem Batti regis *veteris*
dicti, quia antiquior, & primus, qui Cyrenas condidit. Vocat autem *ſacrum* ſepulcrum, non quia Battus heros fuiſſet, ut putat Vulpius, ſed quod ſepulcra omnia eſſent ſacra, quia dicata Libitinæ, in cujus templo, quæ ad ſepulturam ſpectabant, vendebantur, locabanturque.
7 *Sidera* & ipſa ſunt innumerabilia, præſertim cum tacet nox, h. e. multa nocte. *Furtivos* au-
8 tem *amores* cum dicit, intelligit adulteria. Furta enim fere ſemper habent hunc ſenſum. Virg: *Martiſque dolos, & dulcia furta*. Ovid: *Dea furtivos profitetur amores*. Bocc: *Furtivamente i loro congiungimenti continuando*. Sidera vero vident omnia, quæ facimus; hinc cœlum græce *οὐρανος* ab *ὁράω video*.

Juv: *Equitant, ac luna teſte moventur.*
Petr: *Con lei foſs'io, da che ſi parte il Sole,*
E non ci vedeſſe altri, che le ſtelle.
Areo: *E per quant'occhi il ciel le furtive opre*
Degli amatori a mezza notte ſcuopre.

9 Noctu enim ad amores furtivos convolatur. Plaut: *Fidem tuam Venus noctuvigila*. *τὸ Baſia ba-*
10 *ſiare φράσις* eſt a græcis *φυτεύειν φυτὸν plantare plantam*. *Veſano* vero dicit, quia inſaniebat amore, nec modum in voluptatibus invenire poterat, quod explicat Propertius, ibi, *Errat, qui fi-*
11 *nem veſani quærit amoris -- Verus amor nullum novit habere modum*. *Curioſi* h.e. maligni, qui, ſi
norant numerum baſiorum, amori ſunt impendimento. Finitum enim numerum obnoxium
12 faſcino putabant, quod eſt non delinimenti, ſed incantationis genus, quodq. laudibus, & obtutu offendit, de quo poeta, cum ait, *Et mala faſcinare lingua*. Virg: *Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos;* hinc etiam Itali *mala lingua*, cum hominem malignum ſignificare volunt; contra quod inter alia amuleta multa erat baccar. Virg: *Baccare frontem -- Cingite, ne vati noceat mala lingua*. Faſcinus tandem erat deus, & cuſtos infantium, qui a Veſtalibus colebatur. Erat & dea Cunina, quæ contra faſcinantium invidiam infantes in cunis tuebatur.

AD SE IPSUM

Miſer Catulle, deſinas ineptire,
Et, quod vides periſſe, perditum ducas.
Fulſere quondam candidi tibi ſoles,
Quom ventitabas, quo puella ducebat
Amata nobis, quantum amabitur nulla.
Ibi illa multa tam jocoſa fiebant,
Quæ tu volebas, nec puella nolebat.
Fulſere vere candidi tibi ſoles.
Nunc jam illa non volt, tu æque inepte, ſis, noli,
Nec, quæ fugit, ſectare, nec miſer vive,
Sed obſtinata mente perfer, obdura.
Vale puella, jam Catullus obdurat,
Nec te requiret, nec rogabit invitam,
At tu dolebis, quom rogaberis nulla.
Sceleſta, rere, quæ tibi manet vita?
Quis nunc te adibit? quoi videberis bella?
Quem nunc amabis; quojus eſſe diceris?
Quem baſiabis? quoi labella mordebis?
At tu, Catulle, obſtinatus obdura.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Miſer* &c. Verſus eſt Jambicus trimeter, in quo poeta hortatur ſeſe ad parvifaciendam Lesbiam, eique parem gratiam referre. Vocat autem *miſerum* ſeſe, quia amabat. Omnes enim, qui amant, miſeri ſunt. Plaut: *Ut miſer eſt homo, qui amat*. alio loco, *Miſeriorem ex amore quam te, vidi neminem*. Porro *ineptire* eſt ita perdite amare, ut ineptire videamur.
2 *Perditum ducas* h. e. ne labores de amore Lesbiæ, qui jam periit, evanvitque, ita ut ſtultiſſi-
3 mum ſit, tempus in ea terere, & ineptire. Plaut: *Quod periit, periit*. *Fulſere* autem cum dicit, ſolatur afflictum ſeſe dulci rerum præteritarum memoria, notamque facit inconſtantiam Lesbiæ. Soles enim candidi dicuntur, quando fortuna nobis favet, nigri, quando ſiniſtra eſt;

Horatius, *Hanccine ſolem tam nigrum ſurrexe mihi?*
L. de Med: *Per me in terra non è mai ſtato ſole,*
Per me luce, o ſplendor mai non è uſcito.

Soles vero plures videntur, cum mane oriatur, veſperi occidat; accipi tamen ſoles poſſunt
6 pro diebus. Virg: *Cantando longos memini me condere ſoles*. Tandem *illa multa* ſunt baſiationes, & reliqua turpicula, quæ tacet modeſtiæ cauſa, ut ſolet & aliis in locis.

9 *Nunc jam* &c. Lego contra criticos omnes, *Nunc jam illa non volt, tu æque inepte, ſis, noli*. In MSS enim erat *inepte*, ita ſuperius, *deſinas ineptire*; in aliis *impote* vitioſum, fortaſſe *inepte*; in noſtro *ineptis*. *Sis* enim addebant, quia, ut ait Donatus, verba imperativa ſunt contumelioſa. Perſ: *Videſis, ne limina frigeſcant*. Non enim legas *jam* cum Achille, quod non habet omnino locum. *Noli* autem ſcripſit Catullus, ut colligo ex eo *nec ſectare, nec miſer vive*. hinc lectio Scaligeri, Vulpii, cæterorumque nulla eſt, quia & a ſcriptura, & ab optima conjectura diſcedit.

10 *Nec quæ fugit* &c. Ad hunc locum reſpexit Petrarca, *Se traviato, e folle è il mio deſio -- A ſeguitar coſtei, che in fuga è volta*. Leges autem *nulla* ut erat in duobus MSS, & *rere* in libro Scaligeri; τὸ *nulla* enim eſt idem ac *non*, ex Hom: ὦ ϑόκε, ὅτις &c. *o Toan nullus vir culpandus*. Cic: *Filotimus nullus venit*. Non enim legas cum Vulpio *noctem*, vel *nocte* cum Achille commentitia omnia. Nam a turpiſſimis deſcenderetur vitio ad turpicula illa, *quis nunc te adibit* &c. Porro *maneo* regit & dativum, de quo mone lexicographos. Cic: *Mihi conditio maneat, quæ* &c. Leges poſtremo *obſtinatus*, non *deſtinatus* contra MSS, multo minus *Catulled* lectionem duriorem verbo *obdura*, quod importat animum firmum in propoſito. Ovid: *Perfer, & obdura*. Petr: *E quando nel mio cuor m'indura, e inaſpro*.

AD VERANNIUM

Veranni, omnibus e meis amicis
Antiſtes mihi millibus trecentis,
Veniſtine domum ad tuos penates,
Fratreſque unanimos, tuamque matrem?
Veniſti? o mihi nuncii beati!
Viſam te incolumem, audiamque Hiberum
Narrantem loca, facta, nationes,
Ut mos eſt tuus, applicanſque collum
Jucundum os, oculoſque ſuaviabor.
O, quantum eſt hominum beatiorum,
Quid me lætius eſt, beatiuſve?

NOTÆ CRITICÆ

1 *Veranni* &c. Verſus eſt hendecaſyllabus, in quo poeta amicitiam Veranni magni facit, deque ejus ex Hiſpania reditu lætatur. Verannius autem amicus Catulli, qui Piſonem in Hiſpania ſecutus erat una cum Fabullo, quem vocat *antiſtitem*, (quod eſt in omnibus MSS Achille teſte, non *antiſtans*, quod eſt commentitium, quodque legit Voſſius, & Vulpius) quia primus in amicitia, translatione ducta ab Antiſtitibus, qui erant primi ſacerdotes templorum. Ut enim amicitia ſancta eſt, hinc poeta, *Alternum hoc ſanctæ fœdus amicitiæ*, ita a rebus ſacris translationem duxit. Cic: *Qui ſit ejus artis antiſtes*. Non enim putes, Verannium fuiſſe revera antiſtitem, ut Achilles ex Macrobio macre collegit, qui loquitur de alio Verannio, non de noſtro. Si enim hic noſter antiſtes vere fuiſſet, rebuſque divinis addictus, non tantum nactus fuiſſet otii provincias obeundi cum Prætoribus, nec tam pauper fuiſſet, de quo poeta alibi, *Verannius quærit in triviis vocationes*. Lucrum enim certum ex templo Antiſtites accipiebant. T. Livius, *His, qui antiſtites eſſent, ſtipendium de publico ſtatuit*.

3 *Veniſti* &c. Hic maximam alacritatem ſignificat. Hom: ἐμὸς παῖς &c. *Meus filius huccine veniſti?* Leges autem *unanimos*, T. Liv: *deſtinere unanimos*. Phæ: *Lepus ſemianimus mortis in ſolatio* &c. leges etiam *tuamque*. Sermo enim eſt ſemper ad Verannium, nunquam ad ejus fratres. Figes vero interrogativum etiam poſt ſecundum *veniſti* ad majorem venuſtatem.

5 *O nuncii*, &c. Lætatur, Verannium ex Hiſpania ſanum rediiſſe.
Areoſ: *E con quell'o, che d'allegrezza dire*
Si ſuole, incominciò.
Nuncii autem dicuntur, qui ore, non epiſtolis nunciant. Cic: *Tuarum rerum habes & ſcriptores, & nuncios*.

6 *Viſam* &c. Nondum Catullus viderat Verannium. Solum enim ei nuntiaverunt, veniſſe. Hiberia autem Hiſpania eſt, dicta ab Hiberis Aſiæ populis, qui in Hiſpaniam navigarunt, eamque incoluerunt.

9 *Suaviabor* &c. In baſiationibus præcipue os, oculoſque ſuaviamur, quod ex verbo *oſculor* patet; vel enim naſcitur ab *os*, & *oculus*, vel ab *os* & *colo*. Os enim baſiando quaſi colitur. Solebant autem veteres os, & oculos amicorum, qui domum redibant, ſuaviari amplectentes manus, caput, humeroſque. Hom: καὶ κύσσον &c. *Et oſculabantur amplectentes caputque, & humeros*; tum ſacrificabant thus, & ſanguinem vituli ad ſonitum cytharæ,
Hor: *Et thure, & fidibus juvat*
Placare, & vituli ſanguine debito
Cuſtodes Numidæ deos,
Qui nunc Heſperia ſoſpes ab ultima &c.
Violas quoque, & floreas coronas jaciebant. Juv: *Thura dabo atque omnes violæ jactabo colores*.

10 *O quantum* &c. alibi, *Quantum eſt hominum venuſtiorum*, τὸ *lætius* autem ſpectat ad animum, quia videbit Verannium incolumem, narrantemq. loca, facta, nationes; τὸ *beatius* vero ad corpus, quia ejus os, oculoſque baſiabit; alibi, *Ego ut puellæ -- Unum me facerem beatiorem* h. e. locupletiorem. Petr: *O me beato ſopra gl'altri amanti*.

DE VARO, ET EJUS AMICA

Varus me meus ad ſuos amores
Viſum duxerat e foro otioſum;
Scortillum, ut mihi tum repente viſum eſt,
Non ſane inlepidum, nec invenuſtum.
Huc ut venimus, incidere nobis
Sermones varii, in quibus quid eſſet
Jam Bithynia? quomodo ſe haberet?
Et quonam mihi profuiſſet ære?
Reſpondi id, quod erat, nihil; neque ipſis
Met Prætoribus eſſe, nec cohorti,
Cur quiſquam caput unctius referret,
Præſertim, quibus eſſet inrumator
Prætor, non facerent pili cohortem.
At certe tamen, inquiunt, quod illic
Natum dicitur eſſe, comparaſti
Ad lecticam homines: Ego ut puellæ
Unum me facerem beatiorem,
Non, inquam, mihi tam fuit maligne,
Ut, provincia qui mala incidiſſet,
Non poſſem octo homines parare rectos.
At mi nullus erat, nec hic, nec illic,
Fractum qui veteris pedem grabati
In collo ſibi conlocare poſſet.
Hic illa, ut decuit cinædiorem,
Quæſo, inquit, mihi, mi Catulle, paulum
Iſtos commoda; nam volo ad Serapin
Deferri. Mane, inquii puellæ,
Iſtud, quod modo dixeram me habere,
Fugit me ratio; meus ſodalis
Cinna eſt Cajus, is ſibi paravit,
Verum utrum illius, an mei, quid ad me?
Utor tam bene, quam mihi pararim.
Sed tu inſulſa male, & moleſta vivis,
Per quam non licet eſſe negligentem.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Varus* &c. Verſus eſt hendecaſyllabus, in quo poeta perducitur ad Varii amicam, cujus in petendo audaciam eludit. Hæc autem compoſuit, poſtquam rediit ex Bithynia, fortaſſe Craſſo, & Pompejo Coſſ. Nam eo anno Memmius Gemellus accuſatus fuit a Cæſare ob Præturam Bithyniæ male geſtam; nuper enim rediiſſe Catullum, patet ex eo, *In quibus quid eſſet jam Bithynia*. Varus vero eſt ille Alphenus, de quo alio loco, *Alphene unanimis falſe ſodalibus*; & Hor: *Alphenus vafer omni -- Abjecto inſtrumento artis, clauſaque taberna*. Sutor enim erat olim, porro ad Juriſprudentiam ſe applicaverat, contra varos, ac diſtortis cruribus illos, qui putant, hunc eſſe Quintilium Varum, vel alterum Præf. Eq., vel illum, qui in Germania cladem reportavit, quæ quidem accidit ſub Auguſto, quando jam Catullus mortuus erat.

2 *Viſum* eſt a *video*, non a *viſo*, ideoque exempla a Vulpio citata nulla ſunt, contra quem
etiam, & lexicographos ajo, verbum *viſo*, ſi non habeat verbum motus, non poſſe regere ac-
cuſativum cum præpoſitione *ad*, ut patet in Ter: Plaut: Gelli: Lucretio, & aliis.
3 *Ut mihi* h. e. quantum mihi viſum eſt; non enim *ut* eſt pro *ubi*. Cicero, *Homo hercle, ut mihi*
8 *viſus eſt, temperatus*. Leges autem ſine dubio *ære*, non *ere* cum Voſſio, & Scaligero contra MSS;
dicitur enim virtute, conſilio, pecunia proficere, apud Ciceronem, & optimos Scriptores;
Leges etiam contra Vulpium, & farraginem criticorum, ut eſt in omnibus MSS Achille te-
ſte, *Et quonam mihi profuiſſet ære?* h. e. quantonam ære; *quo*, pro *quanto*. Tac: *Quo ſuſpectior
ſollecitis, ea pars morum placebat; Quantum* enim, quod legitur in vulgatis, præterquanquod
nullo eſt in MSS, etiam latinum omnino non eſt, ut probat & Scaliger.
9 *Reſpondi* &c. In omnibus MSS, *Reſpondi id, quod erat, nihil neque in ipſis nec Prætoribus &c.* un-
de interpretum ſomnia nata; peſſima lectio *mihi nec ipſi*, quam Vulpius ſecutus eſt. Nam ſu-
pervacaneum pene τὸ *mihi ipſi*, cum infra dicat *cohorti*. Catullus enim erat ex ipſa cohorte.
Quare litterula una mutata ſic lego,

Reſpondi id, quod erat, nihil; neque ipſis
Met Prætoribus eſſe, nec cohorti.

τὸ *met* enim eſt dictio ſyllabica, quæ conjungitur cum pronom, *ego*, *tu*, *ipſe*, *ille* &c. neque
obſtat, quod ſecernatur a ſuo pronomine *ipſis*; hoc enim per figuram τμῆσιν etiam oratoribus
licet, non ſolum poetis, qui conjiciunt in alterum verſum & ſyllabicas dictiones, quæ per
ſe ſtare poſſunt, & verba interſecta, ut ibi *Ulti--moſque Britannos*. ita Hor: *neque purpuram
ve--nale, neque auro*. in quo favet etiam Servius, qui ait, incompoſitam partem orationis in
10 duos verſus dividi poſſe. Leges etiam *Prætoribus* contra legentes *Præconibus*, vel *Quæſtoribus*,
non quia plures Prætores in Bithyniam mitterentur, ut putat Vulpius, & alii inconcinne,
ſed quia olim primi Prætores ita provinciam emunxerunt, ut ne ad caput quidem ungendum
Prætoribus, qui deinde mittebantur, quicquam reliquerint. Neque vero intelligas Prætoria-
nos cum Scaligero, ne videaris & ipſe egere Prætoris opella. Vel enim τὸ *Prætoribus*, vel τὸ
cohorti eſſet inane. Nam cohors ſunt ipſi prætoriani.
11 *Caput* &c. Reſpicit ad veterum morem, qui ſolebant lautius in cœna caput ungere; poeta,
Nam unguentum dabo. Hor: *Ungere ſi caules olio meliore, caputque*. ut ſenſus ſit; *Non fuit, cur
quiſquam lautius ſemel tantum cœnaret Romæ domi ſuæ, & largius caput ungeret*. Palladius enim,
ut minimum dicam, cæcutivit, qui *caput* ſortem vulgo *capitale* interpretatus eſt.
12 *Præſertim* &c. Reddit rationem, quare nihil provincia profuiſſet? quia provinciales pili fa-
ciebant cohortem, occaſione arrepta ex incuria Prætoris inrumatoris, inque pueros, puellu-
laſque dediti. Erat enim Memmius homo libidinoſus, quem & alio loco vocat inrumatorem,
O Memmi me tua trabe inrumaſti. Non enim hoc temere dixiſſet poeta ſemel, iterumque, ſi
prætor in hoc vitium non incubuiſſet; quod eſt in Vulpium, & Scaligerum, qui τὸ *inrumator*
in bonam partem accipiunt pro *infeſtus*. Nam cur infeſtus comitibus eſſe poterat, ſi eos ſpon-
13 te elegerat in cohortem? Ex eo autem *facerent pili* colligas, Catullum natum, & altum fuiſ-
ſe in Sirmione ad lacum Benacum. Nam, ut ait Parthenius, in Gardenſi regione omnes in
vulgari ſermone *pilum* ſervant pro re nullius pretii. poeta alio loco, *Nec pili facit uni*. Hic
enim eſt merus patrius ſermo Catulli. Leges vero *facerent*, ut eſt liquide in libro Scaligeri,
non *faceret*, ut legit cum aliis Vulpius, qui facit ſenſum obſcuriorem in eo, *quibus eſſet in-*
14 *rumator*. Leges etiam *inquiunt*, ut erat in omnibus MSS, non *inquiit*, quod perperam Scaliger.
Illud enim rectius eſt, & venuſtius, quaſi Varus ad facetiam hoc ſtillaverit in auriculam ami-
15 cæ, quæ ſcire nihil poterat, niſi ex hominum voce. Leges quoque, quod erat in omnibus MSS
eſſe, non *ære*. Ad τὸ tandem *natum* ſubaudi *genus hominum*. In Bithynia enim mos lecticarum
inſtitutus, ibique magna copia lecticariorum.
16 *Ad lecticas* &c. Homines ad lecticam dicebantur lecticarii, qui ferebant lecticas. Non enim
erant fabri lecticarum, ut inſulſe putavit Achilles. Nam & colligo ex Cicerone, quem citat,
Mitto haſce artes vulgares coquos, piſtores, lecticarios, qui & ipſi quaſi artem exercebant, alibi,
Coactus ſum in eadem illa lectica, qua ipſe delatus eram, meiſque lecticariis in urbem eum referre.
Solebant autem Romani uti lectica & ad mortuos efferrendos, & vivos exportandos, tum ex-
tra urbem, & in urbe, quem morem acceperunt a Bithynis, qui primi lecticas invenerunt.
Lectica vero habebat pedes ligneos, quos ſervi collo ſibi collocabant, & ligata erat ſtuppis;
tectaque, ubi pulvinus ſternebatur. Lectica enim dicta a lecto, quæ ferebatur modo a ſex,
modo ab octo, unde exaphorum, & octophorum, & in qua recumbebant in cubitum, & ſu-
pini, reſupinique jacebant, dormiebant, legebant, ſcribebantque. Lectica porro divitum la-
xa erat, pauperum arcta, quæ a duobus tantum ferebatur, quæque proprie erat ſella ſimilis
lecticarum noſtrarum, quas nos improprie lecticas vocamus, cum ſellæ ſint ad ſedendum fa-
ctæ tam virorum, quam fœminarum, ex Cic: Catul: Gell: Juv: Mart: & aliis.
17 *Beatiorem* erat in omnibus MSS Achille, & Scaligero teſte, ita ut *beatiorum* ſit ſpuria lectio,
& inepta. Nam ſupra ait poeta, *Neque ipſiſmet Prætoribus eſſe, nec cohorti, cur* &c. Nemo enim

erat, fuitque beatus; quomodo ergo τὸ *beatiorum* ſtare poteſt, ſi omnes infeliciter vixerunt?
immo *beatiorem*, quaſi ipſe ſolus in tantis miſeriis fuerit gallinæ filius albæ. Beatiorem autem
hic idem eſſe, ac pecunioſiorem, docent græci, qui εὐδαίμονας vocant homines copioſos, ita
Euripides citatus a Mureto, & Plautus ibi, *Bonam ego, quam beatam me eſſe mavolo*. *Maligne*
18 vero eſt parce. T. Livius, *Maligne omnia præbentibus*; e contra *benigne* eſt liberaliter. Hor:
Quantumvis tolle, benigne.

19 *Provincia qui* &c. Non poſſum ferre, Quirites, corruptores MSS, in quibus omnibus erat *qui*,
excepto libro Maffei, qui habebat *quod*. τὸ *qui* enim eſt pro *quia*, ut apud optimos ſcriptores,
& Terentium divinum poetam, ibi, *Peccatum imprudentia eſt poeta, non qui furtum facere ſtu-*
20 *duerit*. Infra *octo homines* cum dicit, alludit ad octophorum; quo tamen numero veteres
etiam ad alia utebantur, puta, ſi ſervos verberari juſſerint. Plaut: *Octo lictores affectos virgis*,
ita in conviviis, Plaut: *Paraſitus octo hominum munus fungitur*; & de ſervis, & comitatu,
Juv: *An tibi ſervi octo?* Porro *rectos* h.e. proceros, Hor: *Candida, rectaque ſit*.

24 *Cinædiorem* &c. Comparat amicam cinædis, qui ſunt ad petendum prompti. Mart: *Bucca eſt*
26 *vetuli loquax cinædi*. Leges autem ut eſt in omnibus MSS *iſtos commoda* ultima brevi, more
veterum; ita Mart: *In ſolio puta te mergere, Flacce, caput*. Serapis vero a romanis colebatur ex-
tra urbem, hinc jure ſcortillum petit lecticam a poeta noſtro, Aurelius tamen Imperator
Serapin in urbem tranſtulit.

27 *Mane* &c. In omnibus MSS erat *Mane me inquit puella*, hinc optime Scaliger *inquit*. τὸ *me*
tamen eſt retinendum, licet aliquando omittatur, ut apud Plautum, *mane, unum venit in*
mentem modo. *Fugit* autem *ratio*, cum erramus, & memoriam amittimus. Cic: *Qui ſe fugiſſe ra-*
30 *tionem dicet, is animi vitio videbitur neſciſſe, non imprudentia*. Porro *Cinna Cajus*, (quod triſyl-
labum eſt,) erat ille, qui una cum Catullo Memmium ſecutus fuerat in Bithyniam, ubi
ſibi octo homines ad lecticam paraverat, quod & ipſe teſtatur his verſiculis allatis a Scalige-
ro, quibus Aratea Phænomena amico mittit,

ibi, *Hæc ubi Arateis multum vigilata lucernis*
Carmina, quis ignes novimus aerios,
Lævis in aridulo malvæ deſcripta libello,
Pruſiaca vexi munera navicula.

Ille idem, qui opus *Zmyrna* dictum compoſuit, de quo poeta noſter,

ibi, *Zmyrna mei Cinnæ nonam poſt denique meſſem,*
Quam cœpta eſt, nonamque edita poſt hyemem.

Notandum poſtremo mihi occurrit τὸ *Cinna eſt Cajus, is* &c. teſtem enim quaſi appellat Cin-
nam in rem. Dictio enim hæc familiaris eſt in judiciis, cum teſtes appellabant. Cicero in
Verrem, *C. Sulpitius Olimpius fuit, is mortuus eſt*. alibi, *Melitenſis Diodorus eſt, is Lilybæi multos*
annos habitat. alio loco, *Inſula eſt Melita, Judices*.

31 *Verum* &c. Leges ut erat in MSS, & excuſſis *verum utrum*; poeta, *Utrum ſit, an non ſit, id*
quoque neſcit. *Inſulſa* autem, quia erat ſine ſale in petendo, ut potius moleſtiam afferret;
hinc vocat eam *moleſtam*, quod explicat Plautus, *Moleſtæ ſunt, orant, ambiunt, obſecrant*.
Cicero, *Qui moleſti ſunt, a me negari non patiuntur*.
τὸ *vivis* autem cum dicit, oſtendit, meretriculam amicam Varii non ſolum hic, & nunc
moleſtam, & inſulam eſſe, ſed etiam ſemper talem vixiſſe, talemque futuram. Vivere tamen
idem eſt, ac eſſe,
Horatius, *Sine vivat ineptus*.

34 Tandem leges *negligentem*, ut erat in MSS omnibus, non *negligenti*, ut prave legit Douſa.
Negligens autem eſt incautus;
poeta, *Tollis lintea negligentiorum*.
Quos enim arripiebat amica Varii, tenebat, ſugebatque miſellos, non miſſura cutem, niſi
plena cruoris hirudo.

AD FURIUM, ET AURELIUM.

Furi, & Aureli, comites Catulli,
Sive in extremos penetrabit Indos,
Litus ut longe reſonante eoa
Tunditur unda.
Sive in Hircanos, Arabaſque mollis,
Seu Sacas, ſagittiferoſque Parthos,
Sive qua ſeptemgeminus colorat
Æquora Nilus.
Sive trans altas gradietur Alpes
Cæſaris viſens monumenta magni,
Gallicum Rhenum, horribileſque, ulti-
moſque Britannos.
Omnia hæc, quæcumque feret voluntas
Cælitum, tentare ſimul parati,
Pauca nuntiate meæ puellæ
Non bona dicta,
Cum ſuis vivat, valeatque mæchis,
Quos ſimul complexa tenet trecentos,
Nullum amans vere, ſed identidem omnium
Ilia rumpens.
Nec meum reſpectet, ut ante, amorem,
Qui illius culpa cecidit, velut prati
Ultimi flos, prætereunte poſtquam
Tactus aratro eſt.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Furi* &c. Verſus eſt hendecaſyllabus Sapphicus a puella Sappho inventrice conſtans ex trochæo,
ſpondæo vel trochæo, & dactylo, & duobus trochæis in tribus primis verſibus, in quarto,
qui vocatur adonius, dactylo, & ſpondæo, in quo poeta mandat Furio, Aurelioque, ut, ubi
terrarum Lesbiam fœdifragam invenerint, ſuo nomine valedicant. Furius autem erat Piſau-
rienſis ille, de quo poeta, *Iſte tuus moribunda a ſede Piſauri hoſpes*, homo bellus, & macer
cinædus, pauperque, de quo alio loco, *Furi, quoi neque ſervus eſt, neque arca*. Furor enim bi-
bentis eſt, Furium hunc Bibaculum putare Cremonenſem illum obeſum, vel Furium accuſa-
tum a Catone *de repetundis*, ut putat Voſſius ipſe potius accuſandus lege Cornelia *de falſis*.
Nemo enim eorum erat ita miſer, riſuque dignus, qualis Furius noſter, quem toties irridet
poeta, ut qui cacaret decies in anno. Aurelius vero & ipſe pene cinædus romanus miſellus,
de quo poeta, *Aureli pater eſuritionum*; alibi, *Pædicabo vos Aureli pathice, & cinæde Furi*. Non
enim hic eſt Aurelius Cotta Prætor, qui ſub Mario pugnavit, niſi forte homines repueraſcunt,
vel bimus, trimuſque pugnavit, qui ne contra ranas quidem. Quare ne dubites de Aurelio
romano, deque Furio piſaurienſi cinædis, de quibus toties loquitur Catullus. *Comites* autem
futuri erant in itinere. Fortaſſe enim poeta Lesbiam, quæ aufugerat ab eius ſinu, ſequi, &
quærere volebat una cum amiciſſimis ſuis; ſive in extremos ea penetrabit Indos, horribileſve,
2 ultimoſque Britannos. *Penetrabit* enim cum dicit, ſermo eſt de Lesbia, quæ ad alios mæchos
convolaverat. *Indos* vero *extremos* vocat, quia ultimi ad orientem. Hor: *Extremos curris me-*
3 *rcator ad Indos*. τὸ *ut* tandem eſt pro *ubi*, de quo mone lexicographos; alio loco, *Verum totius*
ut lacus, putidæque &c. h. e. ubi lacus &c.
5 *Sive in Hirc.* Hircani Aſiæ populi, ubi nunc Perſæ, Arabes & ipſi, habentque ad ſept. Syriam,
& Euphratem, quos vocat *molles*, quia ſunt in aere clementiſſimo. Virg: *molles ſua thura Sabæi*.
Luc;

Luc: *Quidquid ad Eoos tractus, mundique tepores*
-- *Naſcitur, emollit gentes clementia cœli,*

6 Leges autem *Sacas*, non *Dacas*, quod nullo eſt in MSS. Sacæ vero ſunt Scythæ, quorum magna pars Dacæ, quibus vicini Parthi a Scythis oriundi, omnes ſagittarum jaciendarum peri-
8 ti. Hor: *Miſſilibus melior ſagittis Dacus*. G. C. *A guiſa d' un arcier preſto* Soriano. *Nilus* porro Africæ flumen, quod in mare ægyptium prorumpit ſeptem faucibus, quodque colorat aquas limo ſuo. Virg: *Et ſeptemgemini turbant oſtia Nili*. Strabo tamen undecim fauces deſcribit, Phtolemæus novem, a quibus curioſiores diſcedunt; quorum omnium litem præcides, ſi te referes ad varios temporum ſtatus. Lapſu enim temporis longo fauces aridæ factæ anſam diſputandi dederunt; Nam exemplum habemus fluminum, & lacunarum, quæ olim alueo aquarum pleno, nunc ſicco currunt.
9 *Sive trans* &c. Alpes montes altiſſimi, qui Italiam ſeperant ab Gallia, ubi Cæſaris monumenta
10 conſpiciebantur. Leges autem ut eſt fere omnibus in monumentis olim ab Achille examinatis Romæ, atque alibi, *monumenta*, non *monimenta*, quæ nempe ſunt ſtatuæ, fana, tituli, porticus, & alia, quæ nos monent. Julius enim Cæſar iam Gallos feliciter vicerat; hinc collige-
11 re fas eſt, carmen hoc compoſitum fortaſſe Marcello, & Sulpitio Coſſ: *Rhenum* vero ex Alpibus oritur, Galliam a Germania ſejungit, exoneratque ſeſe in Oceanum Britannicum. *Britanni* tandem populi horribiles, & crudeles in hoſpites, in inſula ſeptentrionali Britannia dicta. Hor: *Viſam Britannos hoſpitibus feros*, quorum feroces animi in ſuperbiam mutati ſunt;

Dantes. *Lì ſi vedrà la ſuberbia, che aſſeta,*
Che fa lo Scoto, el' Inghileſe folle,
Sicchè non può ſoffrir dentro a ſua meta.

Vacat eos & *ultimos*, quia pene ultimi in plaga ſeptentrinali, non quia America veteribus nota non fuiſſet, & aliæ inſulæ, ad quas propter locorum diſtantiam navigatio, & mentio interrupta eſt. Nam Ariſtoteles narrat, a Carthaginenſibus extra columnas Herculis inſulam vaſtam inventam; & Plato de orbe incognito diſſerit, ita & Cicero; quid Mela? *Illius ſitus ob ardorem intercedentis plagæ incognitus*; & Seneca, *Ingens pateat tellus, Taphiſque novos -- Detegat orbes, nec ſit terris ultima Thulle*. Non enim noſtris gloria tota eſt, ſed etiam veteribus, quos, ut cæterarum rerum, ita & ventorum, & aquarum peritiores puto.
14 *Tentare* dicitur de his rebus, quas nunquam experti ſumus. Hor: *Boſphorum tentabo navita*. το
15 autem *Nunciare* ſumptum eſt ab auguribus, qui bona, vel mala verba nunciabant. Cic: *Augur Auguri obnunciaviſti*. Hom: κακὸν ἔπος ἀγγελέοντα.
17 *Cum ſuis* &c. Repudium mittit Lesbiæ poeta iratus. *Valeat* enim in malam partem accipitur. poeta, *Vale puella, iam Catullus obdurat*, Ter: *Valeat, vivat cum illa*. Valere enim eos jubemus, quos amplius videre nolumus, vel viſuri non ſumus. Plaut: *Ego abeo, valete*. Hor: *Me imperioſa trahit Proſerpina vive, valeque*; hinc mortuis dicimus *vale*. poeta, *Frater ave, atque*
18 *vale*. Verbum autem *tenet* amantium eſt. Virg: *Cum me Galatea tenebat*. Hor: *Amor Lyciſci me tenet*. Porro *trecentos* dicebant veteres, cum magnum numerum ſignificabant. Hor: *Tercentos in-*
19 *geris*. Plaut: *Te tribus verbis volo, vel trecentis*. Vltimam vero in *omnium* abſorbet prima vocalis in *ilia*, ut ſæpiſſime in Virgilio. *Rumpere* tandem *ilia* meretricum proprium eſt. Nam
20 in Veneris deliciis ilia, & latera maxime exercentur; Au: Priap. *Venus jocoſa molle ruperit latus*; Prop: *Rumpet ut aſſiduis membra libidinibus*. Non enim *Ilia rumpere* eſt agere furore, ut furioſe putat Achilles.
21 *Reſpectet* idem eſt, ac expectando reſpiciat, Cic: *Me par munus in petitione reſpectet*. Leges autem, ut erat in omnibus MSS *ultimi flos*, non *ultimus*, quod legit perperam Muretus. Comparat vero amorem ſuum erga Lesbiam flori ab aratro pertuſo, qui in priſtinam formam non reviviſcit. *Ultimi* porro *flos* eſt ad prati extrema, quæ ad marginem deſinunt; quam ſimilitudinem imitatus eſt Virgilius,

ibi, *Purpureuſque velut cum flos ſuccifus aratro*
Languſcit moriens.

Are: *Come purpureo fior languido more,*
Che il vomere al paſſar tagliato laſſa.

AD ASINIUM

Marrucine Aſini, manu ſiniſtra
Non belle uteris in joco, atque vino;
Tollis lintea negligentiorum.
Hoc ſalſum eſſe putas? fugit te, inepte,
Quamvis ſordida res, & invenuſta eſt?
Non credis mihi? crede Pollioni
Fratri, qui tua furta vel talento
Mutari velit; eſt enim leporum
Diſertus pater, ac facetiarum.
Quare aut hendecaſyllabos trecentos
Expecta, aut mihi linteum remitte,
Quod me non movet æſtimatione,
Verum eſt μνημόσυνον mei ſodalis.
Nam ſudaria ſetaba ex Iberis
Miſerunt mihi muneri Fabullus,
Et Verannius; hæc amem neceſſe eſt,
Ut Veranniolum meum, & Fabullum.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Marrucine* &c. Verſus eſt hendecaſyllabus, in quo poeta obiectat lintei furtum Aſinio, quem
vel ad pænam ſubeundam, vel ad linteum remittendum hortatur. Hæc autem compoſuit, po-
ſtquam rediit ex Bithynia, ex illis verbis, *Nam ſudaria ex Iberis*. Prior enim Catullus ex Bi-
thynia cum Memmio, dein Fabullus, & Verannius ex Iberis cum Piſone redierunt, ut patet
ex eo loco, *Ut mihi, qui meum ſecutus Prætorem -- Refero datum lucello*. Aſinius vero erat frater
Pollionis, *marrucinus* dictus non a Marrucinis Campaniæ populis, ut credunt omnes docti, ſed
a græco *μυῤῥὸν*, quod eſt *ferreum inſtrumentum*, & *Ξυνίζειν lancinare*; Compoſuit enim de in-
duſtria hoc verbum poeta, alluſitque ad ungues acutos, & furtificos Aſinii, qui erant tanquam
ferrum acutum ad rapiendas, lancinandaſque mappas, & lintea accomodatiſſimum. In furibus
enim ungues notantur. poeta, *ſudariumque tuis ab unguibus reglutina*. Neque audias Scalige-
rum, qui hoc nomine convicium ſtupidis fieri putat. Quis enim ſtupidus ſtupidum Aſinium ju-
dicat, qui lintea tam belle furabatur? Quare apage Scaliger cum Paulino, tuoque vix ar-
genteo dono, quique te defendunt, in hoc marrucinos aſinios, inquam, aſinos judico. *Manus
ſiniſtra* autem ad furandum idonea. Plaut; *Cedo manum; ubi altera furtifica lava?* dextera
vero fidelis, per quam orabant; Hom; δεξιῇ &c. *Dextra amice accipiebant*; Plaut: *Per dexteram*
3 *tuam te oro*. *Lintea* vero ſunt mappa, vel mantele ex lino factum, de quo mone lexicographos;
tum quia agitur hic de rebus, quæ in cæna ſunt, ex illis verbis, *in joco, atque vino*, tum quia
mali convivæ ſolebant furari mappas, & mantelia. Mart: *Attulerat mappam nemo, dum furta ti-*
4 *mentur -- mantele e menſa ſurripit Hermogenes*. *Hoc ſalſum* h. e. dictum ad facetiam putas? Cic:
Non hoc ſalſum, & venuſtum eſt. *Inepte* &c. Vocat ineptos furunculos omnes, ita Thallum,
5 *Inepte, qua palam* &c, *quamvis* vero pro *quantum*; *vis* autem additur ad elegantiam contra Vulpi-
6 um. *Pollio* deinde frater Aſinii, homo doctus, ac plenus facetiarum, de quo Hor, & Quint:
8 Leges autem *mutari* cum MSS, non *multari* cum Voſſio. Alludit enim poeta ad veterum mo-
rem, qui in emptione, & venditione res commutabant. Virg: *Nautica pinus mutabit merces*.
9 Leges etiam ut eſt fere in omnibus MSS *diſertus pater*, quod probant fere omnes critici, non
puer cum Mureto; Pueri enim improprie diſerti ſunt, e contra τὸ *pater* venuſtiſſimum eſt, &
Catullo cariſſimum. Pater enim vocatur, qui in aliqua re princeps, & caput eſt. Poeta, *Au-*
13 *reli pater eſuritionum*. Hor: *Ajebat cana pater*. μνημόσυνον h. e. pignus. Leges autem ut erat in
14 MSS *Setaba ex Iberis*, non *Setabe ex Ibera* vitioſe cum Voſſio, & Vulpio, contra quos pugnat
& vetus ſcriptura ab ipſis citata *Setaba exhibere*. Ab urbe enim Setabe in regno Valentiæ in
Italiam lini magna copia tranſportabatur. Strabo, *Inde per Saguntum, & Setabin urbem, unde*
16 *ſpartum funibus texendis aptum, quod exportatur in Italiam*. Leges tandem ut erat in omnibus
MSS Achlile teſte *hac amem*, nempe ſetaba ſudaria, ita ut *hoc*, quod legebatur, expungas
neceſſe ſit.

AD FABULLUM

Cænabis bene, mi Fabulle, apud me,
Paucis, ſi tibi dii favent, diebus,
Si tecum attuleris bonam, atque magnam
Cænam, non ſine candida puella,
Et vino, & ſale, & omnibus cachinnis.
Hæc ſi, inquam, attuleris, venuſte noſter,
Cænabis bene; Nam tui Catulli
Plenus ſacculus eſt aranearum.
Sed contra accipies meros amores,
Seu quid ſuavius, elegantiuſue eſt.
Nam unguentum dabo, quod meæ puellæ
Donarunt Veneres, Cupidineſque,
Quod tu, quom olfacies, deos rogabis,
Totum ut te faciant, Fabulle, naſum.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Cænabis*, &c. Verſus eſt hendecaſyllabus, in quo poeta invitat ad cænam Fabullum hominem lepidum, ut colligo ex eo, *Et omnibus cachinnis*. *τὸ bene* autem explices recte, & honeſte, non laute cum Vulpio, in quem facit Cicero, *Quem libenter cænaſſe nemo negat; cur non bene? quia quod bene, id recte, frugaliter, honeſte*. Verſiculum vero imitatus eſt Martialis, *Cænabis belle Juli Cerealis, apud me;* Antequam cænabant, manus lavabant, & in balneum deſcendebant, ex græcis, Hom: ὕδωρ &c. *Aquam manibus infundebant*. Togas autem deponebant, & ſyntheſim, vel pallium, vel lænam induebant, ungebanturque unguentis, caputque floribus coronabant, ſoleiſque depoſitis in cubitum poſiti cænebant, frugi tamen homines & honeſti ſedentes, ut etiam olim primis temporibus fere omnes; nobilior in menſa locus medius, ſervi aſtabant, & cæna tripliciter dividebatur; primo ante cæna, quando echini, oſtreæ, lactucæ, radiceſque ponebantur, dein proprie cæna, quando ſumina, ſinciput; aliaque lauta, tandem bellaria, reſque dulces; ſæpe tamen ova erant principium, poma finis cænæ; ſalinum ſemper in menſa, & imagines deorum, quibus pars cænæ, nunc in pateris, ſi dii magni, nunc in patellis, ſi penates minuti, donabatur; poſt cænam talis ludebant, quique Venerem jaciebat, magiſter erat bibendi, propinabatque magnum poculum, quod bibendum proximo convivæ offerebatur; erat etiam ludus, in quo a ſummo conviva ad imum bibebatur, & pocula coronata circunferebantur, ex græcis. Hom: κρατῆρας &c. *Crateres coronarunt potus*; hinc ſalutabant amicas, amicoſque, & convivis præmia dabantur, reſque dulces, quas domum referebant; cantabant etiam, ſaltabantque, ex grecis, Hom: κρατῆρας &c. *Cantus, & ſaltatio; hæc enim ſunt ornamenta convivii*.

2 *Paucis* h.e. intra paucos dies; ita Prop: *Venturum paucis me puto luciferis*. Leges autem contra Voſſium *favent*, ut eſt in MSS, non *favint*. Leges etiam, ut erat in omnibus Cod. Achille teſte, *venuſte noſter*. Porro *aranearum* dicit, quia Catullus pauper erat. Non enim audiendus eſt Sc. Maphejus, qui putat, hoc a poeta lepide dictum, contra quem eſt alter locus Catulli, *Iſque domum nobis, iſque dedit dominam*. Araneæ autem argumentum ſunt paupertatis. Afranius apud Nonium, *Tamne arcula tua plena eſt aranearum*? Plautus, *Araneas illas mihi*
11 *ſervari volo, pauper ſum*. *Unguentum* vero cum dicit, alludit ad morem conviuarum, qui ſe, caputque ungebant, & etiam ad Veneris unguentum.

Prop; *Nen Arabum de gramine odores, --*
Sed quos ipſe ſuis fecit amor manibus.

Verbo tandem *naſum* lepide laudat unguentum. Opus tamen erat voce theſſala, ut deos ad hanc metamorphoſim moveret, quamquam diis facile eſt, & Martialis facillimum putat,

ibi: *Naſutus ſis uſque licet, ſis denique naſus.*

alibi. *Mentula tanta tibi eſt, tantus tibi Poſthume naſus,*
Ut poſſis, quoties arrigis, olfacere.

AD CALVUM

Ni te plus oculis meis amarem,
Jucundiſſime Calve, munere iſto
Odiſſem te odio Vatiniano.
Nam quid feci ego, quidve ſum locutus,
Qur me tot male perderes poetis?
Iſti dii mala multa dent clienti,
Qui tantum tibi miſit impiorum.
Quod ſi, ut ſuſpicor, hoc novum, ac repertum
Munus dat tibi Sulla litterator,
Non eſt, mi, male, ſed bene, ac beate,
Quod non diſpereunt tui labores.
Dii magni, horribilem, & ſacrum libellum,
Quem tu ſcilicet ad tuum Catullum
Miſti, continuo ut die periret
Saturnalibus optimo dierum.
Non non hoc tibi, ſalſe, ſic abibit;
Nam, ſi luxerit, ad librariorum
Curram ſcrinia, Cæſios, Aquinios,
Suffena omnia colligam venena,
Ac te his ſuppliciis remunerabor.
Vos hinc interea valete, abite
Illuc, unde malum pedem tuliſtis,
Sæcli incommoda, peſſimi poetæ.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Ni te* &c. Verſus eſt hendecaſyllabus, in quo poeta lepidam gratiam refert Calvo, a quo peſ-
ſimos poetas dono acceperat. Calvus autem Licinius facetus homo, ut patet ex eo, *jucun-
diſſime;* alibi, *Abii tuo lepore incenſus, Licini*; ſtatura brevi, quem nimirum alio loco vocat *ſa-
laputium diſertum;* orator; nam cauſas in Vatinium dixit, ex eo, *Quom Vatiniana meus crimina
Calvus explicaſſet;* etiam poeta, cujus hoſce duos verſus in Pompejum habemus,

Magnus, quem metuunt omnes, digito caput uno
Scalpit: quid credat, hunc ſibi velle virum?

amicus poetæ, a quo plus oculis amabatur; Nihil enim carius oculis habemus. Plaut: *Te
tamquam oculos amet*. Cicero habet quid ſimile, *Niſi te valde amarem, extimuiſſem* &c. neque
putes, Calvos eſſe duos, oratorem unum, poetam alterum, ut torve putarunt Parthenius, &
Palladius.

3 *Odio Vatiniano* h. e. odio Vatinii in Calvum Licinium, non in Ciceronem, vel Ciceronis in
Vatinium, ut quidam infauſte vaticinati ſunt. A. Licinio enim Vatinius ſæpiſſime apud po-
pulum accuſabatur, ut ex eo carmine clarum eſt, *Riſi neſcio quem modo in corona*. *odio* autem
odiſſem dictum eſt ut apud Sophoclem allatum ab Achille, ἔχθος ἐχθήρας, & apud ſexcentos
5 alios; τὸ *male* vero refertur ad poetas, ut belle notavit Scaliger notatus a Vulpio non belle;
ita enim dicitur malepoeta, ut malegenius, malemas; poeta, *Male me marem putatis*. hoc
enim familiare eſt Catullo; alibi, *Inſulſa male, & moleſta vivis*.

6 *Iſti dii* &c. Imprecatio, qua optat mala multa clienti, qui ob defenſam fortaſſe cauſam Cal-
vo donaverat inſulſos poetas, quos deinde ſalſe Calvus donavit Catullo. Cliens autem fuit
Grammaticus ille Cornelius Epicadus Syllæ libertus, qui manumiſſus ſibi nomen Syllæ aſſum-
7 pſerat; hinc infra *Sulla litterator*. τὸ *impiorum* vero non indoctorum, ut explicavit Vulpius lon-
ge petitum, ſed quia occidunt legentes; hinc alibi *Nefaria ſcripta*, & alio loco, *Plenam ve-
neni, ac peſtilentiæ*; hinc ſæpe utitur hic verbo *perderes*, *periret*. Cic: *In impios*, & *conſceleratos*

pœnas

pænas conſtitutas. Leges porro, ut erat in omnibus MSS Achille teſte, *novum, ac repertum*, non *refertum*, quod legit invenuſte Vulpius. Lege etiam *Sulla*, qui erat litterator, non *Silo*, qui erat leno, contra Parthenium.

10 *Non eſt* &c. En εἰρωνείᾳ ſalſiſſima, qua pene irridet Caluum; τὸ enim *mi* eſt caſus vocativus, non dativus, ut credit Vulpius; Nam blandior appellatio in ironia accomodatiſſima eſt. *Beate* vero refertur ad muneris copiam; poeta, *Unum me facerem batiorem*.

12 *Dii magni* &c. ἐκφώνησις, quæ inſervit omnibus animi motibus; alio loco, *Dii magni, facite, ut vere promittere poſſit*. magni autem dii ſunt majorum gentium, nempe quibus pateræ offerebantur, ad quas alludit Cicero ibi, *Patellæ, pateræ, thuribula*, quoſque enumerat Ennius, *Juno, Veſta, Ceres, Menerua, Dejana, Venus, Mars, -- Mercurius, Jovi, Neptunus, Volcanus, Apollo*. Vocat vero *ſacrum* libellum h.e execrandum. poeta, *Sacer alarum obſtitit hircus*. Hor. *Inteſtabilis, & ſacer eſto*. Virg: *Auri ſacra fames, quid non mortalia pectora cogis?* quem ſenſum habent etiam Itali, Dantes; *Perchè non reggi tu, o ſacra fame -- Dell'oro l'appetito de mortali?* Hic tandem, & tres, qui ſequuntur, verſus aptiorem hoc locum nanciſci non poſſunt contra diſtortam opinionem Scaligeri.

14 *Miſti* pro *miſiſti* dictum κατὰ συγκοπήν, qua poeta maxime delectatur; ita alibi *triſti* pro *triviſti*.

15 Porro *optimo die* cum dicit, docet, tunc temporis unum tantum diem Saturnaliorum fuiſſe; grammatici tamen adhuc litem tractant de Saturnaliorum diebus, & ita clamant, ut rauci fiant; alii enim volunt eſſe tres, alii quinque, alii ſeptem, alii alia, quos verbo concilies, ſi ſecernas tempora, & annos. Nam poſt reges exactos uſque ad C. Cæſarem Saturnaliorum una tantum dies celebrabatur. T. Livius, *A Sempronio, & Minutio Coſſ. ædes Saturno dedicata, Saturnalia inſtitutus feſtus dies*. poeta, *Saturnalibus optimo dierum*. a C. Cæſare autem ad Caligulam tres dies. Cicero ad Atticum ſcribens, Cæſare iam mortuo, compoſitoque, *ſe cum ſecundis Saturnalibus ad Philippum*, deinde, *Ille tertiis Saturnalibus* h. e. ſecundo, & tertio die Saturnaliorum. a Caligula vero dies quinque inſtituti; Mart: *Saturnalibus Vmber -- Munera contulerant quæ tibi quinque dies*. Solebant enim veteres munera ſibi invicem mittere, togaſque deponere, & veſtes cæna dignas induere; Mart: *Nil laſcivius eſt Chariſiano -- Saturnalibus ambulat togatus*. Servi liberi erant, quorum vices domini ſubibant. Hor: *Age libertate decembri utere*. Mane lavabantur, quia ſtatim e lecto ad menſam conuolabant; Tert: *Non lavor diluculo Saturnalibus, ſed hora honeſta*; & clamabant per urbem *Io Saturnalia*; Mart: *Clamant mei Saturnalia verſus*.

19 *Non non* ἀπαξίτησις negativa magis auget, a grecis ſumpta; Hom: οὐδὲ γὰρ οὐδὲ &c. Prop: *Non non humani ſunt partus talia dona*. Ex eo autem *ſalſe* colligo, poetas illos data opera Catullo

17 miſſos a Calvo fuiſſe; et ex eo *ſi luxerit*, donatos noctu, quum cænabat. In cæna enim legebatur; poeta, *Vocat me, quom malum legit librum*. Cic: *Nondum lucebat, cum Ameriæ ſcitum eſt*. *Scrinia* vero erant capſæ, in quibus libri reponebantur, Hor: *chartas, & ſcrinia poſco*. Leges porro *Aquinios*, non *Aquinos* duæ litteræ in unam poetarum licentia. Cic: *Mihi fuit cum Aquinio poeta amicitia*. De Cæſio extat hic verſus ineptus, *Has res ad te ſcriptas Luci, miſimus, Æli*. Leges tandem *Suffena* h. e. Suffeniana, ut habent Codices teſte Marcilio, non *ſuffenum*, quod ſpurium eſt. Poſtremo *venena* dicit, quia poetæ illi non ſolum erant inſulſi, ſed etiam maledici, poeta, *Orationem plenam veneni, ac peſtilentiæ legit*.

21 *Vos hinc* &c. ἀγανάκτησις dono accepto digniſſima, qua effertur poeta & alio loco, *At vos interea venite in ignem -- Annales Voluſi, cacata chartæ*; τὸ enim *valete* indignantis eſt. poeta, *Vale puella*. Ter: *Valeat, vivat cum illa*. Dicit autem *incommoda*, quia incommodum legentibus ferebant, & moleſtiam. Incommode tandem, & extra chorum ſaltat Vulpius, qui reponit hic quatuor verſus, quorum primus, *Si qui forte mearum ineptiarum*. Nam præterquamquod MSS reclamant, etiam ſenſus. Nullum enim facit verbum de ſe poeta, qui claudit omnino hendecaſyllabum ultimo verſu, *Sæcli incommoda, peſſimi poetæ*, ut ibi, *Annales Voluſi, cacata charta*.

AD AURELIUM

Commendo tibi me, ac meos amores,
Aureli; veniam peto pudentem,
Ut ſi quicquam animo tuo cupiſti,
Quod caſtum expeteres, & integellum,
Conſerves puerum mihi pudice,
Non dico a populo, nihil veremur
Iſtos, qui in platea modo huc, modo illuc
In re prætereunt ſua occupati,
Verum a te metuo, tuoque pene
Infeſto pueris bonis, maliſque,
Quem tu, qua lubet, ut lubet, moveto
Quantumvis, ubi erit foris paratum.
Hunc unum excipio, ut puto, pudenter.
Quod ſi te mala mens, furorque vecors
In tantam impulerit, ſceleſte, culpam,
Ut noſtrum inſidiis caput laceſſas;
Ah te tum miſeri, malique fati,
Quem attractis pedibus, patente porta,
Percurrent rhaphanique, mugileſque.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Commendo* &c. Verſus eſt hendecaſyllabus, in quo poëta commendat Aurelio puerum ſuum,
quem ne pædicet, rogat, quod ni faciat, mæchorum pœnam minitatur. *Amores* autem vo-
cat puerum ſuum, quem amabat, non Juventium, quem nunquam amare potuit, ſed alium
quempiam, præterquamquod Juventius erat cinædus notiſſimus, amatus a Furio, & ab aliis,
4 hic contra puer caſtus, & integellus: Cic: *Hominem integrum, & caſtum cognovi.* τὸ vero *bonis,*
10 *maliſque* ſpectat ad corporis formam. poeta, *Quicquid habes boni, malique dic nobis.* Verbum
11 porro *moveto* eſt in obſcenis, de quo mone lexicographos. Juv: *Ac lana teſte moventur,* ita &
12 τὸ *paratum.* Ovid: *At deus obſcena quoque parte paratus.* Leges deinde *ubi erit foris* h. e. e domo
mea; poeta, *Neu tibi lubeat foras abire.* ſic enim erat in Maffei libro, licet in aliis *tibi* vitioſum
pro *ubi.*

16 *Caput* &c. τὸ *caput* ajo contra doctos referri ad Catullum, non ad puerum; primo colligo ex
verbo *inſidiis.* Nam ut, cum ſectamur nuptam, inſidias ſtruimus marito, ita & Aurelius, ſe-
ctando puerum, inſidiabatur Catullo; tum ex verbo *laceſſas,* quod tandem confirmat alter poe-
tæ locus ad Aurelium de hoc eodem puero, *Nam inſidias mihi inſtruentem -- Tangam te prior
irrumatione.* Leges autem, ut erat in omnibus MSS, & excuſſis, *Ah te tum miſeri,* non *mi-*
18 *ſerum,* ita a græcis homines boni fati ὀλβιόμοιροι vocantur. Leges etiam non *atratis,* nec *ar-
tatis,* ſed *attractis.* Nam rei pedibus attrahebantur ſurſum. Seneca, *Alii capite converſo in
terram ſuſpendere, alii per obſcena ſtipitem agere;* ad quod alludit Cic: *Trahantur per me pedibus om-
nes rei.* Neque juvat Terentius allatus a Vulpio, cum ait, *colligavit* puta manus, membraque,
non pedes; cui verbo repugnat τὸ *patente;* quomodo enim culus patere poteſt, ſi pedes colli-
gantur, immo quomodo mugiles immittuntur? Neque τὸ *porta* explices civitatis, vel domus
cum Parthenio, ſed podicem. Ovid: *Ad portam veniet ſalax aſellus:* Au. Priap: *Eundo, & exe-
undo porta te faciet patentiore;* de quo mone lexicographos. In portam igitur raphani, (genus
radicis notiſſimæ, non piſcis, ut putat Silvius) & mugiles (genus piſcium capitatum) im-
mittebantur. Juv: *Quoſdam mæchos & mugilis intrat.* Erant & aliæ mæchorum pœnæ. Hor:
Cuidam teſtes, caudamque ſalacem -- demeteret ferro. Ter: *minitatur, quod mæchis ſolet* &c. Mart:
Veh tibi, dum ludis, caſtrabere. quod ſupplicium tractum eſt ab Athenienſibus, quodque decla-
rat Didymus allatus ab Achille ἐν ᾧ ῥαφανίδες πολλαὶ &c.

AD AURELIUM, ET FURIUM

Pædicabo ego vos, & inrumabo,
Aureli pathice, & cinæde Furi,
Qui me ex verſiculis meis putaſtis,
Quod ſint molliculi, parum pudicum.
Nam caſtum eſſe decet pium poetam
Ipſum, verſiculos nihil neceſſe eſt,
Qui tum denique habent ſalem, ac leporem,
Si ſunt molliculi, ac parum pudici,
Et, quod pruriat, incitare poſſunt,
Non dico pueris, ſed his piloſis,
Qui duros nequeunt movere lumbos.
Vos, quod millia multa baſiorum
Legiſtis, male me marem putatis?
Si qui forte mearum ineptiarum
Lectores eritis, manuſque voſtras
Non horrebitis admovere nobis,
Pædicabo ego vos, & inrumabo.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Pædicabo* &c. Verſus eſt hendecaſyllabus, in quo poeta defendit verſiculos laſciviores ſuos, mores, vitamque contra Aurelium, & Furium, quibus pædicationem, irrumationemque minitatur. Hæc autem compoſuit poſt carmen illud, *Vivamus mea Lesbia*, & alterum, *Quæris,*
4 *quot mihi baſiationes tuæ Lesbia* &c. in quibus multa millia baſiorum leguntur, propter quæ a Furio, Aurelioque tanquam impudicus lacerabatur poeta. τὸ *molliculi* vero ad cinædos ſpectat, puellulaſque. poeta, *Cinæde Thalle, mollior &c.* Plaut: *Ita fuſtibus ſum mollior miſer magis, quam ullus cinædus. Caſtum* porro cum dicit, excuſat ſuorum carminum laſciviam; ita Mart: *Laſciva eſt nobis pagina, vita proba*, & Ovid: *Diſtant mores a carmine noſtro.*
7 *Qui tum* &c. Affert rationem, cur poetæ caſti carmina laſciva faciant; quia, quo molliora, eo magis delectant auditorem. Mart: *Non poſſunt ſine mentula placere.* alibi, *Lex hæc carminibus data eſt jocoſis, --Ne poſſint, niſi pruriant, placere.* τὸ *ſalem* autem importat veneres, leporeſque. Hor: *Plautinos laudavere ſales.* etiam Itali, Alb: *Li tuoi ſali vanno ſenza denti. Piloſis* ve-
10 ro cum dicit, intelligit homines ſeveros; Verſus porro, *Qui duros nequeunt movere lumbos*, totus obſcænus eſt; poeta, *qua lubet, ut lubet moveto.* Juv: *Luna teſte moventur.* alibi, *Clunem*
13 *agitant.* Leges tandem verſiculum decimum tertium cum interrogativo ad majorem vim, ac venuſtatem.
14 *Siqui forte* &c. In MSS *ſi qui* h. e. vos Aureli, & Furi, qui ſi &c. non *ſi qua*. τὸ autem *ineptiarum* non eſt dictum ταπεινῶς, ut putat Muretus, ſed ſpectat ad amores, deliciaſque, quibus plenus Catulli libellus; poeta, *Cur non latera exfututa pandas, --Nec tu quid facias ineptiarum?*
15 Porro *voſtras* ἀρχαϊκῶς pro *veſtras*, quod ſæpe occurret. Verſiculi tandem iſti quatuor, quos critici modo ad illum, modo ad alterum locum appingunt, aptiorem hoc locum ſortiri non poſſunt; ſenſus enim eſt. *Vos, qui legiſtis multa baſiorum, ſi forte* (ſubaudi *iterum*) *lectores eris, manuſque veſtras admovebitis nobis, puniam vos pœna digna cinædis, nempe pædicabo vos.* In noſtro enim hic ſunt nonnulla abraſa, quæ vix conjectura aſſequuntur, quod diſcordia ortum puto librariorum, eruditorumque. Cæterum nullum eſt verbum, quod ſuperioribus non cohæreat; quod ſi forte iterum Catullum hic quaſi murænam exoſſetis, ac deſquametis, exoſſabo ego vos, ac deſquamabo.

AD COLONIAM

O Colonia, quæ cupis ponte ludere longo,
Et ſalire, paratum habes, ſed vereris inepta
Crura ponticuli aſſulis ſtantis, inredivivus
Ne ſupinus eat, cavaque in palude recumbat.
Sic tibi bonus ex tua pons libidine fiat,
In quo vel ſalis, ſubſilis; ſarta ſuſcipiantur:
Munus hoc mihi maximi da, Colonia, riſus.
Quemdam municipem meum de tuo volo ponte
Ire præcipitem in lutum per caputque, pedeſque,
Verum totius ut lacus, putidæque paludis
Lividiſſima, maximeque eſt profunda vorago.
Inſulſiſſimus eſt homo, nec ſapit pueri inſtar
Bimuli tremula patris dormientis in ulna.
Quoi quom ſit viridiſſimo nupta flore puella,
Et puella tenellulo delicatior hædo,
Aſſervanda nigerrimis diligentius uvis,
Ludere hanc ſinit, ut lubet, nec pili facit uni,
Nec ſe ſublevat ex ſua parte, ſed velut alnus
In foſſa liguri jacet ſubpernata ſecuri,
Tantundem omnia ſentiens, quaſi nulla ſit unqnam.
Talis iſte meus ſtupor nil videt, nihil audit,
Ipſe qui ſit, utrum ſit, annon ſit, id quoque neſcit.
Nunc eum volo me e tuo ponte mittere pronum,
Si pote ſtolidum repente excitare veternum,
Et ſupinum animum in gravi derelinquere cæno,
Ferream ut ſoleam tenaci in voragine mula.

NOTÆ CRITICÆ

1 *O Colonia* &c. Verſus eſt angelicus, genus quoddam hexametri ex heroico effictum, conſtans
ex duobus trochæis, duobus jambis, trochæo, dactylo, & trochæo, in prima tamen, & ul-
tima ſede recipit ſpondæum, in quo poeta hortatur Coloniam, ut pontem reficiat, ſinatque,
ſtolidum hominem de eodem ponte pronum in paludem mitti. Colonia autem ſine dubio eſt
oppidum haud procul Verona hoc proprio nomine dictum, ubi erat pons, & palus livida,
quæ nunc per ſummam diligentiam naviculis idonea eſt. Non enim putes, eſſe Comum lon-
ge petitum, ut putat Scaliger, neque Veronam, neque Mantuam ut alii, qui omnes una
cum municipe noſtro in paludem mittendi ſunt; ſi enim Catullus Coloniam proprie dictam
non appellaviſſet, lucem ſaltem dediſſet aliquam. Leges vero, ut erat in omnibus MSS Achil-
le teſte, *quæ cupis ponte lædere longo* vitioſum ex Gallicano exemplari *lædere* pro *ludere*. ita &
ſalire, non *en ſalire*, & *longo*, non *ligneo* cum Voſſio. Porro Colonienſes ſolebant agere ludos
in ponte, ſed deſierant, quia crura pontis erant imbecillia; hi tamen ludi non erant Salii,
ut imbecilliter putat Scaliger; qui quidem mos in Italia adhuc viget, præſertim Piſis, &
Venetiis, ubi pugnis pugnatur in ponte.
3 *Aſſulis* &c. Lego *aſſulis ſtantis*, diminutivum, quo poeta delectatur; priſca enim ſcriptura ha-
bet *ac ſulcis tantis*. Crura enim erant ita abraſa, ut aſſulæ vulgo *ſcheggie* viderentur, vel lego
adaſſulis tantis, quaſi crura refecta eſſent aſſulis multis. Neque audio Scaligerum legentem *ad-*
6 *ſulitantis*, neque Voſſium cum Vulpio *aſculis ſtantis* verba neque latina, pene dixerim, neque
græca. Lego etiam & alterum locum nunquam ſanatum hoc pacto, *in quo vel ſalis*, *ſubſilis*;
ſarta ſuſcipiantur. In omnibus enim MSS erat *ſuſcipiant*, unde *ſuſcipiantur*, non *ſuſcipiunto*, impe-
rati-

rativum ineptum, & *ſali ſubſuli*, quod Scaliger tenebat ex corrupto Pacuvii verſiculo, Voſſius
autem, quem ſecutus eſt Vulpius, excogitavit Catullo indigna *Salii ipſulis*, in quibus expli-
candis tempus tero. Nam lectione noſtra nihil clarius, & elegantius MSS ſuggerere poſſunt.
Senſus enim eſt; *In quo Colonia etiam, ſi placet, ſatis* (*s* eliditur more veterum) *& ſubſilis*,
quibus verbis alludit ad Salios; *Sarta* autem (in MSS *ſacra* vitioſum) cum dicit, invitat Co-
loniam, ut ſtatim crura reficiat, ita ut, cum ſarta, & refecta fuerint, ſuſcipiantur, quod
verbum architectorum eſt. Suſcipere enim eſt ab imo aliquid munire. Plinius, *Nam fultura,
& ſubſtructiones, quibus ſubinde ſuſcipitur, non tam firma mihi, quam ſumptuoſa videntur*, quæ
quidem veriſſima lectio ſcrupulos omnes ex animo criticorum evellet, ut in poſterum in hac
7 ſedeant, & acquieſcant, niſi forte imbecilliores ſint ponticuli cruribus ipſis. *Munus* tandem
dicit, quia alludit ad munera ædilitia, puta venationes, beſtias, gladiatores, viſcerationes,
& alia, quæ Romæ ab Ædilibus fiebant in gratiam populi. Quaſi enim ludum præbebat Co-
lonia ſinens, pronum hominem de ponte mitti, quapropter Colonienſes, & poeta riderent.
8 *Municipem* &c. Ajo, hunc municipem eſſe maritum Lesbiæ ex Sirmione municipio, ex qua
erat & Catullus, non ex Verona, quæ erat Colonia. Primo, quia eum non nominat. Ha-
buit enim rationem amicæ. Secundo, quia vocat inſulſiſſimum. Maritum enim ejus alibi vo-
cat fatuum, ibi, *Aſt illi fatuo maxima lætitia eſt*. Fatuus autem, & inſulſus idem eſt. Mart:
Fatuæ fabrorum prandia betæ; Tertio, quia appellat eum Veneri ineptum, ibi, *Nec ſe ſublevat
ex ſua parte*, de quo alio loco, *Nunquam ſe mediam ſuſtulit ad tunicam;* quarto, quia ait, *Tan-
tundem omnia ſentiens, quaſi nulla ſit unquam*, de quo alibi, *Nulle nihil ſentis;* tandem quia
maxime laudat puellam, quæ certe Lesbia eſt, de qua, *Lesbia formoſa eſt, quæ quom pulcherri-
ma tota eſt*. Quod ad municipia ſpectat, erant ea jure Civitatis donata, quæ, ſi coloni in
eam deducebantur, in Coloniæ conditionem tranſibant, &, cum antea ſui juris eſſent, legem
10 a deductore accipiebant. *Ut* vero pro *ubi*, quemadmodum ſupra *Litus ut longe*, de quo, ut
dixi, mone lexicographos.
14 *Flore* &c. Deſcribit annos tenellulos puellæ Lesbiæ. Flos enim ad adoleſcentiam ſpectat, im-
proprie vero ad pueritiam, virilitatemque, translatione ducta ab arboribus, quæ & ipſæ ha-
bent ſuam pueritiam, cum creſcunt, adoleſcentiam, cum flores emittunt, virilitatem, cum
fructus pariunt, & ſenectutem, cum hyeme areſcunt. poeta, *Flos Veronenſium depereunt juve-
num*. Ter: *Anni ſexdecim, flos ipſe*. etiam Itali, Petr: *Qui fece ombra al fior degli anni ſuoi*. *Tenel-*
15 *lulo* autem cum dicit, comparat puellam hædo, qui delicatiſſimus eſt, & etiam *uvis nigerri-*
16 *mis* non adhuc in vite pendentibus, ut putat Vulpius, quæ certe diligentiſſime non cuſtodi-
tur, ſed quæ apricæ jam in vitro, vel capſulis in hyemem aſſervantur, ita puella intra do-
17 meſticos parietes ab amatoribus quaſi ab aere corruptore defendenda. *Ludere* porro eſt in
obſcænis; alibi, *Ludite ut lubet, & brevi liberos date*. Bacc: *Alla mezza notte con l'amante ſol-
lazzata*. *τὸ pili* eſt idem ac nihili, quem ſenſum habent & Itali, cum dicunt, *tirati in là un
pelo*. tandem *uni* pro unius ἀρχαϊκῶς, ita apud Afranium *toti*, pro *totius*.
18 *Nec ſublevat* &c. h. e. nec ſublevat rem turpem ex ſua parte, h. e. per ſe, ſine opella puellæ.
Verſus enim hic totus obſcænus eſt, & reliqua ad obſcæna ſpectant. Cur autem comparat
hominem alno? quia alnus, ut ait Plinius, nullum ſemen, aut fructum facit. Ut enim ho-
mo porrectis pedibus jacet in lecto, nec ſe ſublevat ad puellam, ita alnus in foſſa. Foſſa ve-
ro non eſt fluminis alveus, ut credit Muretus, ſed locus paludoſus, quo alnus delectatur;
19 Virg: *Fluminibus Salices, craſſiſque paludibus alni*. Leges porro *liguri*, non *liguris*, ex veſtigiis
fragmentorum Feſti Pompei, *Et Catull .... foſſa ligari in*. & intelliges non foſſam cujuſdam ho-
minis Liguri, ut cenſet Vulpius, & alii, ſed in agro Liguriæ. Ligures enim, qui ad Apen-
ninum ſiti ſunt, ubi foſſæ, & paludes multæ, lignariæ negotiationi ſtudebant, ut docet Achil-
les ex verbis Julii Capitolini in Pertinacem. Leges etiam, ut egregie Politianus, *ſubpernata*,
non cum Marullo *ſeparata* lectionem inſulſam ab hoc loco ſeparandam. Subpernati enim di-
cuntur, ut ait Feſtus, quibus ſucciſa ſunt femina in modum ſuillarum pernarum. Agitur enim
de ſtolido dormiente porrectis, & apertis pedibus tanquam ſubpernatus, neque hoc verbo
rumpitur lex carminis angelici. Nam creticus eſt, ſecunda brevi ob duas liquidas, ita *con-
ſecro* & *procumbente* apud Auct: Priap: contra Muretum putantem, angelicum in quarta ſede
ſpondæum recipere poſſe.
20 *Sentiens* &c. Nil ſentire ſtultorum proprium eſt. Plaut: *Nil ſapit, nec ſentit, tanti eſt, quanti
fungus putidus*. poeta ad eundem, *Nulle nihil ſentis*. Leges autem, ut eſt liquide in noſtro, *quaſi
nulla*, quod ſuſcitatus eſt & Achilles, non *quam ſi*. ita enim verſus non ſtat. Enni: *Tantun-*
21 *dem quaſi feta latrat*. *τὸ ſtupor* vero pro *Stupidus* κατὰ μετωνυμίαν. Ter. *Ubi ſcelus eſt, qui me*
22 *perdidit?* h. e. ubi ſceleratus. Leges porro, ut eſt in MSS; *qui ſit*, non *quis ſit*.
23 *Nunc eum* &c. In omnibus MSS *nunc eum volo me de tuo ponte mittere pronum*; unde Scaliger re-
cte, *nunc eum volo me e tuo ponte* &c. a qua vera lectione diſcedere ſtultum eſt. Leges autem
cum Victorio *ſi pote ſtolidum*, *e* in *pote* longa ob duas conſonantes ſequentes, non, *poteſt oli-
dum*, quod vitioſe legebatur in MSS. Porro *veternum* cum dicit, tangit hominis ignorantiam.

Veter-

Veterno enim correpti dormiunt, ita ſtolidus in lecto ſemper dormit, ut veterno affectus videatur. Veternum enim translate dictum eſt.

Cic: *In epiſtola veternus Civitatis.*

Petr: *Ma io v'annuncio, che voi ſiete offeſi*
Da un grave, e mortifero letargo.

25 *Et ſupinum* h. e. negligentem. Juv. *De Mecanate ſupino*. hinc apud ICtos *ignorantia ſupina*.

26 *Ferream* tandem cum dicit, lepidam, & idoneam ſimilitudinem ducit a ſolea ferrea mulæ. Agitur enim de ferreo & plumbeo homine.

Ter: *In me quiduis harum rerum convenit, que dicta ſunt in ſtultum,*
caudex, ſtipes, aſinus, plumbeus.

Verbo autem *ſoleam* nos docet, olim ſoleas equis induci, non clavis ſuppingi. Suetonius, *Feciſſe iter dicitur ſoleis mularum argenteis;* quod quidem notavit & Scaliger etiam ab exemplo græcorum; Arrianus enim ſoleas equinas vocavit ὑπόδιματα, ab ὑποδέω *ſubligo.*

Quoniam vero pervenimus eo, ubi ex Terentiano docti ithyphallica nobis indoctis obtrudunt tanquam Catulliana, eſt operæ, errorem ab animo eximere, ne poetam noſtrum ſcena dignum faciamus veſtitum pennis non ſuis. Terentianus enim grammaticus, qui tradidit, Catullum in Priapum luſiſſe, nihil habet certi, niſi metrum, in quo verſatus poeta eſt ad *Coloniam.* Nam tantum relata refert, cum ait, *ſic conſcripſiſſe Catullum ſcimus.* deinde, quæ citat, nullo ſunt in MSS, quod unum contra Terentianum perſuadere deberet. Quid dicam autem, ſi Catullus non habuit villam tectam vimine junceo, neque agellum, neque lucum, de quibus mentio eſt in tribus citatis ithyphallicis? Vnicam tantum habuit villam tyburtem eandem illam, quam oppignoravit, oppoſuitque ad quindecim millia, & ducentos ſeſtertios, ad quos villa tecta vimine junceo opponi non poteſt, ibi *Furi, villula noſtra &c.* Immo habuit fundum, qui ſub agelli nomine non venit; ſi enim villam oppoſuit ad quindecim millia, & ducentos, quid de fundo dicamus? quod & alterum Terentianum in terram proſternit, fundit, occidit. Quid etiam, ſi multa in illis dicuntur, quæ Catullo accomodari non poſſunt? Hoc enim negat negare diſticum illud,

Cujus nam domini colunt me, deumque ſalutant
Pauperis tugurii pater, filiuſque coloni.

& *τὸ pol ecce Villicus*; Nam ſermo eſt de tugurio, de colono, de ruſtico, quæ in Catullum non cadunt, & de patre, & filio, quod multo minus. Nam poeta habuit patrem, fratremque, ibi, *Advenio has miſeras frater ad inferias.* præterquam quod etiam Virgilius hoc metro delectatus eſt, quem auctor hujus ithyphallici imitari voluit, ibi *Pauperis tugurii pater.* Vigilius enim ecl. 1. *Pauperis & tuguri congeſtum ceſpite culmen;* & ex poeta noſtro ſumpſit alio loco, *Quidam mollior anſeris medulla*, Catullus enim ait, *Thalle, mollior cuniculi capillo, & anſeris medullula*, ita etiam *τὸ oſtreoſior* verbum eſt huic familiare, cum ait alibi, *Raptam Cyzicos oſtreoſa divam*; ut quovis pignore condenderem, carmina omnia obſcœna, quæ Catullo, Tibullo, Ovidio, & aliis inſulſe adſcribuntur, Virgiliana fuiſſe, qui imitari maxime voluit ſemper poetam noſtrum ut in verbis, ita in metro; alias, *non aſſis faciunt*. poeta, *non aſſis facis.* Quid in Proluſionibus? *Socer, generque perdidiſtis omnia*; ita poeta, *Socer, generque perdidiſtis omnia* Quare ne trahamur, ſi recte ſapimus, ut vaga pecora, naſo grammaticorum, neque tribuamus Catullo, quæ ne ſomniavit quidem, ithyphallica de Priapo hortorum deo, quem teſtem in hoc appello, in quo ſi mentior, in me veniat corvorum omne mictum, atque cacatum.

AD AURELIUM

Aureli, pater eſuritionum,
Non harum modo, ſed quot aut fuerunt,
Aut ſunt, aut aliis erunt in annis,
Pædicare cupis meos amores,
Nec clam; Nam ſimul es, jocaris una,
Hæres ad latus, omnia experiris.
Fruſtra; nam inſidias mihi inſtruentem,
Tangam te prior inrumatione.
Atqui, id ſi faceres ſatur, tacerem,
Nunc ipſum id doleo, quod eſurire
Meuſmet puer, & ſitire diſcet.
Quare deſine, dum licet pudico,
Ne finem facias ſed inrumatus.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Aureli* &c. Verſus eſt hendecaſyllabus, in quo poeta irridet famem Aurelii, accuſatque im-
pudicum animum ejus, cui irrumationem minitatur. *Pater* autem dictum eſt ad irriſionem,
quaſi primus, & princeps eſuritorum; alibi, *Leporum pater*. *Eſuritio* vero plus eſt, quam fa-
mes. Mart: *Abiſti in tantam eſuritionem*. Reſpicit enim poeta ad cænas, in quibus paterfa-
milias, vel qui convivas invitat, pater vocatur; Hor: *Ut ajebat cenæ pater*. Leges porro opti-
5 me cum Voſſio, & Vulpio *Nam ſimul es, jocaris una, hæres ad latus*. Priſca enim ſcriptura,
nam ſimul exjocaris una hærens &c. unde male Scaliger *exjocaris*, cui verbo novo repugnat τὸ
ſimul una inſulſe poſitum; Leges etiam *experiris*, licet MSS habent *experibis*, quod a lexico-
graphis expungendum eſt tanquam vitioſum. Præterquam quod enim *experio* a nemine veteri
uſurpatum eſt, etiam reclamat tempus futurum *experibis* loco ineptum, cum jam poeta uta-
tur, & ſenſus velit præſentem *es*, *jocaris*, *hæres*, *experiris*.
7 *Fruſtra; nam* &c. Hor: *Fruſtra; nam ſcopulis ſurdior* &c. alibi, *Fruſtra; nam gelidos inficiet ri-*
8 *vos*. Leges autem, ut erat in omnibus MSS Achille teſte, *prior*, non *prius* omnino fictitium.
Tangam vero obſcenum eſt κατὰ μείωσιν, qua extenuatur res. Hor: *Matronam nullam ego tango*.
9 Plaut: *Si neminem potero, tuum tangam patrem*. Leges etiam, ut correxit Achilles, *Atqui, id ſi*
faceres &c. in MSS enim erat, *atqui ipſi faceres*; quibus verbis excuſat momento Aurelium;
Nam ſaturi in Venerem promptiores ſunt. poeta, *Nam ſatur ſupinus pertundo tunicamque, pal-*
liumque. Mart: *denique pædica, Mamuriane, ſatur*.
11 *Meuſmet*, τὸ *met* habet quandam ἔμφασιν loco idoneam; ita enim lego ex ſcriptura, quæ in
omnibus habebat *me me*, unde Achilles *me meus*, male; nam τὸ *me* otiatur. Scaliger *ah me*
me peſſime, ita Vulpius *ah meus*; uterque enim aberrat a ſcriptura, & ſcribit, quod non eſt
in MSS. Dolet autem Catullus, non quia puer eſuriens libidinoſior futurus ſit, ut ajebat
Voſſius, ſed quia in eo alendo majores ſumptus impendere deberet. Eſurientes enim Veneri
inepti ſunt. Ter: *Sine Cerere, & Baccho friget Venus*; rarum tamen exemplum affert idem Te-
rentius in Thraſone, *Ego illum eunucum vel ſobrius*.
12 *Quare* παραίνεσις eſt, qua monet Aurelium, ne tangat puerum pudicum, de quo ſuperius, *Con-*
ſerves puerum mihi pudicum. Pudicus enim eſt, qui alienam libidinem nondum excepit, impudi-
cus contra. Auct: Priap: *Si fur veneris, impudicus ibis*. Leges autem contra Achillem, ut eſt in
13 MSS, & vulgatis, *Ne finem facias ſed inrumatus*. τὸ *ſed* enim eſt loco ſuo, neque ſubaudias *tan-*
dem, ut ſenſus ſit; *Deſine tentare puerum, dum pudicus eſt, ſed, ſi te inrumaro, ne finem facias*,
neque deſinas pati. Hom: οὔτε &c. *Neque finem facere poteſt*. Cic: *Tamen non faciam finem rogandi*.

AD VARUM

Suffenus iſte, Vare, quem probe noſti,
Homo eſt venuſtus, & dicax, & urbanus,
Idemque longe plurimos facit verſus.
Puto eſſe ego illi millia, aut decem, aut plura
Perſcripta, nec ſic, ut fit, in palimpſeſto
Relata, chartæ regiæ, novi libri,
Novi umbilici, lora rubra, membrana
Derecta plumbo, & pumice omnia æquata.
Hæc quom legas tu, bellus ille, & urbanus
Suffenus, unus caprimulgus, aut foſſor
Rurſus videtur; tantum abhorret ac mutat.
Hoc quid putemus eſſe? qui modo ſcurra,
Aut ſi quid hac re triſtius videbatur,
Idem inficeto eſt inficetior rure,
Simul poemata attigit, neque idem unquam
Æque eſt beatus, ac poema quom ſcribit,
Tam gaudet in ſe, tamque ſe ipſe miratur.
Nimirum omnes fallimur, neque eſt quiſquam,
Quem non in aliqua re videre Suffenum
Poſſis: Suus quoique attributus eſt error,
Sed non videmus, manticæ quid in tergo eſt.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Suffenus* &c. Verſus eſt jambicus trimeter, in quo poeta ironice laudat urbanitatem Suffeni,
ejuſque in verſibus conſcribendis diligentiam, dein aperte ridet ejuſdem φιλαυτίαν, & ad e-
thicam deſcendit. Suffenus autem erat poeta ineptus, & maledicus, a quo fortaſſe Catullus
laceratus fuit. Leges vero *Suffenus* cum duplici *ff* ut eſt liquide in MSS, non *Suffenas*, ut
mallebat Urſinus, & Achilles, in quos reclamat poeta ipſe, cum ait infra *videre Suffenum
poſſis*; & alibi. *Caſios*, *Aquinios*, *Suffena*; ibi enim eſt in caſu accuſativo, non generandi,
ut fruſtra docuit Janus Douſa. præterquamquod etiam repugnat metrum. Varus porro eſt
ille Alphenus, de quo alibi, *Varus me meus ad ſuos amores duxerat*.
2 *Venuſtus* &c. hæc eſt εἰρωνεία, qua deſcribit Suffenum urbanum, qui nempe habebat Veneres,
leporeſque, dicacem, qui dicteria jactabat, urbanum, h. e. ſcurram; Hor: *Urbanus capit ha-
beri ſcurra vagus*. poeta, *Qui modo ſcurra &c.* Cic: *Tu feſtivus, tu elegans, tu urbanus*. Porro
3 τὸ *facit verſus* auget εἰρωνείαν. Macra enim laus eſt, multos componere verſus; poeta, *ſexcen-*
5 *ta Hortenſius uno*. Hor: *Sæpe ducentos, ut magnum, verſus dictabat*. *Perſcripta* autem idem ac
ſcripta non tamen cum lituris, ut putat perperam Marcilius ex Cicerone; immo contra,
ex eo, *nec ſic, ut fit, in palimpſeſto*, qui erat membrana, in qua ſcribi pluries poterat, a πάλιν
rurſum & ψάω *abſtergo*. Cic: *Quod in palimpſeſto, laudo parſimoniam*.
6 *Novi libri*, qui ex pluribus chartis concinnati erant, non involucra librorum, ut ait Achilles,
7 cujus opinio ſcombris involucrum eſſe poteſt. *umbilici* autem clavi ex utraque media parte
libelli, contra Parthenium, & Palladium, unde lora, quæ librum obligabant, hinc Mart:
Pervenimus uſque ad umbilicum. Alluſit enim ad umbilicos librorum, quibus additis totus liber
perficiebatur. *Membrana* vero cum dicit, intelligit librorum tegumenta. Tib: *Lutea ſed niveum
involvat membrana libellum*. poeta enim in hoc verſiculo totus eſt in deſcribendis exterioribus
partibus libri. Neque putes cum Scaligero τὸ *membrana* eſſe in genere neutro, quod eſt ſom-
nium merum, ſed maſculino, ut clarius videſis apud Tibullum ſupra citatum. Leges porro
8 *derecta*, ut belle notavit Achilles, ἀρχαϊκῶς pro *directa*; In MSS enim omnibus erat *detecta*;
tandem *pumice æquata*, quia libri pumice poliebantur; Plin: *Sed pumices, qui ſunt in uſu corpo-
rum*

rum levigandorum viris, & fœminis, &, ut ait Catullus, libris. τὸ *omnia* autem refertur & ad chartas, & ad membranam involucrum libelli; hæc enim duo maxime levigabantur.

9 *Hæc quom* &c. In MSS omnibus *hæc quum legas tu*, quod non eſt bona pace criticorum mutan-
10 dum, quodque & habet, & affert leporem orationi, & τὸ *tum*, quod legebatur, omnino inetum. ſenſus enim eſt, *Hæc cum legas tu, Suffenus ille, qui bellus ſibi, & urbanus videbatur, caprimulgus videtur; Caprimulgus* autem non avis, ut quidam interpretatus eſt inficetior caprimulgo, ſed qui capras emungit, quod confirmat verbum *foſſor*, & reliqua ad rus ſpectantia.
11 *Rurſus* vero idem, atque *e contrario*. Cic: *Neque amplecteretur artem, neque rurſum repudiaret*. Porro *mutat* pro *mutatur*, ita ut eum non amplius agnoſcas urbanum, qui videbatur; in quo Scaliger merito irridet Avantium legentem *nutat* contra MSS. Leges etiam, ut volunt omnes
13 libri ſcripti Achille teſte, *triſtius* injuria repudiatum ab interpretibus, qui *tritius* & *retritius* maluerunt. Neque eſt, cur Muretus rideat Guarinum, & Parthenium. Scurræ enim dictis plerumque inlepidis, dummodo riſum, & victum captent, triſtitiam potius, & moleſtiam afferunt auditoribus; quam optimam lectionem probat maxime Plautus,

ibi, *Nihil eſt profecto ſtultius, nec ſtolidius,*
Neque mendaciloquius, neque argutum magis,
Quam urbani aſſidui cives, quas ſcurras vocant.

15 *Simul* pro *ſimulac*. Phæd: *Alii ſimul delinquunt, cenſores ſumus*. *Poemata* autem ſunt quodvis
17 carmen. *Tam gaudet* vero cum dicit, carpit vitium Suffeni laudandi ſeſe, reſque ſuas, quod viget apud nos, qui vix unum, & alterum verſiculum cacavere, ita glorioſe cutem intendunt, ut rumpi videantur. Hor: *Gaudent ſcribentes, & ſe venerantur*. Qui enim mirantur ſua, defendere delictum, quam vertere malunt, in quos præceptum eſt Horatianum,

ibi, *Quintilio ſi quid recitares, corrige ſodes*
Hoc ajebat, & hoc, melius te poſſe negares
Bis, terque expertum fruſtra, delere jubebat,
Et male tornatos incudi reddere verſus.
Si defendere delictum, quam vertere malles,
Nullum ultra verbum, aut operam inſumebat inanem,
Quin ſine rivali teque, & tua ſolus amares.
Vir bonus, & prudens verſus reprendet inertes.
Culpabit duros, incomtis allinet atrum
Tranſverſo calamo ſignum, ambitioſa recidet
Ornamenta.

Quod vitium fere omnium eſt, hinc Cicero, *Muſicorum vero perſtudioſum accepimus, poetam etiam tragicum, quam bonum, nihil ad rem; in hoc enim genere neſcio quo pacto magis, quam in aliis ſuum cuique pulcrum eſt. Adbuc neminem cognovi poetam, qui ſibi non optimus videretur; ſic ſe res habet, te tua, me delectant mea.*

18 *Nimirum* &c. ἰδικὸν aliis optimis ſcriptoribus familiare. Docet enim, fere omnes eſſe ſibi pulcros, ut ſemper cuivis videre Suffenum videatur. Ad τὸ *idem* autem ſubaudi *circa*, vel *propter*; Hor: *Ut ſcriptor ſi peccat, idem librarius*. Ultimo tandem verſu reſpexit ad fabellam Æſopi,
21 qui narrat, homines geſtare manticas duas, unam ante ſinum alienis vitiis plenam, alteram a tergo vitiis propriis, ad quam reſpexit & Horatius, *Deſpicere ignoto diſcat pendentia tergo*; & Perſius, *ſed præcedenti ſpectatur mantica tergo*, quamque Phædrus ex græco tranſtulit,

ibi, *Peras impoſuit Juppiter nobis duas,*
Propriis repletam vitiis poſt tergum dedit,
Alienis ante pectus ſuſpendit gravem,
Hac re videre noſtra mala non poſſumus,
Alii ſimul delinquunt, cenſores ſumus.

AD FURIUM

Furi, quoi neque ſervos eſt, neque arca,
Nec cimex, nec araneus, nec ignis,
Verum eſt & pater, & noverca, quorum
Dentes vel ſilicem comeſſe poſſunt.
Eſt pulcre tibi cum tuo parente,
Et cum conjuge lignea parentis,
Nec mirum; bene nam valetis omnis.
Pulcre concoquitis, nihil timetis,
Non incendia, non gravis ruinas,
Non facta impia, non dolos veneni,
Non caſus alios periculorum,
Ut qui corpora ſicciora cornu,
Aut ſi quid magis aridum eſt, habetis,
Sole, & frigore, & eſuritione.
Quare non tibi ſit bene, ac beate?
A te ſudor abeſt, abeſt ſaliva,
Muccuſque, & mala pituita naſi.
Hanc ad munditiem adde mundiorem,
Quod culus tibi purior ſalillo eſt,
Nec toto decies cacas in anno,
Atque id durius eſt faba, & lapillis,
Quod tu ſi manibus teras, fricéſque,
Non unquam digitum inquinare poſſis.
Hæc tu commoda tam beata, Furi,
Noli ſpernere, nec putare parvi,
Et ſeſtertia, quæ ſoles, precari
Centum deſine; nam ſatis beatus.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Furi* &c. Verſus eſt hendecaſyllabus, in quo Furium pauperculum, ejuſque beatam vitam ironice deſcribit. Furius autem ille piſaurienſis, qui amavit Juventium, ibi, *O qui floſculus es Juventiorum*, propter quod a poeta vellicatur, qui nunquam Juventium amare potuit. *ſervos* vero ἀρχαϊκῶς pro *ſervus*. ita enim erat in MSS; *arca* nempe ferrata, ubi nummi ſervabantur; Juv: *Ferrata diſtat ab arca ſacculus*, in quo ſenſu etiam itali, Dant: *Si fece conceder le decime della chieſa, per empiere le proprie arche*. Bocc: *Vidi dal legnajuolo un arca*. *cimex* h. e. lectus; *araneus* h. e. domus, contenta pro continentibus; *ignis*, quo carere pauperrimi eſt. hinc Tib: *Paupertas vita traducat inerti -- dum meus aſſiduo luceat igne focus*.
4 *Silicem* dictum ὑπερβολικῶς ad ſummam famem ſignificandam. *Lignea* autem, quia macra, ut
6 lignea videretur, ex græcis, qui macros vocant Καννάβοις. Lignum enim aridum eſt: Hom:
7 ὕλης ἀζαλέης *igni aridi*. *Valetis* vero cum dicit, medicum agit doctiorem neſcio quibus, quorum nolo dicere nomen, ſimillimis illi, de quo Mart: *Quod veſpillo facit, fecerat & medicus*. Recenſet enim poeta commoda, quæ ex tenui victu naſcuntur; Hora: *Accipe nunc victus tenuis quæ, quantaque ſecum -- Afferat, in primis valeas bene*.
8 *Nihil timetis* &c. Propius accedit ad verum. Hor: *Formidare malos fures, incendia, ſervos, -- Ne te compilent*. Leges autem *ut qui*, non *atqui* ſpurium, & ineptum. In MSS enim erat *aut qui*.
12 ut ſenſus ſit; *pulcre concoquitis, ut pote qui habetis corpora ſicciora cornu*. Poeta enim totus eſt in extollenda ironice vita Furii beata, propterquod τὸ *atqui* non habet locum, quia deſtruit ironiam.

Comparat autem corpus Furii, patriſque, matriſque cornui, quod aridum eſſe vel innuptis notum eſt;

Ovid: *Et tumidum cornu durius inguen erat.*

14 *Sole* &c. quia ſol, ait Muretus, exſiccat, frigus contrahit, eſuritio extenuat; quem locum imitatus eſt Auct: Priapejus, qui & ipſe macram puellam comparat cornui,

ibi, *Uvis aridior puella paſſis,*
Cujus viſcera non aperta Thuſcus
Per pellem poterit videre Aruſpex:
Nemo viderit hanc ut expuentem.
Ductor ferreus inſularis æque
Laternæ videor fricare cornu.

15 *Quare* autem ἐρώτησις eſt ironica, qua utitur & ad Calvum, *Non eſt, mi, male, ſed bene, ac*
16 *beate; Sudor* vero cum dicit, extollit bona, quæ ex paupertate naſcuntur, quæque clarius elucent, cum ſuperius enumeraverit divitum incommoda. Ad τὸ porro *ſaliva* reſpexit idem Auct: Priap: citatus,

ibi, *Nemo viderit hanc expuentem,*
Quam pro ſanguine pulverem, ſcobemque
In venis medici putant habere.

17 *Pituita* tandem hic tetraſyllabon eſt, alias fere ſemper triſyllabon. Hor: *pituita moleſta eſt.*
18 *Quod Culus tibi purior* &c. Miror, quod poeta noſter dicat *culus*. Non enim, ait Martialis, eſt culus ille, qui non cacat, tamen optime ſe habet. Satis enim eſt, ſi ſemel contumeliam faciat, præterquamquod iam Furius decies cacabat in anno, quod ſatis, ſuperque eſt. Comparat autem ejus culi munditiem ſalillo, quod purum eſt non per ſuperſtitioſam præcipue veterum diligentiam, ut putat Vulpius, ſed ex natura ſua, quia ſali ineſt vis quædam ſicca putredini inimica, ita ut ſalillum purum eſſe & ipſum, oporteat; quam rem probat Ovidius,

ibi, *Far erat, & puri lucida mica ſalis.*

alibi; *Mica ſalis puri pacificabat heros.*

Veteres tamen ſalinum ſuperſtitioſe cuſtodiebant, tum quia in eo cum ſale diis primitiæ offerebantur, tum quia idipſum cum patellis, vel pateris in menſa magnis, minutiſque diis apponebatur.

T. Liv: *Ut ſalinum, patellamque deorum cauſa habere poſſint.*

20 *Lapillis* &c. Hæc eſt MSS omnium lectio ab inficetis neſcio quibus, & faba dignis repudiata, quam doctiores ſecuti ſunt, cujuſque vicem inepte ſubibat in nonnullis vulgatis *lupinis* omnino fictitium. ὑπερβολὴ enim, & minus veriſimile lepidius eſt in rebus lepidis; ita jocatur Auct: Priap: citatus in puellam,

ibi, *Uvis aridior puella paſſis*
Buxo pallidior, novaque cera,
Collata ſibi qua, ſuiſque membris
Formicas facit altiles videri. &c.

23 *Hæc tu* &c. παραίνεσις, qua monet, hortaturque Furium, ne ſpernat commoda tam beata paupertatis; quod quidem ita falſum eſt, & ironicum, ut a Furio volente, ac nolente lacrimu-
25 las eliciat, neceſſe ſit. Diſtingues autem cum Achille belle, recteque, *Et ſeſtertia, quæ ſoles,*
26 (ſubaudi *precari*) *precari centum deſine.* Leges tandem, ut erat in omnibus MSS eodem Achille teſte, *ſatis beatus*, quod ſatis venuſtum eſt, non *ſat es beatus*, quod ab aliquo Codicum corruptore intruſum abeat, unde malum pedem tulit.

Hor: *Satis beatus unicis Sabinis.*

AD JUVENTIUM

O qui floſculus es Juventiorum,
Non horum modo, ſed quot aut fuerunt,
Aut poſthac aliis erunt in annis,
Mallem divitias mihi dediſſes
Iſti, quoi neque ſervos eſt, neque arca,
Quam ſic te ſineres ab illo amari.
Qui? non eſt homo bellus, inquies? eſt,
Sed bello huic neque ſervos eſt, neque arca.
Hoc tu, quam lubet, abjice, elevaque,
Nec ſervum tamen ille habet, neque arcam.

NOTÆ CRITICÆ

1 *O qui* &c. Verſus eſt hendecaſyllabus, in quo poeta laudat pulcritudinem Juventii, quæritur-
que, eum amatum fuiſſe a Furio, quem irridet. Juventius autem cinædus non nobilis, ut
putant docti, ſed ex familia plebeja, ut colligo ex eo, *Non horum modo*, ut ſenſus ſit, *floſcu-
lus non horum modo nobilium Juventiorum* (erat enim Romæ Juventiorum nobilis familia) *ſed
etiam quot aut* &c. Dedecus enim nimis inſigne nobilitati eſt famoſus cinædus. τὸ *Floſculus*
vero ſpectat & ad ætatem, & pulcritudinem. Ter: *Anni ſexdecim, flos ipſe*. poeta, *Ut flos in
4 ſeptis ſecretus naſcitur hortis* &c. accipitur etiam pro electiſſimo.
Ennius, *Flos inlibatus populi, ſuadæque medulla.*
alibi, *Ea tempeſtate flos poetarum fuit.*
Luca: *Tum flos Heſperiæ, Latii tum ſola juventus concidit.*
Leges porro contra Muretum legentem *delicias*, ut eſt in omnibus MSS *mallem divitias mihi dediſ-
ſes iſti, quoi* &c. τὸ *mihi* enim mutare ridiculum eſt; vel enim ſignificat ad meam utilitatem,
ut apud Ter: *Si Demea peccat, mihi peccat*; vel potius interſeritur ad venuſtatem, ut apud
Cic: *Is mihi etiam gloriabitur, ſe magiſtratus aſſecutum*; & hoc attice dictum eſt, ut notavit
Scaliger ab Euripide ſemel, iterumque. Cave autem *delicias* legas ineptiſſimam lectionem,
ut colligitur ex altero verſu, *Quam ſic te ſineres ab illo amari*. Amari enim eſt in obſcenis, de
quo mone lexicographos. poeta, *Cum longa voluiſti amare pœna*. multo minus *Midæ* cum Voſſio
lectionem aſininis auribus Midæ dignam, quam miror a Vulpio defendi. Leges etiam ab *illo*,
6 non ab *iſto*, quod nullo eſt in MSS. Verſiculum vero ſeptimum cum Scaligero belle emenda-
7 tum lege *Qui? non eſt homo bellus, inquies? eſt*. Bellus h. e. venuſtus, qui muliebrem formam
ſectabatur; hinc Cicero, *extra jocum homo bellus eſt.*
Mart: *Bellus homo inflexos qui dirigit ordine crines,*
Balſama qui ſemper, cinnama ſemper olet.
Bellus enim eſt ille Furius cinædus Piſaurienſis, quem poeta alio loco irridet, ibi, *Fu-
9 ri, quoi neque ſervos eſt, neque arca*. Leges tandem *hoc tu*, ut habent omnia MSS, non *hæc
tu*, ut ſenſus ſit, *Hoc tu Juventi, quod contra Furium dico, abjice, elevaque, tamen* &c. Oleum
enim perdit in explicatione hujus verſiculi Vulpius, in quem eſt illud ſemel, iterumque repe-
titum *neque arcam*, unde colligo, Juventium ſi non a Furio, ſaltem ab aliis nummos appeti-
viſſe. *Elevare* tandem non eſt verbis extollere, ut putarunt Parthenius, & Palladius, ſed
minuere. Juventius enim debebat minuere dicta poetæ, & adverſariorum in Furium. Cic:
Ut elevaret ſuſpicionem; alibi, *ſolicitudines elevaret meas*. T. Liv: *Samnitum bella extollit, elevat
Hetruſcos.*

AD THALLUM

Cinæde Thalle, mollior cuniculi capillo,
Vel anſeris medullula, vel imula oricilla,
Vel pene languido ſenis, ſituque araneoſo;
Idemque Thalle, turbida rapacior procella,
Quom diva mulier aves oſtendit oſcitantes,
Remitte pallium mihi meum, quod involaſti,
Sudariumque Setabum, catagraphoſque Thynos,
Inepte, quæ palam ſoles habere tamquam avita,
Quæ nunc tuis ab unguibus reglutina, & remitte,
Ne laneum latuſculum, natiſque mollicellas
Inſulſa turpiter tibi flagella contribillent,
Et inſolenter æſtues, velut minuta magno
Deprenſa navis in mari veſaniente vento.

NOTÆ CRITICÆ.

1 *Cinæde* &c. Verſus eſt jambicus ſeptenarius, in prima tamen ſede, & quinta ſpondæum, & amphibracum in ſeptima recipiens, in quo poeta carpit mollitiem, & avaritiam Thalli, quem benigne hortatur, ut ablata reſtituat, quod ni faciat, pænam pathico dignam indicit. Hæc autem compoſuit, poſtquam rediit ex Bithynia, ex eo, *ſudariumque Setabum*, donatum a Fabullo ex Hiberis. Nam prior Catullus, deinde Fabullus, & Verannius ex Hiberis redierunt. Thallus vero cinædus, qui poetæ noſtro ſe lavanti abſtulerat pallium, ſudariumque. Cinædi enim, & meretrices in balneis verſabantur. Mart: *Vis futui, nec vis mecum Lauſeja lavari. Thallus* verbum a græco θάλλω *floreo* de induſtria confictum a poeta, ut illud *Marrucine*. Cinædus enim erat in flore ætatis, hinc ad Iuventium, *O qui floſculus es Iuventiorum*. τὸ *mollior* porro ad meretrices ſpectat, & cinædos, qui molliores fiunt deſcendendi patientia. Plaut. *Ita fuſtibus ſum mollior miſer magis, quam ullus cinædus*. Horatius ad Paridem, *Fugies mollis*. T. Liu: *Cum reverteretur una cum mollibus, & obſcenis viris*. Dant: *Vedraſſi la luſſuria, e il viver molle*. Thallus igitur mollior erat *cuniculi capillo*, & *anſeris medullula* h. e. pluma interiore, dictum κατὰ μεταφορὰν, quod imitatus eſt Au: car: priap. *Quidam mollior anſeris medulla*. Cic: *In medullis, & viſceribus inhærere*;

2 & *imula oricilla*; quod eſt optima Scaligeri lectio, de qua proverbium eſt apud Ciceronem, *Infima auricula mollior*. In MSS enim erat *vel inula moricilla*, unde Achilles *vel inula amaricilla* utrunque vitioſum, quod a lexico expungendum eſt verbo *mollicellas* Nam non ſolum inula mollis non eſt, ſed etiam aſpera, *imula* vero diminutivum ab *ima*, de quo mone lexicographos, & *pene ſenis*, qui quam languidus ſit, quiſque novit; τὸ tandem *& ſitu araneoſo* non facit membrum novum orationis, ſed ſpectat ad penem ſenis ſitu h. e. deſuetudine Veneris ſimilem telis araneorum, contra interpretes omnes, quos natavit & Vulpius. Poeta enim utitur *vel* conjunctione disjunctiva, quoties membrum, & ſenſum novum a ſuperiori ſecernit. Situs enim tranſlate ſumptus, ut hic, pertinet ad ſenes, ſenectutemque. Virg: *Victa ſitu, verique effœta ſenectus*.

4 *Idemque* &c. Tranſitio, qua proponit, quod conſequatur. Ex mollitiæ enim Thalli Catullus pergit ad avaritiam eius, quem comparat procellæ, quæ naves rapit. Lego autem, ut erat

3 in omnibus MSS Achille, & Scaligero teſte, *Cum diva mulier aves oſtendit oſcitantes*. Ita enim in portu navigo, cum critici omnes naufragium patiantur; Turnebus enim *diva mater*, Muretus *alites oſcinentes*, Scaliger *de via mulier*, quocum de via aberrare voluit etiam Vulpius, qui verſiculum ſeptenarium cancrum facit. Neque juvat Scaligerum Tibullus citatus, qui vocavit puerum *e trivio*; nam plebei in triuiis verſabantur, & etiam cinædi. hinc poeta, *Lesbia noſtra in quadriuiis glubit Remi nepotes*; neque Tragicus, qui dixit *aruſpices de Circo*; Nam in Circo revera ſtabant aruſpices, aſtrologi, circumforanei, & hujuſmodi alii; at τὸ *de via* quomodo defenditur? nimis abſolutum eſt, ideoque loco non ſuo, præterquamquod diſcedit a priſca ſcriptura, quæ habet in omnibus *diva*, quod ego contra omnes retineo. Nihil enim purius legi poteſt. Nam *diva* mulier non eſt Thetys, non Iuno, utrumque ridiculum, ſed fæmina ſaga dicta *diva* h.e. divina, quę divinat; Petr: *Divinam ego putabam*. Divinus enim gręce θεῖος,

hinc

hinc *divus*, ita *Divus Auguſtus*. Ipſa igitur diva mulier ſaga, quæ iam maris procellas excitatura eſt, oſtendit mihi, tibique aves oſcitantes, ex quibus divinat futuram tempeſtatem. Magico enim ſagarum miniſterio ſæpe fiunt maximæ procellæ; *oſcitantes* tandem aves quaſi ore cantitantes ſunt cornix, corvus, & cætera turba, præcipue fulix, de qua Cicero,

ibi, *Cana fulix fugiens e gurgite ponti*
Nunciat horribiles clamans inſtare procellas,
Haud modicos tremulo fundens e gutture cantus.

Virg: *Feriam, ſed gurgite ab alto*
Vrgeri volucrum raucorum ad litora nubem.

Dant: *E come augelli ſurti di riviera*
Quaſi congratulando a lor paſture,
Fanno di ſe or tonda, or lunga ſchiera.

6 *Pallium* erat veſtis non lecti, ſed ad cænam idonea. poeta, *Satur pertundo tunicamque, palliumque*. unde colligo, Catullum poſt cænam in balneum, ubi cinædi verſabantur, ad delitiam deſcendiſſe. *Sudarium* autem ex lino urbis Setabis donatum a Fabullo, & Verannio ex Hiberis. Leges vero *catagraphoſque thynos*, ut erat in MSS, eccepto libro Scaligeri *Cyrographoſque thynos*, quod idem eſt, non acu pictos, ut putat Achilles, ſed, ajo, herbarum ſucco, (qui mos & adhuc viget) non in ſudario; nam quid Hiberia cum Tynis? ſed in altero linteo. Virg: *Pictique Agatyrſi*. hinc graphice eſt ars pingendi. Plin: *Ut pueri graphicen* h. e. *picturam docerentur*, & ſcribo aliquando eſt pingo. Plin: *Scripſit Apollinem, & Dianam*, & Athenæus vocat *κατά γραφον* quoddam genus anatum variis coloribus diſtinctum. Thyni tandem ſunt populi Thraciæ ex adverſo Bithyniæ, quod procul dubio legendum eſt, non *linum* interpolatum, quod nullo eſt in MSS, neque *catagraphon thynon* cum Voſſio, quaſi libellum membranaceum, quod ineptum eſt; nam cur, & quo liber in balneo, vel lecto? neque explices cum Salmaſio annulos ſculpturæ, neque cum Scaligero picturas textiles, quæ omnia graphio obliteranda ſunt.

9 *Reglutina* &c. Huc, puto, reſpiciunt Itali, cum dicunt, *appicarſi la robba alle mani*. Sudant autem interpretes omnes, & perdunt oleum, operamque in verſiculo undecimo; Scaliger *inluſa*, Avantius *inuſta*, Voſſius cum Vulpio *inviſa*, alii alia omnino inviſa, quia a veſtigiis MSS diſcedunt, ita etiam *conſerillent*, *conſigillent*, *conſcribillent* omnia flagris conſcribenda, ejiciendaque foras tanquam ficta, ut verſiculum uſque adhuc corruptiſſimum interpretes nobis obtruſerint. Priſca enim ſcriptura in omnibus erat, *Inſula turpiter tibi flagella concribillent*, & in noſtro liquide *contribillent*, unde ego, *Inſulsa turpiter tibi flagella contribillent*. *Inſulsa* h.e. inſuavia tibi, & injucunda; *contribillent* h. e. premant, diminutum a *tribulo* græce θλίβω, de quo mone lexicographos; Varro, *Permiſceto, & tribulato quotidie*. certe *conſcribillent*, quod legebatur, omnino fictitium eſt, in quod reclamat metrum; quo etiam loci noto, hic neſcio quid turpiculi latere, & *flagella* in ſenſu obſceno accipi, quod mihi ſuggerit Horatius, *Quæcunque excepit turgentis verbera cauda*. Solet enim poeta hanc pænam cinædis minari, ut ibi, *Pædicabo ego vos, & inrumabo Aureli pathice &c.*

12 *Æſtues* h. e. agiteris, vulgo *ondeggiare* translatione ducta ab æſtu maris; Hor: *Maura æſtuat unda*; poeta, *pelagi protenderet æſtus*. præſertim vero cum ſermo ſit infra de navi agitata ventis in mari magno h. e. & alto inquam, & proceloſo, ut optime Douſa pater, & filius. Saluſt: *Ubi mare magnum eſſe, & ſævire ventis cæpit*. Virg: *Continuo venti volvunt mare, magnaque ſurgunt æquora*. Tandem τὸ *veſaniente* explica, qui ita ſibi impar eſt, & furioſus, ut inſanire videatur; quæ omnia clarius elucent exemplo Petrarchæ, & Laurentii de Medicis;

ille; *Fra ſi contrari venti in fragil barca*
Mi trovo in alto mar ſenza governo.

Hic, *Sicome nave in alto mar percoſſa*
Da rapidi, e fra lor contrari venti.

AD FURIUM

Furi, villula noſtra non ad auſtri
Flatus oppoſita eſt, nec ad favoni,
Nec ſævi boreæ, aut apeliotæ,
Verum ad millia quindecim, & ducentos,
Oventum horribilem, atque peſtilenrem!

NOTÆ CRITICÆ

1 *Furi* &c. Verſus eſt hendecaſyllabus, in quo poeta lepida διλογία reſpondet Furio amico de villula quærenti. Furius autem ille, de quo ſupra, *Furi, quoi neque ſervos eſt, nec arca.* Leges vero, ut erat in MSS, *noſtra*, non *voſtra* male cum Douſa. Ita enim loquuntur poetæ, oratoreſque.
poeta, *o funde noſter ſeu Sabine, ſeu Tiburs.* alibi, *manuſque voſtras non horrebitis admovere nobis*; etiam alio loco, *Cœli, Lesbia illa noſtra*. Villula porro hæc erat Catulli tantum, non etiam Furii, ut furore poetico correptus putavit Muretus a Scaligero reprenſus. Furius enim erat mendicus, ne que ſervum habebat, neque arcam, multo minus villulam, quam quidem puto tyburtinam, de qua poeta,
ibi, *O funde noſter ſeu Sabine, ſeu Tiburs,*
Fui libenter in tua ſuburbana villa.

2 *Flatus* deinde cum dicit, enumerat quatuor principes ventos, unde cæteri dependent, oriunturque, in quo ſequitur Homerum; neque putes cum eruditis, quatuor, vel ſaltem octo tantum ventos notos antiquis fuiſſe, qui ventorum, & aquarum erant peritiſſimi; hinc Homerus, ἀτλάντος &c. *Atlantis filia multiſcii, qui maris omnes profunditates novit*. quo loco opponat auriculam Vulpius, qui ad carmen *Phaſelus ille*, verbo *litus*, docuit, veteres ſolitos radere litus, altum veritos; quem virum doctum ibi paucis, ſed ſatis tetigi. Antiquis igitur venti omnes notiſſimi erant; primus *auſter*, ſecundus *favonius*, tertius *boreas*, quartus *apeliotes*, vel *eurus*, quintus *alter*, vel *vulturnus*, græce ἀφόνοτος inter notum, & eurum, ſextus *caurus*, græce ἀρλέσις contra aquilonem, ſeptimus *africus*, græce λίψ contra vulturnum, octavus *ſeptentrionarius* in auſtrum, nonus *circius*, decimus *japix* ab Apulia, undecimus *cacias*, de quo Ariſtoteles, duodecimus *atabulus*, de quo Horatius, decimus tertius, & quartus *eteſiæ*, & *prodromi* dicti, decimus quintus λιβόνοτος inter africum, & auſtrum, quaſi africauſter, de quo Ariſtoteles, decimus ſextus λιβοφοίνιξ inter meridiem, & hybernum occidentem, decimus ſeptimus, & octavus *zethus*, & *calais* filii boreæ, & alii multi, quos enumerare longum eſt.

2 *Oppoſit*: &c. Oppenere hic eſt oppignerare.
Ter: *Ager oppoſitus eſt ob decem minas.*
Juve: *Lancibus oppoſitis*. Ludit enim Catullus in ambiguo verbo, quod nonnullos cum Palladio in errorem impulit putantes, poetam conqueri, quod villa ab urbe nimium deſtaret, vel quod expoſita eſſet ventis, vel quod in ea plurimi ventitarent, cum revera queratur, villam oppignoratam, & oppoſitam eſſe ad millia quindecim, & ducentos *ſubaudi* ſeſtertios, ſe-
4 ſtertios, inquam, quod eſt veriſſima lectio Codicum omnium, præſertim libri Scaligeri, qui liquide habebat *ducentos*, non *ducenta*, ex qua inepta lectione naſceretur immanis ſumma Catulli villula, & loco ineptiſſima.

5 *Peſtilentem* tandem cum dicit, fortaſſe alludit ad africum ventum, de quo Horatius,
ibi, *Nec peſtilentem ſentiet africum.*
Ut enim africus fruges occidit, ita oppignoratio villam. Nam verus dominus eam amittat neceſſe eſt, niſi pacta die ſolvat, quantum accepit.

AD PUERUM

Miniſter vetuli puer falerni,
Inger mi calices amariores,
Ut lex Poſthumiæ jubet magiſtræ
Ebrioſa acina ebrioſioris.
At vos, quo lubet, hinc abite lymphæ,
Vini pernicies, & ad ſeveros
Migrate; hic merus eſt Thyonianus.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Miniſter* &c. Verſus eſt hendecaſyllabus, in quo poeta petit a ſervo vinum vetus, &, Poſtumiæ lege reſtituta, aquæ, quæ vini pernicies eſt, aquam inquam; & ignem interdicit. cur autem petit? vel quia, puto, aliquid componere debebat;
Hora: *Fæcundi calices, quem non fecere diſertum?*
Vel ad curas animi,
Hora: *Curam rerum juvat Lyæo ſolvere.*
vel quia ad amicam convolabat. Vinum enim valet ad vigorem corporis; hinc apud Homerum Achilles pugnaturus, μείζονα &c. *Majorem craterem appone*. *Miniſter* vero proprie eſt ſervus ad cyathos, de quo mone lexicographos; Tib: *Ceſſas dente olente miniſter*. Hor: *Menſa miniſtratur pueris tribus*. Cic: *Cum in conviviis maximis poculis miniſtraretur*. Ex eo porro *vetuli* colligo, falernum optimum eſſe, quod nec veterrimum ſit, nec novum: qui enim ſapiunt, falernum quærunt vetulum, ita Mart: & Macr: a Douſa citati. falernum tandem eſt cæteris fortaſſe pretioſius. Hor. *Falern's invidet uvis*. Tib: *Bacchi cura falernus ager*. Mart: *Sextantes infunde falerni*.

2 *Inger* &c. Ita erat in omnibus MSS ἀρχαϊκῶς, pro *ingere*, ita *biber*, pro *bibere*, inquit Vulpius. Cave enim legas *ingere* cum Achille, vel *miſce* cum Douſa. *Amariores* autem h. e. meraciores, ut recte Scaliger; hinc poeta infra, *Hic merus eſt Thyonianus*. Porro Poſthumia erat femina vinolenta, quæ, cum magiſtra erat conviviorum (magiſter enim erat, qui talis Venerem jaciebat) adeo capacia pocula convivis jubebat, ut nemo uno hauſtu bibere poſſet, ad quam, puto, alludit Horatius,
ibi, *Siccat inæquales calices conviva ſolutus legibus inſanis*.
non enim τὸ *lex* dictum eſt de lege Pop. Rom. ut ajebat Tunebus, cui repugnat τὸ *magiſtra*, & τὸ *ebrioſioris acina ebrioſa*, quæ mentem eripuit viro docto. Leges vero *acina*, ut

4 legit Gellius, non *acino*, quod erat in corruptis exemplaribus; neque vero *ebrioſa* dicas, quaſi reddat homines ebrios, ut putant omnes critici, ſed quia ipſa acina quodammodo ebria eſt, ut vini plena.
Cicero, *Dicunt ebrioſum, & mulieroſum eſſe.*

5 *At vos* &c. ἀγανακτησις Catullo familiaris;
alio loco, *At vobis mala multa dii dent.*
alibi, *At vos interea valite, abite.*
Aquam igitur mandat ad homines ſeveros, h. e. ſobrios. Vinum enim gravitati inimicum eſt;
Hor: *Quid non ebrietas deſignat? aperta recludit.*

7 *Hic merus* autem cum dicit, fingit habere poculum in manu. Thyonianus enim idem, ac Bacchicus, Bacchus vero filius matris Thyonis, quæ & Semele dicta eſt, a Βαυκὸς *jucundus*. Vinum enim facit homines jucundos; hinc Βαυκαλία *patera*, in quam vinum infunditur.
Hom: ἀμφί &c. *De Dioniſio Semeles inclyta filio memor ero.*
Laudandus tandem eſt Catullus in eligendo vino meraco, & vetere, immo inter ſapientes enumerandus.
Plaut: *Qui utuntur vino vetere, ſapientes puto.*

AD VERANNIUM, ET FABULLUM

Piſonis comites, cohors inanis,
Aptis ſarcinulis, & expeditis,
Veranni optime, tuque mi Fabulle,
Quid rerum geritis? ſatiſne cum iſto
Vappa frigoraque, & famem tuliſtis?
Ecquidnam in tabulis patet lucelli
Expenſum? ut mihi, qui meum ſecutus
Prætorem refero datum lucello.
O Memmi, bene me, ac diu ſupinum
Tota iſta trabe tentus inrumaſti,
Sed, quantum video, pari fuiſtis
Caſu; nam nihilo minore verpa
Farti eſtis: Pete nobiles amicos,
At vobis mala multa dii, deæque
Dent, opprobria Romuli, Remique.

NOTÆ CRTICÆ

1 *Piſonis* &c. Verſus eſt hendecaſyllabus, in quo poeta queritur de Verannii, & Fabulli ſiniſtra fortuna, ſuaque, accuſatoque Memmio, & Piſone, in nobiles Romanos rabiem acuit. Hæc autem compoſuit, poſtquam rediit ex Bithynia, ex eo, *ut mihi, qui meum ſecutus Prætorem.* Piſo vero Quæſtor in Hiſpania, de quo Saluſtius, *Cn. Piſo adoleſcens nobilis, ſummæ audaciæ, egens, factioſus, in citeriorem Hiſpaniam Quæſtor pro Prætore miſſus eſt adnitente Craſſo.* Porro *comites*, & cohors idem eſt;

Hor: *Laudat Brutum, laudatque cohortem,*
Solem Aſiæ Brutum appellat, ſtellaſque ſalubres.

Appellat comites. Comites autem erant Scribæ, Accenſi, Medici, Præcones, Quæſtores, Præfecti, & alii, ut ait Cicero in Verrem, quamquam alibi *Quid de Præfectis? de Comitibus dicam?*

2 *Aptis* h. e. colligatis ab antiquo *apo*, ut recte Douſa, Cic: *Inter ſe connexa, & apta.* Sarcinæ enim, cum inanes ſunt, fere ſemper colligantur; *expeditis*, quia nihil portant, hinc *milites expediti*, vulgo *veſtiti alla leggiera.* Neque facit ad rem Horatius citatus a Vulpio, *Apto cum lare fundus*; nam *apto* ibi habet diverſum ſenſum, & idem eſt, ac conveniens, idoneum, quod ſit ſatis.

3 Verannius autem, & Fabullus ſecuti erant Piſonem Quæſtorem in Hiſpaniam, de quibus poeta,
ibi, *Veranni omnibus e meis amicis Antiſtes.*
& ibi, *Cœnabis bene, mi Fabulle, apud me.*

5 *Vappa* vero non eſt prodigus, ſed egens, & homo nihil, ut erat revera Piſo, de quo ſupra Saluſt: *egens, factioſus* &c. quod contra Vulpium eſt, qui fruſtra citavit Horatium,
ibi, *Non ego avarum*
Cum veto te fieri, vappam jubeo, aut nebulonem.
ibi enim *vappam*, & *nebulonem* non eſt pro prodigo, ſed pro egenti, & homine pretii nullius, de quo etiam mone lexicographos verbo *nebulo*. Lyricus enim vappam recte opponit avaro, quia avarus habet, licet non utatur, vappa, & nebulo non item, quod ex verbis ipſis cognoſcitur, quæ tranſlate dicta ſunt. Vappa enim proprie eſt vinum inſipidum, nebulo quaſi nebula,
Plinius, *Vappæ accepit nomen probroſum etiam hominum, cum degeneravit animus.*
Perſius, *Vappa in tenui farragine mendax*;
Avct. Priap. *Nos vappæ ſumus, & puſilla culti ruris numina.*

6 *Ecquidnam* &c. Interpretes omnes ad unum, quos ſecutus eſt Vulpius, & lexicographi verbo *lucellum*, ne, inquam, lucellum quidem reportarunt in explicatione hujus verſus, & proximis duobus, ita aberrant e curriculo. *Expenſum* enim cum dicit, oſtendit, comites niſi damnum ex Hiſpania cum Piſone retuliſſe. Nam habebant tabulas *debiti*, & *lucelli*, vel *accepti, & expenſi*, vulgo, *il dar, e l'aver*. In tabulis lucelli ſcribebant expenſa de ſuo pro Prætore, vel

 Quæſto-

Quæſtore, a quo erant ſatisfaciendi, quæ vero expendenda accipiebant a Prætore, vel Quæſtore, in tabulis debiti ſcribebant, de quibus loco ſuo, ſtatutoque tempore iidem ipſi rationem reddere debebant Prætori, vel Quæſtori; Piſo Verannio, & Fabullo non ſatisfecit, neque Memmius Catullo, hinc recte *refero datum lucello* h. e. domi reporto damnum, & expenſum datum h. e. ſcriptum in tabulis lucelli; quem ſenſum habet & verſiculus, *ecquidnam in tabulis patet lucelli expenſum?*

Patet autem eſt verbum aptum natum in ratione tabularum,

Cic: *Ubi eſt millies ſepties ſeſtertium, quod patet in tabulis?*

9 O *Memmi* &c. ἀποστροφὴ cum indignatione mixta, quæ oritur ex illis verbis *refero datum lu-*
cello. Falluntur enim qui hic incipiunt alterum hendecaſyllabum. Nam Catullus queritur hic
cum Memmio Bithyniæ Prætore ex perſona ſua, non ullius, ut ſomniat Muretus, ſe irruma-
tum ab eo fuiſſe, h. e. ſe ab eo illuſum, ſeque pro lucro, quod promittebatur, damnum ac-
10 cepiſſe. Id enim *inrumaſti* non eſt proprie dictum, ut recte Scaliger, ſed translate pro *illu-*
dere, ut ibi, *Tangam te prior inrumatione*, hinc etiam Itali, cum dicunt, *ficcarla ad alcu-*
no, vulgo *coglionare*. *trabe* autem eſt pro re obſcena in ſenſu tamen translato, de quibus
mone lexicographos.

Leges vero *tentus*, quod erat in noſtro ſcripto, & in aliis omnibus Voſſio teſte, quodque loco ſuo eſt. Nam tenta ſunt in obſcenis, poeta *tenta vorare viri*, ut *lentus* ſi non fictitium, vitioſum eſſe videatur.

11 *Sed quantum video pari* &c. Levat, ſolaturque amicos ſuos Verannium, & Fabullum. [Oſtendit
enim tam eorum fortunam, quam Piſonis eundem exitum ſortitam fuiſſe. Leges autem, ut
erat in omnibus MSS *fuiſtis*, deinde *farti eſtis*, unde lectio Douſæ *i pete*, & cæterorum *fui-*
ſti, & *es fartus*, commentitia eſt, ut vidit etiam Achilles, Scaligerque.

12 Vocat vero *uerpam* Piſonem, h. e. mentulatum, & puellis deditum, unde nata indigentia,
qua premebatur.

13 *Pete* porro pro *appete* dictum ironice mihi, tibique, cum alluſione ad comites, qui appete-
bant amicitias nobilium, quos ſequerentur in Provincias; quam ironiam aperit ſtatim, cum
14 ait, *At vobis mala multa dii, deæque dent opprobria*. Hæc enim indignatio eſt, qua utitur ſæ-
pe poeta in eos, quos odit.

15 Notandum tandem eſt contra Scaligerum, ceteroſque, id *Romuli*, *Remique* non eſſe nominan-
di caſum, ſed generandi. Nobiles enim, qui tum vivebant in Republica, opprobria erant Ro-
mulo, Remoque generoſis, ac vere nobilibus, de quibus T. Livius *His immortalibus editis operi-*
bus; neque juvat poeta,

ibi, *Cinæde romule*,

neque ille, *Oro te, romule Arpinas*,

neque alii Scriptores, ſi qui ſunt, in quibus *romule* non eſt dictum κατὰ [illegible] cum alluſione ad Romulum, ſed idem eſt, ac *romane*, ut apud Virgilium *romula tellus*; *opprobria* tamen eſt nominandi caſus,

Hom: αἰδὼς &c. *Pudor Argivi mala opprobria.*

quæ omnia probat Propertius,

ibi, *Nil patrium niſi nomen habet romanus alumnus,*
Sanguinis altricem nunc pudet eſſe lupam.

AD CÆSAREM

Quis hoc poteſt videre, quis poteſt pati,
Niſi impudicus, & vorax, & aleo,
Mamurram habere, quod comata Gallia
Habebat unctu', & ultima Britannia?
Cinæde romule, hæc videbis, & feres?
Es impudicus, & vorax, & aleo.
Et ille nunc ſuperbus, & ſuperfluens
Perambulabit omnium cubilia,
Ut albulus columbus, aut Adoneus?
Cinæde romule, hæc videbis, & feres?
Es impudicus, & vorax, & aleo.
Eone nomine, imperator unice,
Fuiſti in ultima occidentis inſula,
Ut iſta voſtra diffututa mentula
Ducenties comeſſet, aut trecenties?
Quid eſt, ait? ſiniſtra liberalitas
Parum expatravit, an parum helluatus eſt?
Paterna prima lancinata ſunt bona,
Secunda præda pontica, inde tertia
Hibera, qua ſe amnis aurifer Tagus;
Quid hunc malum fovetis? & quid hic poteſt,
Niſi uncta devorare patrimonia?
Eone nomine, imperator unice,
Socer, generque perdidiſtis omnia?

NOTÆ CRITICÆ

1 *Quis hoc* &c. Verſus eſt jambicus trimeter, in quo poeta invehit in Cæſaris ſiniſtram erga Mamurram conniventiam, & prodigalitatem. Hæc autem compoſuit, poſtquam Cæſar re-
3 diit ex Hiſpania victo Afranio, & Petrejo, ex illis verbis, *Inde tertia Hibera*. Mamurra vero eques romanus Formiis natus, præfectus fabrorum Cæſaris maxime dives, de quo Cic: *Labieni divitiæ, & Mamurræ placent*. Plin: *Hic eſt Mamurra, quem Catullus dixit habere quicquid ha-*
4 *buiſſet comata Gallia*. Leges porro cum Scaligero *unctu'*, pro *unctum* eliſa ultima ob ſequentem vocalem. In MSS enim omnibus erat *cuncta*, *v.* & *a* viciſſim ſe commutant in exemplaribus præſertim longobardicis, ut recte vir doctus, ita alibi, *maximu' in oris*, quia in MSS *maxima in oris*; repudies igitur *uncti*, quod nonnihil aberrat a ſcriptura. Unctum autem importat res pretioſas, & ſucci melioris; Hor: *Ubi quid melius contingit, & unctius*; etiam Itali ſubſtantive, Bocc: *Troverai unto, biſunto, e cento cacarelli della gallina mia*.
5 *Cinæde* &c. Vocat Cæſarem cinædum, quia in Bithynia pædicatus fuit a Rege Nicomede, qui ab eodem Cæſare deinde in bello victus fuit, unde lepidi verſiculi a Svetonio allati,

Ecce Cæſar triumphat, qui ſubegit Nicomedem,
Nicomedes non triumphat, qui ſubegit Cæſarem.

vocat etiam romulum, non quaſi alter Romulus eſſet ut primus in Republica, ſed quia romanus, contra Scaligerum, cæteroſque; ita enim intelligendus eſt Salluſtius, *ſævus iſte romulus* h. e. romanus. ita Hor: *Divis orte bonis optime romule*; ſic Perſius, Juvenalis, & alii, que-
6 madmodum Virgilius, *romula tellus*, & Horatius, *Gens romula*. Leges autem *aleo*, non *belluo*, quod eſſet vitio repetitum, cum ait *vorax*. Neque vero hic verſus omittendus eſt; licet enim in libro Scaligeri non legatur, tamen legitur in aliis, & ita eſt loco ſuo, ut deeſſe non poſſit. Poeta enim argumentatur ſuperius, *Qui poteſt videre, & pati, impudicus eſt* &c.

7 *Superfluens* vero eſt, qui præ divitiis in ſua pelle non continentur, ut recte Muretus.
Cic: *Nimis redundantes nos, & ſuperfluentes reprimeret.*
translatione ducta ab alveis fluminum, cum ſuper ripas fluunt.
Deinde τὸ *perambulabit* eſt in obſcenis. Tanto enim impetu puellas exercebat in lecto, in quo pedes præcipue moventur, ut perambulare videretur.
poeta, *Tremulique lecti argutatio, inambulatioque;*
huc reſpexit Areoſtus,
ibi, *Avea Giocondo, & avea il Re ſentito*
Il calpeſtio, che ſempre il letto ſcoſſe.
Cave enim explices *dormirà ſtiualato* cum Voſſio, qui ipſe ſuaviter dormit, aberratque a vero ſenſu *con paſſi appunto da ſtiuale*, quo etiam loci colligo, fortaſſe & Lesbiam tactam a Mamurra, quapropter eum hoc carmine lacerat.

9 *Columbus*, &c. quia columbi ſunt libidinoſi; Prop: *Exemplo junctæ tibi ſint in amore columbæ.* Non enim hæc eſt locutio, qua utebantur in homines arrogantes, ut putat Vulpius, qui fruſtra affert Iuvenalem *gallinæ filius albæ*, ſed in libidinoſos, hinc ait ſtatim *Adoneus*, quod idem eſt, ac *Adonis* filius Cynaræ, quem occiſum ab apro Venus in florem mutavit. Plaut: *Ubi Venus Adoneum.* Auſ: *Arabica gens Adoneum.* Hæc enim eſt vera lectio ex MSS, quæ habebat *Ut albulus columbus, aut idoneus*, ut *dioneus*, quod legebatur in quibuſdam, ineptum ſit. Leges autem *es impudicus*, ut ſuperius argumentatus eſt poeta, non *eſt*, ut male Voſſius. Sermo enim eſt ad Cæſarem. τὸ porro *imperator unice* non eſt εἰρωνικῶς, ut credit Vulpius, ſed reapſe. Nam Cæſar tunc erat unicus, & primus in Republica, victo iam Pompejo, eiuſque exercitu, ex eo verſiculo *inde tertia Hibera*, quem videſis contra eundem Vulpium. Laudat enim poeta quodammodo Cæſarem, ut peccatum ejus clarius eluceat, & dignum ſit venia minus.

14 *Iſta voſtra* &c. Eſt ipſe Mamurra Cæſari carus, de quo & alibi, *Mentula habet inſtar triginta jugera prati*; vocat enim mentulam, quia erat libidinoſiſſimus, de quo ſuperius, *Ille perambulabit omnium cubilia*, & diffututum, quia ſtuprum a Cæſare paſſus eſt, hinc alibi in eoſdem,
15 *Vno in lectulo, erudituli ambo.* Leges autem *comeſſet*, non *comiſſet*; ita ſuperius *ſilicem comeſſe*
16 *poſſunt*. Leges etiam contra omnes *quid eſt, ait?* &c. In libro enim Scaligeri erat liquide *ait*, ita & in noſtro, licet in aliis *alit* vitioſum, unde Faernus ridicule *quid abſtulit*; Scaliger, & Achilles, quos ſecutus Vulpius, *quid eſt alid*, pro *aliud*, quod & hoc caret ſucco, & elegantia latina; cæteri MSS nihili faciunt, qui legunt *Quid eſt? ab hac*, commentum Avantii purum, putumque, ego vero cum MSS *quid eſt, ait?* h. e. quantum comedi, ait Mamurra? cui excuſationi ſtatim reſpondet Catullus, ſiniſtra liberalitas tua, o Cæſar, parum expatravit h. e. in cauſa fuit, ut &c. *Siniſtra* autem idem, ac ſtulta, Hor: *O ego lævus, qui purgor* &c. vel non bona, quia ſiniſtra manu nihil boni facimus. Bona enim eſt liberalitas, quæ proſit amicis, noceat nemini, quod de Cæſare dici nequit, qui profuit quidem Mamurræ, nocuit ta-
17 nen Galliæ, Iberiæ, & Britanniæ. τὸ tandem *expatravit* eſt in obſcenis idem, ac rem Veneris ſepæ perficere (Mamurra enim erat libidinoſiſſimus); importat enim pluſquam patrare, de quo mone lexicographos; hinc gloſſarium latino-arabicum allatum a Scaligero, *Patratio eſt rei Veneriæ conſumatio*; quia, ajo, quod patris eſt, effunditur. Nota poſtremo τὸ *helluatus*, unde colligas, Mamurram epulis, & crapula delectatum maxime fuiſſe, de quo Cic: *Vnctus eſt, accubuit, & edit, & bibit;* & poeta noſter, *Niſi uncta devorare patrimonia*; alibi, *ducenties comeſſet.*

19 *Pontica* &c. Quando Cæſar Pharnacem ſuperavit, contra Vulpium putantem, cum Cæſar lucellum fecit ex contubernio Thermi Prætoris, & familiaritate Nicomedis. Nam quomodo lucello ditare potuiſſet Mamurram? dein, poeta cum enumeret duo maxima bona abſumpta, nempe paterna, & Ibera, non eſt ſimile vero, inſeruiſſe lucellum miſellum aptum ex Præto-
20 re, vel Nicomede; *Hibera* autem præda contigit, cum Pretrejum, & Afranium Pompejanarum partium duces Cæſar debellavit, hinc jure, meritoque vocatur unicus imperator,
ibi, *Eone nomine imperator unice.* Lege vero, ut erat in omnibus MSS Scaligero teſte, *quam ſe amnis aurifer Tagus*; ubi ſinalœphe negleta *e* in *ſe* corripitur ob vocalem ſequentem, ut apud Virgilium, *Nomen, & arma locum ſervant, te, amice, vocavi.* & apud Hor: *Si me amas* &c. & ſenſus erit, *per quem locum ſe Tagus*, ſubaudi, *effundit*. Catullus enim nihil aliud facit, niſi κατ' ἔλλειψιν locum deſignat, ubi maxime Mamurra locupletatus eſt. Critici mendoſas lectiones protulerunt; Scaliger enim *quas & amnis*, τὸ *quas* ineptum. Nam quid Tagus cum præda pontica, vel bonis paternis? Marcilius *quam auxit*, alii *quam ſcit*, nulla, quia aberrant a MSS.
Ovid: *Auriferi riva beata Tagi.*
Plin: *Tagus auriferis arenis celabratur.*

21 Nota tandem etiam, atque etiam, in noſtro MSS verſum illum corrupiſſimum *Hunc Galliæ timent, timent Britanniæ* ita deeſſe, ut ne ſpatium quidem, vel lacuna internoſci poſſit; & ſare

Scaliger

Scaliger putabat eſſe ſpurium, quod iam res ipſa loquebatur. Catullus enim hic jambis puris uſus eſt, igitur τὸ *hunc Galliæ* omnino ſcriptum ſit ab aliquo librariolo ardelione; deinde examino verſum *quid hunc, malum, fovetis*; quæ ἀποστροφὴ, & ἀγανάκτησις egregie, & belle naſcitur ab ellipſi ſuperiori illa, *qua ſe amnis aurifer Tagus*. Reliquit enim poeta ſenſum quodammodo imperfectum, ut ad exclamationem, indignationemque citius deſcenderet. Non potuit enim diutius ferre Mamurram, ejuſque ſcelera ſigillatim enumerare. quid quæris? τὸ *hunc* in uno, & altero verſu nonne flacceſcit; & friget? præterquamquod alii legebant *timent timent*, alii *timetis* diſcedentes a MSS, quæ in aliis habebant *Nunc Galliæ timet, & Britanniæ*, quæque, peream, ſi in hoc verſiculo ſanari poſſunt.

22 *Quid hunc* &c. Apoſtrophe ad Cæſarem, non ad Pop. Rom. ut putant;
ita alibi, *Ut iſta voſtra diffututa mentula*;
alio loco, *Quo veſter expolitior dens eſt, hoc te amplius* &c.
Poetæ enim utuntur numero plurali, licet ad unum hominem ſermo ſit.
Malum autem eſt interjectio iraſcentis.
Ter: *Quas, malum, ambages narrare occipit?*
Cic: *Quæ, malum, eſt iſta amentia?*
Leges vero *& quid hic*, non *aut quid hic* ſine lepore, præterquam quod in MSS erat *& quid*.

23 porro *devorare patrimonia* ſumptum a græcis, Hom: χρήματα δαρδάπτουσιν *opes devorant*; & Didymus apud Diomedem allatus a Douſa *comeſta patrimonia*.

24 Leges autem, ut recte Scaliger ex optima conjectura *imperator unice*, non *urbis opulentiſſima*, vel *oblitiſſima*, quarum lectionum ridicularum obliviſci debemus.

25 *Socer* tandem *generque* cum dicit, intelligit & Cæſarem, & Pompejum, qui perdiderunt omnia. Cæſar enim perdidit ſiniſtra liberalitate erga Mamurram, Pompejus Remp. malis conſiliis, de quibus Cicero,
ibi, *Aut hic tantum ſceleris, aut ille tantum flagitii admitteret*.
alibi, *Promitto tibi, ſi valebit, tegulam illum nullam in Italia relicturum*;
Cur vero immeſcere voluit Pompejum? quia, cum dixiſſet *imperator unice*, recordatus eſt poeta de Pompejo, qui & ipſe fuit alter imperator unicus, quique Cæſaris ſocer perdidit omnia Reip., ut clarum eſt ex citato Cicerone. Non enim hoc referas ad συμπαθεῖαι, ut facete detorſit Virgilius,
ibi, *Socer beate nec tibi, nec alteri*
Generque Noctuine, putidum caput;
Tuone nunc puella talis, heu tuo
Stupore preſſa rus abibit? hei mihi
Ut ille verſus uſquequaque convenit,
Gener, ſocerque perdidiſtis omnia.
Quod ſi facias, ad ſoceros, & generos Prætor tradet te.

AD

AD ALPHENUM

Alphene inmemor, atque unanimis falſe ſodalibus,
Jam te nil miſeret, dure, tui dulcis amiculi,
Jam me prodere, iam non dubitas fallere perfide?
Nec facta impia fallacum hominum cælicolis placent,
Quos tu negligis, ac me miſerum deſeris in malis.
Eheu quid faciant, dic, homines, quoive habeant fidem?
Certe tute jubebas animam tradere, inique, me
Inducens in amorem, quaſi tuta omnia mi forent:
Idem nunc retrahis te, ac tua dicta omnia, factaque
Ventos inrita ferre, ac nebulas aerias ſinis.
Si tu oblitus es, at dii meminerunt, meminit Fides,
Quæ, te ut pæniteat poſtmodo facti, faciet, tui.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Alphene* &c. Verſus eſt choriambicus conſtans ex ſpondæo, tribus choriambis, & pyrrichio, in quo poeta accuſat perfidiam Alpheni, in quem a Superis, & Fide pænam factis dignam precatur.

Alphenus autem ille, de quo ſupra, *Varus me meus ad ſuos amores duxerat*, olim ſutor, deinde juriconſultus, & poeta, de quo Servius,
ibi, *Alphenus Varus licet Juriconſultus, etiam carmina aliqua compoſuiſſe dicitur.*
Cur vero eum accuſet, ratio eſt, quia, cum promiſiſſet Catullo vel amores ſuos, (de qua re ſupra *Varus me meus ad ſuos amores duxerat e foro otioſum*,) vel ſeſe ipſum amandum, (nam tunc temporis erat Alphenus pene imberbis) promiſſis non ſtetit. Non enim ideo in eum fecit, quia cauſam deſeruerit, ut putat Vulpius ex Parthenio, qui ipſe in hoc cauſa cadit, quemque contra pejor rabula reclamat verſus, *me inducens in amorem*. Neque ſub Alpheni nomine intelligas Pompejum, quaſi, ut credit Lipſius, poeta ejus auctoritatem vereretur. Si enim contra Cæſarem numquam tacite, & furtim ſe geſſit, cur contra Pompejum? præſertim cum iam Alphenus Varus in promptu ſit, de quo ſemel, itetum, ac tertio loquitur Catullus.

4 *Nec facta* &c. In hoc verſu poeta reſpexit ad Homerum ibi; ὐ γὰρ σχέτλια ἔργα θεοὶ μάκαρες φιλέουσιν, *Non enim infelicia opera dii beati amant*. Leges autem *dic*; in MSS enim omnibus erat *dico*; non *dehinc* cum Achille, vel *o dii* cum Marcilio, quæ aberrant a veſtigiis Codicum. Leges etiam *jubebas*, ut habebant membranæ, non *jurabas*, vel *videbas*; Porro *animam tradere* proprium amantis eſt, quod explicat Propertius,
ibi, *Vidi ego te toto vinctum langueſcere collo*
Et cupere optatis animam deponere verbis.

9 *Dicta* vero ſunt promiſſa;
poeta, *Dicta nihil metuere, nihil perjuria curant.*

10 Leges etiam *ac nebulas*, non *& nebulas* in MSS enim erat *ad nebulas*.
poeta alibi, *Qua cuncta aerii diſcerpunt inrita venti*. Leges quoque contra Muretum *at dii meminerunt*. Nam in MSS *ut dii meminerunt*, non *meminere*; quibus verbis deos in vindictam vocat: Hom: ἀλλ' αἰδεῖο &c. *At reverere deos Achilles.*
Vig. *Si genus humanum, ac mortalia temnitis arma,*
At ſperate deos memores fandi, atque nefandi.
Vocat & Fidem, ad quam ſpectabat punire perfidos, perjuroſque, quæque a Romanis colebatur;
Juv: *Ut colitur Pax, atque Fides.*
Cic: *Fidem, quam in Capitolio vicinam Jovis Opt. Max. majores noſtri eſſe voluerunt.*

AD SIRMIONEM

Peninſularum, Sirmio, Inſularumque
Ocelle, quaſcumque in liquentibus ſtagnis,
Marique vaſto fert uterque Neptunus,
Quam te libenter, quamque lætus inviſo,
Vix me ipſe credens Thyniam, atque Bithynos
Liquiſſe campos, & videre te in tuto.
O quid ſolutis eſt beatius curis?
Quom mens onus reponit, ac peregrino
Labore feſſi venimus larem ad noſtrum,
Deſideratoque acquieſcimus lecto.
Hoc eſt, quod unum eſt, pro laboribus tantis.
Salve, o venuſta Sirmio, atque hero gaude,
Gaudete, voſque lydiæ lacus undæ,
Ridete quicquid eſt domi cachinnorum.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Peninſularum* &c. Verſus eſt jambicus trimeter, in quo poeta laudat, & ſalutat peninſulam Sirmionem. Hæc autem compoſuit in hac eadem peninſula, poſtquam rediit ex Bithynia phaſelo ſuo. Fallitur vero Scaliger, qui putat, hoc carmen tempore conjunctum eſſe cum carmine de Phaſelo, quod ſane compoſuit multos annos poſtquam ad Sirmionem ex Bithynia pervenit, ut colligo ex eo, *Nunc recondita ſenet quiete*. Tunc enim ſeneſcebat phaſelus, nunc adoleſcit, utpote qui tres, vel quatuor annos natus. Nam ex Bithynia, ubi triennium poeta cum Prætore fuit, ſtatim Romam, hinc ad Sirmionem profectus eſt pheſelus, a quo nulla vota Diis litoralibus facta ſunt. Sirmio tandem eſt peninſula ad lacum Benacum vulgo *lago di Garda*, quam vocat *ocellum* peninſularum, inſularumque. Ita enim vocamus, quos maxime laudamus, & amamus. Cic: *Cur ocellos Italiæ villulas meas non video?* Plaut: *Libane, ocellus aureus, mi anime*; quod a græcis ſumptum eſt, hinc Demoſthenes allatus a Vulpio ἑλλάδος ὀφθαλμός, *Græciæ oculus*, ita Euripides, & Julianus in epiſtolis, quos vide. In hac peninſula Catullus natus eſt, quod contra doctos dico Vulpium ſcilicet, & Maphejum ſecutos veteres præcipue Euſebium, qui & ipſe relata retulit, cum ait, Catullum Veronæ natum fuiſſe. Ut enim in multis lapſus eſt, ita & in hoc. Quæro enim, cur ſalutat Sirmionem, Veronam autem nunquam, quam certe paucis alloqui debuiſſet, ſi ejus patria fuiſſet? præſertim cum iam Sirmionem vocat larem. Lar enim dicitur de patria, deque domo, ubi nati ſumus. Plaut: *Ego ſum Lar familiaris ex hac familia*: Prop: *Et ferre ad patrios præmia dira lares*. T. Liv: *Larem, Penates, tectaque, in quibus natus, educatuſque eſſet*. ſed quid ſudo in re ſudoris nullius? ſit inſtar omnium verſus *ad Coloniam*, ibi, *Quendam municipem meum* &c. non ne poeta ſeſe facit ex municipio? Veronæ igitur, quæ nunquam fuit municipium, ſed Colonia, natus non eſt; quod unum tantum criticos ex adverſo inermes fugat ad carmen *Poetæ tenero meo ſodali* &c. ubi dicitur, *Velim Cæcilio, papyre, dicas, Veronam veniat*, unde colligunt, Catullum Veronenſem fuiſſe. O egregiam, & lepidam deductionem! quid ſi dixiſſet *Brixiam veniat*, num fuiſſet ex Brixia? minime gentium; Nam recte tantum cognoſceremus, domum Brixiæ habuiſſe, vel apud amicum fuiſſe. Quare velim Veronenſibus, papyre, dicas, deponant falſam, ac delumbem opinionem, contra quam reclamat venuſta Sirmio.

3 *Uterque Neptunus* h. e. utraque Neptuni poteſtas tum in mari, tum in ſtagnis. Cave enim explices mare ſuperum, & inferum cum Achille, & Mureto, vel mediterraneum, & oceanum cum Voſſio, quaſi vero Neptunus non Euxino, non Adriatico, non aliis præſit; qui tamen viri docti inſulſi, & frigidi eſſe debebant, cum agatur hic de Neptuno, & aqua. Neptunus autem Jovis, & Plutonis frater, cujus ethymon contra ethymologos ajo eſſe, non a νίπτειν *lavare*, quia non explicant officium dei; neque a *nuptu*, quia mare non nubit terram totam, non Africam, non Aſiam, non Europam, neque Americam; potius enim cingit terram, Hom; γαιήοχῳ ἐννοσιγαίῳ *Terram cingenti Neptuno*. poeta, *Oceanus, qui amplectitur orbem*;

alibi,

alibi, *cingentibus undis*, ſed a *νέω fluo*, & *πτειέω terreo*. Ita enim explices Neptuni naturam, qui fluit, & natat cum impetu, ac terrore. Hom: ποτειδάων ἐννοσίχθων; *Neptunus terræ quaſſator*.
5 Thynia vero contra Bithyniam eſt, de quibus Plinius, *Tenent oram omnem Thini, interiora Bithyni*. τὸ porro *o quid ſolutis* &c. ſine nodo eſt, quem tamen Vulpius tanquam in ſcirpo quærit. Senſus enim eſt. *O quid beatius eſt*; ſubaudi, *hominibus ſolutis curis*.

Cic: *Sed hæc ſolutiore animo*.

Mart: *Nox non ebria, ſed ſoluta curis*.

9 *Larem* autem h. e. domum, ubi nati ſumus.

10 T. Liv. *Larem, Penates, tectaque, in quibus natus, educatuſque eſſet*. Tandem *deſideratoque* cum dicit, videtur imitatus Homerum, ἔπει &c. *Poſtquam deſideratum venimus lectum*.

12 *Salve* &c. Salutat patriam, quam videt. Hom: ὠλέτε &c. *Salve, & valde gaude*. Plaut: *Salvete Athenæ*. aliquando diſcedentis eſt. Plau: *Ego abeo, vale, atque ſalve*. Redeuntes autem in patriam lætabantur, & terram oſculabantur. Hom: χαίρων &c. *Gaudens ſua terra oſculatus eſt almam tellurem*. *Hero* vero dicit, quia olim ſaltem dominus fuit Sirmionis, ita de phaſelo ſuo, *herum tuliſſe*.

13 *Gaudete* &c. Poſtquam ſalutavit Sirmionem, nunc aquas Benaci. Gaudere autem etiam eſt rerum inanimatarum. Mart: *Gaudete cunni*. Leges vero *Lydiæ*, ut habent omnia MSS, h. e. thuſcæ, cum tacita alluſione ad Pactolum ſcatentem arenis aureis, in quo laudat lacum. Thuſci enim tenuerunt regionem tranſpadanam, & Veronam, & Mantuam, & alias urbes, qui ab origine ultima incunabula a Lydis habuere navigantibus ex Mæonia in hanc Italiæ partem.

Juſt: *Thuſcorum populi, qui oram inferi maris poſſident, a Lydia venerunt*.

Virg: *Mantua dives agris, ſed non genus omnibus unum,*
Ipſa caput populis thuſco de ſanguine vires,
Hinc quoque quingentos in ſe Mezentius arma;
Quos patre Benaco velatus arundine glauca
Mincius infeſta ducebat in æquora pinu.

Non enim legas cum Marcilio *Lariæ* lectionem ineptam. cur enim Larium appellet, quocum illi nihil erat, & Benacum ſuum, quem alias laudat, *uſque ad hunc limpidum lacum*, miſſum faciat? multo minus *ludiæ* cum Scaligero quaſi ludibundæ, qui quidem vir doctus & ipſe ludere voluit, quoniam omnia adventu Catulli gaudent, ridentque. Dicit autem *undæ*, quia in lacu Benaco fiunt maximi fluctus.

Virg: *Fluctibus, & fremitu aſſurgens Benace marino*. quem lacum deſcribit Dantes,

ibi, *Suſo in Italia bella giace un laco,*
Appie dell' Alpe, che ſerra Lamagna
Sovra Tiralli, & ha nome Benaco.
Per mille fonti, credo, e più ſi bagna,
Tra Garda, e Valcamonica, e Appenino
Dall' acqua, che nel detto lago ſtagna.

dein, *Ivi convien, che tutto quanto caſchi,*
Ciò che in grembo a Benaco ſtar non può,
E faſſi fiume giù per verdi paſchi.
Toſto che l' acqua à correr mette cò,
Non più Benaco, ma Mincio ſi chiama
Fino a Governo, dove cade in Pò.

14 *Ridete*, &c. Poſtquam allocutus eſt Sirmionem, *ſalve o venuſta Sirmio*, & lacum, *Gaudete voſque lydiæ lacus undæ*, hic tandem domum ipſam, & domeſtica quæque, quod vel lippi vident contra Vulpium putantem ex Achille, τὸ *eſt domi* idem eſſe, ac *poſſideri*, ut apud Plautum, *Mihi tergum domi eſt*. Non enim eſt ſimile vero, nullum verbum fieri de domo, cum nonnulla fiant de lacu, multa de Sirmione. Neque juvat, quod poeta alio loco maris cachinnos dixerit; Nam hic ſenſus, occaſio, res ipſa loquitur, τὸ *cachinnorum* ad domum ipſam, eoſque, qui in ea erant, referri debere. *Ridere* porro *cachinnos* optimum eſt, ut *ridere riſum*, *gaudere gaudium* apud optimos Scriptores, quod & hoc eſt rerum inanimatarum;

Hor: *Ridet argento domus*.

Dant: *Faceva tutto rider l' occidente*.

Petr: *Ridono i prati, e il ciel ſi raſſerena*.

L. de M. *E li ridenti prati al mio amor deſti*.

AD HYPSITHILLAM

Amabo, mea dulcis Hypſithilla,
Meæ deliciæ, mei lepores,
Jube ad te veniam meridiatum;
Quod ſi juſſeris, illud adjuvato,
Ne quis liminis obſeret tabellam,
Neu tibi lubeat foras abire,
Sed domi maneas, pareſque nobis
Novem continuas fututiones.
Verum, ſi quid ages, ſtatim jubeto.
Nam pranſus jaceo, & ſatur ſupinus
Pertundo tunicamque, palliumque.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Amabo* &c. Verſus eſt hendecaſyllabus, in quo poeta blanditiis captat amorem Hypſithillæ,
quam ad concubitum inuitat. Hypſithilla autem peſſima puella, & meretrix, ut colligo ex
illis verbis, *Ne quis liminis obſeret tabellam*. Habebat enim amatores; ita Horatius ad amicam,
ibi, *Prima nocte domum claude, neque in vias ſub cantu querulæ deſpice tibiæ, Et te ſæpe vocanti duram difficilis mane*. Leges vero *Hypſithilla*, ut habent MSS, verbum diminutum ab Hypſithea,
de induſtria fortaſſe compoſitum a poeta, ut ſolet, ab ὕψος *altitudo*, vel ὑψηλός *altus*, &
Θεὰ *dea* quaſi altiſſima diva; ita enim poetæ vocant amicas aliquando ſuas. Non enim legas
Hoſpitilla cum Turnebo merito a Scaligero reprenſo. Porro τὸ *amabo* hic interjectio eſt blan-
dientis, alias eſt precantis, Plaut. *Noli, amabo, verberare lapidem*.
3 *Meridiatum* eſt in obſcenis idem, ac puellam exercere poſt meridiem, de quo mone lexicographos.
Suet: *Miſſos a Meſſalina, qui eum meridiantem transſgularent*; Nam poſt meridiem, & prandium
convolabant ad meretrices, quia pranſi promptiores ſumus in Venerem.
poeta, *Quanta gaudia quæ vaga nocte, quæ media die gaudeat*.
Pers: *Poſt prandium Challiorohem do*. ita Cleomedes allatus ab Achille παλλακίδες ἐπὶ ταῖς κλίναις
δειμερίζειν, *Concubinas in lectibus meridiari*. Leges autem, ut erat in MSS, *adjuvato*, non *ad-
jubeto*, vel *& jubeto* cum Turnebo, & aliis. Adiuvare enim non eſt antiquum pro *addere*, ut
putat Muretus, vel pro *efficere*, ut Vulpius, ſed pro *enixe juvare*, & ita explicandus eſt Plau-
5 tus allatus a Scaligero *Valete, atque adjuvate, ut nos ſervet ſalus*. Verſiculus porro quintus
nullo eſt obſcenus pacto, ut putant inſulſe libidinoſi, contra quos reclamant verſus, *Neu tibi
lubeat foras abire*, &, *Sed domi maneas* &c. qui in ſenſu honeſtiſſimo accipiuntur. Obſerare au-
tem verbum eſt liminis proprium; Ter: *Oſtium obſera intus*. *Tabellam* autem explica ianuam
ipſam, de quo mone lexicographos.
8 *Novem* dictum eſt reapſe, non ὑπερβολικῶς ut putat Vulpius. Hoc enim homini non difficile; en
9 Ovid: *Me memini numeros ſuſtinuiſſe novem*; neque cum eodem Vulpio legas *ſi quid ago ſtatim* &c.
contra MSS, quæ habent *ages*, qnæque ſequntur omnes docti, merito; nam ſenſus eſt, *Si
quid ages eorum, quæ peto* nempe *Ne quis liminis* &c. *neu tibi lubeat* &c. *Sed domi maneas* &c. *Sta-
tim jubeto* h. e. *jube ad te veniam meridiatum*.
10 *Nam pranſus* &c. Hic Parthenius reprendit Servium ſcriptitantem, prandia apud Romanos in
uſu non fuiſſe, quod iniuria facit. Nam revera non diſcedit a vero. Prandebant enim libidino-
ſi tantum, & qui genio indulgebant, non autem homines frugi, præcipue philoſophi. Perſ.
Cur quis non prandeat, hoc eſt. Feſt: *Cæna apud antiquos dicebatur, quod nunc eſt prandium*. Leges
autem *ſatur*, ut erat in omnibus MSS, non *Sathe* ex libidinoſa Achillis conjectura.
11 τὸ *Pertundo* vero eſt loco idoneum. Erat enim apud Romanos dea Pertunda, quæ præerat
cubiculis, & maritis in lecto. Pertundebat igitur poeta tunicam, & pallium veſtem conviva-
lem eandem, quam induit ad prandium, non lecti ſtragulum, ut docet Vulpius, in quem can-
tat prouerbium, *tunica pallio propior*, & Martialis ibi, *Ad cænam venies, ſed ſic diviſa recum-
bes, Ut non tangantur pallia noſtra tuis*, contra quem virum doctum etiam noto, pertundere
non idem eſſe, ac tundendo perforare, ſed omnino ſecare. Pertundo enim proprie eſt quaſi
pertondeo; tondeo autem a τομεῖν *ſecare*. Virg: *tondentur arida prata*. ita Juvenalis intelligen-
dus eſt, ibi, *pertundite venam*. hinc *ſicula* eſt res obſcena: poeta, *Languidior tenera cui pendens
ſicula beta*, improprie tamen eſt pulſare, vel pulſando perforare.

O furum optime balneariorum,
Vibenni pater, & cinæde fili.
Nam dextra pater inquinatiore,
Culo filius eſt voraciore.
Cur non in exilium, malaſque in oras
Itis? quandoquidem patris rapinæ
Notæ ſunt populo, & natis piloſas,
Fili, non potes aſſe venditare.

NOTÆ CRITICÆ

1 *O furum* &c. Verſus eſt hendecaſyllabus, in quo poeta abhorret Vibennios patrem, & filium, quibus ſalſe irriſis crucem peſſimam precatur. Vibennius autem uterque nequam homines, & fures electiſſimi balneariorum. In balneis enim cinædi, & meretrices verſabantur, qui ad delitiam conducebantur;

Mart: *Vis futui, nec vis mecum Lauſeja lavari.*

cumque occaſio dabat, ſuppilabant veſtes, ſudaria, & hujuſmodi alia in uſum balnei, hinc qui lavabantur, veſtimenta balneatori cuſtodienda dabant, ut furunculos eluderent. Balneator enim habebat ad id mancipia; Dig: *Sive balneator fuerit, & in balneis ad cuſtodienda veſtimenta conducta habeat mancipia.*

Quadrantem vero dabant balneatori,

Hor: *Dum tu quadrante lavatum ibis.*

Juv: *Quadrante lavaris.*

Erant enim Romæ balnea multa, ubi lavabantur, nempe Agrippæ, Torquati, Tigellini, Fauſti, Diocletiani, Grylli, Neroniſque thermæ, ubi ſudabatur, multæ erant & piſcinæ, ubi natabant;

Mart: *Piſcinam peto, non licet natare.*

Virgines, & pueri honeſti non lavabantur;

Juv: *Nec pueri credunt, niſi qui nondum ære lavantur.*

Erant tamen & balnea fæminarum;

A. Gell: *Uxor edixit, ſe in balneis virilibus lavari velle.*

Optime tandem dicit, quia etiam in vitiis eſt excellentia;

poeta, *Electiſſima peſſimi poetæ.*

Bacc: *Eſtimò coſtui eſſer ottimo mezzano.*

3 *Nam dextra* &c. Vibennius pater furaciſſimus erat, qui utebatur dextra, cum cæteri fures utantur ſiniſtra.

poeta, *Non belle ſiniſtra uteris.*

Plaut: *Ubi eſt altera furtifica læva?* dextra tamen fortaſſe eſt pro ſiniſtra, quæ quidem inquinata erat. Inquinati enim dicuntur fures; poeta ad furunculum, *Fugit te, inepte, quamvis ſordida res eſt?* Fures autem balnearii capitali ſupplicio afficiebantur, erant tamen in tutela Livernæ deæ, quæ dicta eſt a *lavo*, non a *levo*, vel a λαβεῖν, ut infeliciter putant ethymologi, lexicographique. Quoniam enim facillimum erat in balneis furari, ut ait etiam Ariſtoteles in problematis, ſic putarunt homines, eſſe aliquam deam, quam Lavernam vocaverunt, unam, & unicam furum balneariorum patronam, in cujus tamen tutelam & cæteri deinde fures venire voluerunt;

Hor: *Pulcra Laverna da mihi fallere.*

Plaut: *Ita me bene amet Laverna.*

4 *Voraciore* eſt MSS lectio. *Vorari*, enim, & *vorax* ſunt in obſcenis ad cinædos ſpectantia, de quibus mone lexicographos;

Poeta, *Non ſi demiſſo ſe ipſe voret capite.*

Mart: *Infelix venter ſpectat convivia culi,*
Et ſemper hic eſurit, ille vorat.

5 *Cur non* eſt imprecatio in patrem, & filium, quia, puto, aliquid poetæ noſtro furati erant.

7 *Piloſas* autem dicit, quia filius erat pene vir, cujus piloſas natis (h. e. nates ἀρχαϊκῶς) ne

8 aſſis quidem viliſſimæ monetæ faciebant;

poeta, *Omnes unius æſtimemus aſſis.* Hora: *Vilem redigatur ad aſſem.*

A D

AD DIANAM

Dianæ ſumus in fide
Puellæ, & pueri integri,
Dianam pueri integri,
Puellæque canamus.
O Latonia maximi
Magna progenies Jovis,
Quam mater prope Deliam
Depoſivit olivam.
Montium domina ut fores,
Silvarumque virentium,
Saltuumque reconditorum,
Amniumque ſonantium.
Tu Lucina dolentibus
Juno dicta puerperis,
Tu potens trivia, & notho es
Dicta lumine Luna.
Tu curſu, dea, menſtruo
Metiens iter annuum,
Ruſtica agricolæ bonis
Tecta frugibus exples.
Sis quocumque placet tibi
Sancta nomine, Romulique,
Ancique, ut ſolita es, bona
Soſpites ope gentem.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Diana* &c. Verſus eſt glyconicus conſtans ex ſpondæo, vel jambo, vel trochæo, & duobus dactylis, quattus tamen quiſque loco ſecundi dactyli ſpondæum recipiens, in quo poeta laudat Dianæ genus, potentiam, beneficia, eamque vocat in auxilium Romanorum. Hæc autem compoſuit Romæ ludis ſæcularibus fortaſſe L. Paulo, & Marcello Coſſ. Nam eo anno bellum civile inter Cæſarem, & Pompejum ortum eſt, ad quod avertendum ſæculare carmen a Catullo factum. Claudicat enim Scaliger utroque pede putans, factum ſub Auguſto; nunquam enim poeta loquitur de Auguſto, nunquam de his, quæ acciderunt ſub eodem Imperatore; præterquamquod nonne fatentur docti, carmina ſæcularia Horatiana facta fuiſſe ſub Auguſto: igitur non Catulliana. Certum enim eſt, poetam mortuum fuiſſe, antequam Ju: Cæſar occideretur, cujus obitum, quem oderat, non tacuiſſet Catullus, ſi poſt eum occiſum obiiſſet. Ludi vero ſæculares dicti, quia olim ſemel in ſæculo fiebant, improprie tamen etiam ſi ſemel, iterum, ac tertio facti eſſent, quoties quid mali Reipublicæ impendebat, canebaturque carmen in honorem Apollinis, & Dianæ a pueris, virginibusque ter novenis patrimis, ac matrimis; qui erant in fide Dianæ h. e. tutela, quia tutores fide præditi eſſe debent.

T. Liv: *Ad avertenda prodigia carmen a virginibus ter novenis cani per urbem juſſerunt, donumque Junoni ferri.*

Dianæ tandem ethymon volunt eſſe a *die*, ſed non ſecernunt Dianam a Luna, licet unum, & idem ſit. Lunam enim ponunt in cœlo, Dianam in terra, & in inferno Proſerpinam, hinc dicta triformis,

Areoſt: *O ſanta dea, che dagli antichi noſtri*
Debitamente ſei detta triforme,

Che in cielo, in terra, e nell' inferno moſtri
L' alta bellezza tua ſotto più forme.

quare puto Dianam eſſe a διανύζω *purgo*, *lavo*, quia ſæpe lavatur, utpote caſta. Aqua enim
peccata abluit, & caſtos homines reddit; poeta, *Suſcipit hic ſceleris tantum, quantum non ab-*
luit oceanus; hinc Attheonis fabula explorantis nudam lavantem ſe Dianam; hinc & Martia-
lis, *Labra Dianæ*. Ut enim caſta viveret, fugit in montem Idam fontibus ſcatentem.
Hom: πολυπίδακος Ἴδης, *Fontoſa Ida.*
alibi, Ἴδην &c. *Idam fontibus abundantem, matrem ferarum.*
Nota poſtremo, verſum, *Dianam pueri integri*, qui in MSS deerat, ita in noſtro legi, *Nam*
cur integri, ut hiç eundem in vetuſtiore exemplari inventum Palladius merito repoſuerit.
5 *O Latonia* &c. Celebrat ortum Dianæ filiæ Jovis, & Latonæ, natæ in Delo, ubi magna oli-
varum copia. Fruſtra autem litem faciunt critici, grammaticique de loco, ubi nata, deque ar-
bore, ſub quo depoſita fuerit; nam Scriptores omnes inter ſe ne tranſverſum quidem unguem.
Cicero enim quidem natam dicit in Delo; Orpheus in Ortygia, ſed tam Delos, quam Orty-
gia unum, & idem eſt, ut monet Strabo; quid porro Catullus? ſub arbore olivæ, ita idem
Strabo, & Hyginus, Plinius autem ſub palma ex Homero, Callimacho, & aliis, qui ta-
men omnes non diſcrepant inter ſe. Nam palmæ eſt quoddam genus, quod a Theophraſto di-
ctum χαμαιρροφὲς habet folia olivis pene ſimilia, unde ſcriptores cum alluſione ſub palma na-
tam Dianam ſcripſere, cum revera eſſet ſub oliva, præſertim cum iam palmæ nullæ fortaſ-
ſe ſint in inſulis Egæi. Latona tandem, ait Plinius, Romæ in æde Concordiæ Dianam,
8 & Apollinem infantes ſuſtinebat. *Depoſivit* autem ἀρχαϊκῶς pro *depoſuit*. Plautus, *Commuto*
pallium, illud poſivi.
9 *Montium* &c. Hic extollit potentiam Dianæ, quæ montibus, ſilvis, ſaltubus, & amnibus
præerat, cui pinum, & flores dedicabant.
Hor: *Imminens pinus eſto*. Ovid: *Ferte Deæ flores, gaudet florentibus herbis*; ultima autem in *recon-*
12 *ditorum* abſorbetur ab altero verſu incipiente a vocali; τὸ *ſonantium* vero, quod eſt vera lectio,
ubi duæ litteræ in unam coaleſcunt; proprium aquarum currentium eſt. Theo: κὲ ποταμοὶ
μελάδοντες, *& fluvii reſonantes*; Virg: *Tranſque ſonantem Aſcanium*, quod vidit & Achilles:
13 *Tu Lucina* &c. Nunc diſſeminat Dianæ beneficia erga parturientes. Partui enim præerat;
Hom: μογοστόκος &c: *Parientibus dolorem afferens Lucina*. Plaut: *Uterum dolet, Juno Lucina,*
tuam fidem. Ovid: *Parce gravidis Lucina puellis*. Implarabantur etiam a parturientibus Dii
Nixii? qui partus nixibus præerant, Feſt: *Nixii dii appellantur velut præſides parientium nixibus*.
Ovid: *Lucinam, Nixuſque pares clamore vocabam*, unde colligo, hoſce deos fortaſſe gemellos
fuiſſe. Nituntur enim ſolito fortius feminæ, cum gemellos pariunt. Erat etiam & Dea
Natio, quæ partus matronarum tuebatur; Lucina vero dicta vel a luce, unde Luna, vel a lu-
cu, Ovid: *Dedit hic tibi nomina lucus - Aut quia principium tu dea lucis habes*. Leges porro *no-*
15 *tho*, non *novo* lectionem novam Scaligeri, quæ eſt contra MSS; Lucretius, *Lunaque ſive notho*
fertur loca lumine luſtrans. hinc, ait Feſtus, mulos ejus vehiculo dabant. *Trivia* tandem
dicta, quia in triviis vocabatur, non quod, ut ajunt, Luna tribus viis moveatur in alti-
tudinem, latitudinem, longitudinem.
Virg: *Nocturniſque Hecate triviis ululata per urbes.*
17 *Tu curſu* &c. Perſtat in celebrandis Dianæ beneficiis præcipue in agricolas, quorum domos
quotannis implet frugibus; Hor: *Fertilis frugum, pecoriſque tellus —— ſpicea donet Cererem co-*
rona, cujus rei reddit rationem Plinius, *Creſcente Luna frumenta grandeſcunt*. Ad τὸ tandem
menſtruo facit Cicero, *Jam ſolis annuos curſus ſpatiis menſtruis luna conſequitur.*
21 *Sis quocumque* vero cum dicit, invocat Dianam, quocumque nomine placet; habebat enim
nomina multa. Dicebatur enim modo Lucina, modo Luna, nunc Diana, nunc Proſerpina,
etiam & Hecate; In precationibus enim deorum dignitas creſcere videtur, cum eorum vi-
res, & nomina ſigillatim enumeramus. Leges autem *placet tibi*, ut erat in MSS, *non tibi pla-*
23 *cet*. Leges etiam cum Scaligero *Ancique* contra Marcilium legentem *antiquam* lectionem, in-
quam, antiquam, & marceſcentem; in MSS enim erat *antique*. alibi, *Romuli, Remique*, ita &
hic *Romulique, Ancique*, qui quidem Ancus rex olim Romanorum aquam, ait Plinius, in urbem
24 duxit. τὸ *ſoſpites* tandem latinum eſt a græco σώσω *incolumem reddam*; hinc Juno vocabatur
ſoſpes,
T. Liv. *Vovit ædem* (nempe Furius) *ſoſpitæ Junoni.*
Plaut: *Dii ſoſpitent, quod habes.*
T. Liv: *Soſpitet progeniem.*
Rogat enim poeta Dianam, ut reddat incolumem Populum Romanum,
ita Hor: *Romulæ genti date remque, prolemque.*

AD PAPYRUM

Poetæ tenero meo ſodali
Velim Cæcilio, papyre, dicas,
Veronam veniat, Novi relinquens
Comi mœnia, Lariumque litus.
Nam quaſdam volo cogitationes
Amici accipiat ſui, meique.
Quare, ſi ſapiet, viam vorabit,
Quamvis candida millies puella
Euntem revocet, manuſque collo
Ambas injiciens roget morari;
Quæ nunc, ſi mihi vera nuntiantur,
Illum deperit impotente amore.
Nam quo tempore legit inchoatam
Dindymi dominam, ex eo miſellæ
Ignes interiorem edunt medullam.
Ignoſco tibi, Sapphica puella
Muſa doctior; Eſt enim venuſte
Magna a Cæcilio inchoata mater.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Poeta* &c. Verſus eſt hendecaſyllabus, in quo poeta chartam ipſam alloquitur, mandatque ne-
ſcio quid de Cæcilio, ejuſque puella, quorum amorem, & poeſeos ſtudium maxime laudat.
Hæc autem compoſuit Veronæ, ex eo *Veronam veniat*, ubi domum habebat, vel apud amicum
commorabatur, non ubi natus erat, ut jam prolixius probo contra doctos ad carmen *Peninſu-
larum Sirmio, Inſularumque ocelle*. Vocat vero *tenerum* poetam, non quia juvenis, ut credit
Palladius, ſed quia verſus teneros, h. e. delicatos, & amatorios ſcribebat, ut colligitur ex illis
2 verbis, *Legit inchoatam Dindymi dominam*; Cæcilius porro poeta nobilis ex Novocomo colonia
Romanorum ad lacum Larium,
7 *Vorabit* h. e. celerrime conficiet; quo tamen verbo tacite Catullus notat Cæcilium pene impu-
dicum. Vorare enim eſt in obſcenis ad cinædos ſpectans, præſertim cum iam ſuperius voca-
12 verit tenerum; poeta, *Te medii tenta vorare viri*. τὸ *impotente* autem non importat inconſtan-
tiam, ſed æſtum amoris in puellam, a qua perdite amabatur. Impotens enim dicitur, qui
non eſt ſui potens, nec regit animum ſuum, ita ut ineptire videatur, hinc alio loco *miſer
Catulle deſinas ineptire*. Leges vero ex MSS *inchoatam* h. e. ad finem perductam, non icæptam,
13 ut putat Palladius, quod eſſet ridiculum, præſertim cum aiat infra, *Magna a Cæcilio inchoata
mater*. Inchoare enim eſt perficere, quoties agitur de rebus ſacris. Virg: *Stygio regi nocturnas
inchoat aras*, ita poeta noſter, cum loquatur de Magna dea Cybele dindymi phrygii montis
domina, verbo ſacrorum uſus eſt. Noli enim, per magnos oro deos te, cum Douſa legere *en-
theatam* lectionem ferream, & Catullo indigniſſimam.
15 *Edunt* &c. Amor enim edit medullas, ut macros homines reddat. Petr: *Non hò midolla in oſſo, e
ſangue in fibra*. Virg: *Eſt mollis flamma medullas*. *Miſelle* autem dicit, quia puella amabat Cæ-
Dantes, *Ma queſto foco m'have, Gia conſumato sì l'oſſo, e la polpa*.
cilium; Plaut: *Ut miſer eſt homo, qui amat*.
19 *Doctior* puella erat Sappho (quam vocat muſam, quia inſignis poetria lyrica ex Ereſſo urbe Les-
bi) non in arte poetica, ſed in eligendo ſibi amatore. Sappho enim amavit Phaonem mercato-
rem indoctum, ut recte Parthenius, cujus optimam explicationem Siluius non ſolum deſcripſit,
ut ſolet, ad verbum, ſed ita fecit ſuam, ut majori niſu pellem inflare non poſſit, puella au-
tem noſtra amavit Cæcilium tenerum poetam. Leges tandem, ut belle emendavit Auantius,
Magna a Cæcilio inchoata mater. Catullus enim hoc jucundo hiatu vocalium delectatur; ita ſu-
18 perius alio loco, *Ebrioſa acina ebrioſioris*. Magna autem mater eſt Cybele, quia mater deorum
omnium, de qua alibi,
Dea magna, Dea Cybele, Didymi dea domina, - Alios age incitatos, alios age rabidos.

IN ANNALES VOLUSII

Annales Voluſi, cacata charta,
Votum ſolvite pro mea puella.
Nam ſanctæ Veneri, Cupidinique
Vovit, ſi ſibi reſtitutus eſſem,
Deſiſſemque truces vibrare jambos,
Electiſſima peſſimi poetæ
Scripta tardipedi deo daturam
Infelicibus uſtilanda lignis;
Et hoc peſſima ſe puella vidit
Joco ſe lepide vovere divis,
Nunc o cæruleo creata ponto,
Quæ ſanctum Idalium, Erycoſque apertos,
Quæque Ancona, Cnidumque arundinoſam
Colis, quæque Amathunta, quæque Golgos,
Quæque Durrhachium Hadriæ tabernam,
Acceptum face, redditumque votum,
Si non inlepidum, neque invenuſtum eſt.
At vos interea venite in ignem
Pleni ruris, & inficetiarum,
Annales Voluſi, cacata charta.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Annales* &c. Verſus eſt hendecaſyllabus, in quo poeta irridet annales Voluſii, trahitque eos ad ſolvendum votum a Lesbia factum Veneri, quam rogat, ut illum acceptum faciat, irriſoſque iterum annales in ignem rapit. Voluſius autem erat non ille, de quo mentionem facit Cor: Tacitus, vel Vatinius ad Ciceronem fruſtra ab Achille allati, ſed, ajo contra doctos, Voluſius ille Hortenſius romanus (nam Romæ erat familia Voluſiorum), de quo poeta noſter loquitur ad carmen, *Zmyrna mei Cinnæ*, quod, rogo, vide ſis, unde ineptior eſt cæterorum opinio, qui Voluſium patavinum faciunt ex corruptiſſimo ejuſdem carminis loco. *Annales* autem Voluſii poeſim fuiſſe, clare conſtat ex verſiculo illo, *electiſſima peſſimi poetæ ſcripta*, nempe Vo-
luſii, quos cum Lesbia legiſſet, igne dignos judicavit; hinc merito de illis Catullus ait, *ca-*
2 *cata charta*, quia digna culo cacantium, ita Mart: *Scribat carmina, quæ legant cacantes*. *Votum*
vero cum dicit, voti, inquam, religione ſolvit puellam. Vocat porro fere ſemper Venerem
3 ſanctam, ibi, *Nam ſanctæ Veneri;* alio loco. *Quem neque ſancta Venus*. *Reſtitutus* tandem ſcili-
4 cet in amorem ex veteri odio, non ex Bithynia, ut ajebat quidam ad ſanitatem mentis reſti-
5 tuendus, contra quem reclamat verſus, *Deſiſſemque truces vibrare jambos*, quos nimirum ſæpe
vibravit in Lesbiam, ibi, *Sceleſta rere;* alibi, *Cum ſuis vivat, valeatque mœchis;* alio loco, *Adeſte hendecaſyllabi*. ita & Horatius ad ſuam, *Quem criminoſis -- Cumque voles modum ponens jambis*. Neque putes cum Parthenio, verbo *pro mea puella*, hanc eſſe Hypſithillam, in quam, ſi Catullum totum excutias pallium, tunicamque, ne unus quidem jacitur jambus; in quo tamen vir doctus non eſt tam acriter reprehendendus. Cum enim ageretur hic de annalibus inſulſis Voluſii, & ipſe ſtudio voluit aliquid inſulſi dicere.
7 *Tardipedi* h. e. Vulcano, qui claudus erat ex altiſſima cœli ruina a patre Jove, & matre Junone ejectus, quia deformis, in inſulam Lemnon, ubi a filia Oceani nutritus fuit, de quo Hom: Κππεσον &c. *Cecidi in Lemnon;* & Areoſt: *Il dio di Lemno*. Quoniam autem de Vulcano ſermo eſt, ethymon nota, quod puto eſſe a βόλος *jactus retis*, & χκνεί ω *vociferor*. Vulcanus enim ligavit rete Martem, ac Venerem, vocatis diis, deabuſque ad lepidum ſpectaculum, & ita, quod maximum unquam fuit in Vulcano, ethymo amplector. Licet enim habemus multas de eo res, tamen in hoc notus eſt, & plauſu dignus.

Areoſt; *Avea la rete già fatta Vulcano*
Di ſottil fil d'acciar, ma col tal arte,
Che ſaria ſtata ogni fatica in vano,
Per iſmagliarne la più debol parte;
Et era quella, che già piede, e mano
Avea legati a Venere, & a Marte,
La fe il geloſo, e non ad altro effetto,
Che per pigliargli inſieme ambi nel letto.

8 *Infelicibus* &c. Vocat ligna infelicia, vel quia antiqui res malas cremabant lignis infelicibus,
quæ erant in tutela deorum inferorum, quæque fructum non ferebant, ut ficus nigra, acrifo-
lium, ſentis, robus, hinc Cic: *Arbori infelici ſuſpendito*; & alibi; *Clodii cadaver infelicibus lignis*
ſemiuſtulandum (erant enim & felicia, quæ fructum ferebant, nempe fagus, quercus, eſcu-
lus, ilex, corylus, ſorbus, ficus alba, pyrus, malus, vitis, prunus, cornus, lotos, & alia
ex Macrobio, & Catone) vel quia ligna cremare debebant annales Voluſii res pretii nullius,
ita e contra felicia vocari poſſunt, quæ corpora regum, veſteſque pretioſas comburunt. Leges
autem, ut habent omnes Codices, *uſtillanda* ab *uſtio* ἀρχαϊκῶς, pro *uſtulanda*. Porro *peſſima*
dicit, quæ vox blandientis eſt; ita alio loco, *Camerium mihi peſſimæ puellæ*, quod & Itali imi-
10 tati ſunt, Bocc: *Ah cattivella, cattivella*, de quo mone lexicographos. Leges etiam contra
Vulpium, & antiquiores, ut monuit recte Achilles, Scaligerque ex MSS, *joco ſe lepide vovere*;
nam &, quod erat in excuſſis, nullo eſt in libro ſcripto, præterquamquod τὸ *ſeſe* repetitum
elegans eſt more Atticorum, ut *te te*, & *me me*; poeta, *Te te abſtulit ipſum*; alibi, *me me eſſe*
illorum jure ſacratum.

11 *Nunc o cæruleo* &c. Invocat Venerem, rogatque, ut votum Lesbiæ æqui, bonique faciat, enu-
meratque loca, ubi dea colebatur. Facilius enim impetramus ab aliquo, cujus potentiam ex-
12 tollimus, ut facit præcipue Homerus, & Orpheus in hymnis. Venus igitur incolebat *Idalium*
olim oppidum in Cypro, nunc pagum; tum *Erycos apertos*. Nam urbs Eryx vulgo *Trapano del*
monte erat in valle Mazara, ubi fuit templum nobile Veneris, quæ inde Erycina dicta eſt; poe-
ta, *Erycina ſerens in pectore curas*. Ita enim lego ex meo libro, qui habebat *aericoſque*, & ex
aliis, teſte Mureto, in quibus *aerios* erat; neque reclamat prima in *Erycos*, quæ fere ſemper
brevis eſt; Nam eandem produxit poetarum licentia, quam coarctare ſtultiſſimum eſt, cum
pictoribus, atque poetis quidlibet audendi ſemper ſit æqua poteſtas; hinc & *varios*, quod
erat in excuſſis, & *Marios* Turnebi Mariis, inauditumque Cethegis, & *Erios* Aldi, & *Uxios*
Scaligeri, & *Syros* Voſſii, quem ſequitur Vulpius, quia diſcedunt longe a MSS, in vento,
& rapida ſcribere oportet aqua, unde Venus nata eſt, quæ colebat etiam *Ancona* urbem ma-
13 ritimam, de qua Juv: *Ante domum Veneris, quam dorica ſuſtinet Ancon*. dein *Cnidum* urbem Ca-
riæ ad promontorium vulgo *capocrio*, ubi erat Veneris ſtatua a Praxitele exſculpta, *arundi-*
noſam, propter calamos, qui ibi naſcuntur, de qua Hor: *O Venus regina Gnidi, Paphique*, &
Plin: *Chartis quoque inſerviunt calami Egyptii, probatiores tamen gnidii*; rurſum *Amathunta* olim
14 urbem Cypri maritimam, & *Golgos* Cypri oppidum Veneri ſacrum; hæc enim eſt vera lectio;
ita alibi, *Quæque regis Galgos, & Idalium frondoſum*, ut *Colchos*, quod legebatur, fictitium ſit;
tandem *Durrhachium* ἀρχαϊκῶς pro *Dyrrhachium* urbem maritimam Macedoniæ, quam vocat
tabernam h. e. emporium, quia nautæ per Adriaticum divertere illuc ſolent quaſi ad tabernam.
Erant & alia loca, quæ Venus colebat, puta Cyprum, Hom: Κυπρογενῆ &c. *Cypro genitam*
Cythercam canam; Hor: *Sperne dilectam Cypron*; & Salaminam, Hom: χαῖρε &c. *Salve dea Sala-*
minam regens. & Memphim, Hor: *O quæ beatam tenes Cyprum, & Memphim carentem nive*. &
Paphum, Hor: *O Venus regina Gnidi, Paphique*. & inſulam Coam, Cic: *Nunc etiam Veneris gni-*
dia, coaque. & Cyrenem, Plaut: *Venus Cirenenſis teſtem te teſtor*. & Zephirium promontorium,
poeta, *Zephiritis eo famulum legerat*. & alias inſulas, peninſulaſque; quia Venus ex maris
ſpuma orta eſt; Ovid: *A ſpumis eſt dea dicta maris*. Sen: *Diva non miti generata ponto*. L. de M.
Diva nell' inquieto mar creata.

16 *Acceptum* verbum ſumptum a creditoribus, vel argentariis, qui acceptam pecuniam a debi-
18 tore ſolutam in tabulas referunt. *At vos* autem ἀγανακτικῶς eſt Catulliana; ita alio loco, *At*
vos interea valete, abite, -- Sæcli incommoda, peſſimi poetæ. *Venire vero in ignem* φράσις eſt & Proper-
tiana, ibi, *Inque tuos ignes, dure poeta, veni*. Hæc enim pœna eſt malorum poetarum; Tib:
19 *Vulcanus carmina flamma torreat*. Leges tandem *ruris* cum Palladio, & aliis ex conjectura
MSS, quæ in omnibus habebant *turis* vitioſum, pro *ruris*; poeta, *Idem infaceto eſt infacetior ru-*
re; ita & hic, *pleni ruris, & inficetiarum*, ἀρχαϊκῶς, pro *infacetiarum*. τὸ *thuris* igitur, quod
legit Scaliger, thuris, piperiſque ſit cucullus.

AD CONTUBERNALES

Salax taberna, voſque contubernales,
A pileatis nona fratribus pila,
Solis putatis eſſe mentulas vobis?
Solis licere quicquid eſt puellarum
Confutuere, & putare cæteros hircos?
An continenter quod ſedetis inſulſi
Centum, aut ducenti, non putatis auſurum,
Me una ducentos inrumare ſeſſores?
Atqui putate; namque totius vobis
Frontem tabernæ ſcipionibus ſcribam.
Puella nam mea, quæ e meo ſinu fugit,
Amata tantum, quantum amabitur nulla,
Pro qua mihi ſunt magna bella pugnata,
Conſedit iſtic, hanc boni, beatique
Omnes amatis, & quidem, quod indignum eſt,
Omnes puſilli, & ſemitarii mæchi.
Tu præter omnes une de capillatis
Cuniculoſæ Cæltiberiæ, fili
Egnati, opaca quem bonum facit barba,
Et dens hibera defricatus urina.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Salax* &c. Verſus eſt jambicus trimeter, in quo poeta irrumationem minatur conturbernali-
bus, præcipue Egnatio, ad quem irridendum orationem convertit. *Salax* autem *taberna* (dicta
non συνεκδοχικῶς ut putant Muretus, & Scaliger, ſed proprie) erat fornix, de quo mone le-
xicographos, & *conturbenales* homines infames, & pathici; P. Latro, *Quæ taberna, qui greges
infamium hominum Sibyllinum iſtum principem concelebrarunt?* hinc dictum *contubernium*, quod erat
cohabitatio concubinorum; Svet: *Poſt uxoris exceſſum, libertam revocavit in conturbernium*. *A pi-*
2 *leatis* autem cum dicit, deſignat locum, ubi ſita taberna, nempe ab æde Caſtorum ad pilam
nonam. Tabernæ enim Romæ, uiæquæ lapidibus ſignabantur; Mart: *Signat vicina quartus
ab urbe lapis.* Hor: *nulla taberna meos habeat, nec pila libellos*. Fratres vero pileati erant Caſtor,
& Pollux, qui habebant pileum in capite, hinc Plaut: *Iſti graci pileati, qui ambulant.* Tandem
5 *hircos* dicit, quia hirci caſtrabantur, neque habebant, quod ſatis eſſet ad coeundum; Plau-
tus, *Quaſi hircum metuo ne uxor me caſtret mea*, de quo mone lexicographos; quæ interpre-
tatio equidem certe facillime emergit etiam ex verbis ipſis Catulli, *Solis putatis eſſe mentulas
vobis, cateros hircos.* Non enim hic rivalium contemptores intelligas, vel odorem axillarum, vel
puellis odioſos, ut putarunt Critici, quos ſecutus eſt Vulpius.
6 *An continenter* &c. Ex hoc loco præcipue cognoſcitur, contubernales illos fuiſſe cinædos; *con-
tinenter* h. e. uniter quaſi in circulo contra omnes doctos aliter putantes, hinc *continuatio* eſt
περίοδος; Cic: *Quem greci περίοδον, nos ambitum, aut continuationem dicimus*, de quo mone lexi-
cographos. τὸ *ſedetis* autem eſt obſcenum. Meretrices enim, & cinædi ſedebant, hinc *proſeda*,
& *proſtibulum* & *ſelarii*, de quibus. Taci: *Sellariorum, & ſpintriarum ex faditate loci, & multi-
plici patientia*, (ſubaudi,) deſcendendi, fellandique; hinc & infra de puella, *Conſedit iſthic*, de
7 quo mone lexicographos. *Centum* vero, & *ducentos* dicebant, cum magnum numerum ſignifi-
cabant, poeta, *Ducenties comeſſet, aut trecenties.* Vſus tandem eſt poeta verbo abſceno *inruma-*
8 *re*, quia cum cinædis loquebatur, quod tamen habet ſenſum honeſtiorem pro *illudere*, & *ſu-
plantare*, ut notavimus etiam cum Scaligero ſuperius ad carmen *Piſonis comites* &c. & ad al-
10 terum, *Aureli pater æſuritionum*. Leges autem *ſcipionibus*, ut erat in MSS, non *Scriptionibus* ex
conje-

conjectura ſiniſtra Marcilii. Minatur enim poeta, ſe ſatyras, & mala elogia in fronte tabernæ ſcripturum ſcipione, h. e. baculo ſemiuſto, quo verberandus Parthenius, qui putavit, eſſe virgam ſoporiferam, cujus dulciſſimo ſopore abreptus dormivit. Plaut: *Implebo fores elogiorum carbonibus.* Carbo enim, & ſcipio ſemiuſtus, quia nigra, inter infauſta numerabantur, Hor. *Creta, an carbone notandi*, quibus verbis lyricus alludit ad morem inſcribendi frontem tabernarum; quo loco ſcipione notandus eſt Achilles, qui docet, *ſcipione ſcribere* a græcis dici στιγματίας, quod inſulſum eſt; nam στίγμα eſt a στίζω *pungo*, de quo Macrobius, *ſervus compeditus inſcripta fronte.* Nam ſervi ferro candenti

11 inſcribebantur. Leges etiam, ut erat in uno MSS, *quæ e meo ſinu fugit*; hoc enim hiatu vocalium ut dixi alias, Catullus delectatur; alibi, *Ebrioſa acina ebrioſioris*: ex illis porro verbis arguitur, puellam amatam maxime fuiſſe, ut teſtatur in verſu ſequenti. In ſinu enim tenemus, quos amamus, *Quem in ſinu tenebat.* Leges etiam *bella pugnata*, non *parata*, vel *patrata* cum libro Scaligeri. Virg. *Pugnataque in ordine bella.* Hor: *Si quis bella terra pugnata, marique dicat.* Amantes enim pugnare dicuntur cum amica vel amplexibus, vel diſſidiis. Plaut: *In Veneris prælio ſagitta Cupido cor meum transfixit.*

Prop: *Quantaque ſublato lumine rixa fuit.*
Petr. *Mille fiate, o dolce mia guerriera.*
L. de M. *Ogn'altra, che lei vide, s'aſſerena,*
Et io per certo infelice pur ſono,
Ch'agli altri pace da, ſol a me guerra.

14 *Conſedit* eſt obſcenum, quia meretrices ſedebant, qualis erat Lesbia puella, de qua loquitur poeta & hic, & alio loco, *Cœli Lesbia noſtra -- Glubit magnanimos Remi nepotes. Hanc boni* autem dictum εἰρωνικῶς, non quia boni h. e. belli revera eſſent, ſed ſibi ipſi videbantur. Ter: *Forma fortaſſe bona. beati* vero ſpectat ad copiam divitiarum; poeta, *Unum me facerem beatiorem.*

16 *Puſilli* h. e. viliſſimi, de quo mone lexicographos. Leges autem *ſemitarii* lectionem omnium MSS, non *ſellulari* cum Mureto. *Mœchi* vero h. e. & adulteri, & cinædi, qui verſabantur in ſemitis urbis tum ſectando meretriculas, tum maribus morem gerendo non in ſemitis agrorum cum Turnebo, quod agro inficetius eſt. Mœchus enim non ſolum eſt adulter, ſed etiam concubinus, quemadmodum mœcha; poeta, *Redde putida mœcha codicillos*, de quo mone lexicographos.

17 *Tu præter &c.* Se convertit ad Egnatium, qui, ut pulcher puellis videretur, alebat barbam, & dentes urina perpolibat, quod quidem fœdum vitium acuit poetæ dentes in eum, qui præcipue amavit Lesbiam, baſiavitque ore urina impuro. τὸ *une* ἀρχαϊκῶς caſus vocandi, ita apud Plautum, *O amice une Cephalio*, de quo mone lexicographos. *Capillatis* vero dicit, quia Hiſpani comam nutriebant. Mart: *Hiſpanis contumax capillis.* Erat enim Egnatius de Celtiberia, quam vocat *cuniculoſam*, quia plena cuniculis animalibus lepori ſimillimis. Plin. *Leporum generis ſunt, & quos Hiſpania cuniculos appellat.* Varro, *Tertii generis eſt, quod in Hiſpania naſcitur ſimile noſtro lepori, ſed humile, quem cuniculum vocant.* hinc Hiſpania vulgo *Spagna* Phœnicum vox eſt idem, ac terra cuniculorum. Capillatus etiam erat Egnatius, ut pulcher videretur. Cinædi enim, & fœminæ bellæ capillos alebant. Homerus, ibi Βρισηΐδος, *ob Briſeidem bene comatam.* Hor: *Nequicquam Veneris præſidio ferox -- Pectes cæſariem.* Plaut: *Cinæde calamiſtrate*, hinc Veneri pectinem conſacrabant, & Apollinem capillatum fingebant. Prop: *Nec cithara intonſæ profueruntque comæ.* L. de M. *Tu biondo Apollo, ſe ben ti rammenta*; ita & Homerus vocat Cererem, Auroramq. pulcricomas, & Uliſſem naufragum inducit a Minerva pulcricomum factum ad captandam gratiam Nauſicaæ, ex quibus rebus omnibus fortius collige, tabernam fornicem, contubernales, & Egnatium cinædos fuiſſe.

19 *Bonum* h. e. pulchrum, non probum, ut putavit Parthenius; poeta, *Infeſto pueris bonis, maliſque.* Alere tandem barbam erat olim Senatorum romanorum, qui mos deinde elabi cæpit, ut nemo, niſi philoſophi, barbam, & capillos nutriret. Hor: *Si curtatus inæquali tonſore.* alibi, *Diite, Damaſippe, Deæque -- Verum ob conſilium donent tonſore.* Alexander quoque militibus barbam radi juſſit, ne arrepti ab hoſte detinerentur, Lacedemoni tamen Lycurgi lege barbam nutrierunt. *Hibera* poſtremo dicit, quia Hiſpani præſertim in Celtiberia terra dentes urina candidos faciebant, de quibus poeta alio loco, *Nunc Celtiber in Celtiberia terra -- Quod quiſque minxit hoc ſolet ſibi mane, Dentes, ac ruſſam defricare gingivam*; & Diod: ὅθεν &c. *Dentes urina defricare.*

AD CORNIFICIVM

Male eſt, Cornifici, tuo Catullo,
Male eſt, mercule, & laborioſe,
Et magis magis in dies, & horas
Iraſcor tibi; ſic meos amores?
Quam tu, quod minimum, facillimumque eſt,
Qua ſolatus es adlocutione?
Paulum quidlubet adlocutionis
Mæſtius lacrimis Simonideis.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Male &c.* Verſus eſt hendecaſyllabus, in quo poeta iraſcitur Cornificio, cujus tamen carmina lau-
dat. Cornificius autem orator, & poeta, de quo Cicero in epiſtolis, & Ovidius *Per leve Cornifi-
ci, perque Catonis opus.* Interpretes vero mutant quadrata rotundis, laborant; ſudant, ſed nihil
2 proficiunt, contra quos omnes primo leges hendecaſyllabum, ut optime emendavit Scaliger, &
3 ſenſus poſtulat, ut *iraſcor tibi* ſit verſiculus quartus, deinde leges *mercule*, ut animadvertit A-
chilles ex vetuſtiſſimis libris; porro *Et magis magis* lectionem omnium MSS, ut & alio loco, *ma-
gis magis increbreſcunt*, tandem lego, ut habet liquide noſter Codex; *quam*, non *quem*; quod erat
5 vitioſum in quibuſdam MSS. Nam *quam* cum dicit, intelligit Lesbiam afflictam paſſeris obitu,
de quo poeta, *Paſſer mortuus eſt meæ puellæ*, quam lectionem veriorem facit τὸ *meos amores* (ſub-
audi *tractaſti, vel ſprevisti* per ellypſim omiſſum) quod de amica dicitur fere ſemper: poeta *vo-
lo te, ac tuos amores -- Ad cœlum lepido vocare verſu*: alibi, *Acmen Septimius ſuos amores -- tenens
in gremio*; rurſum, *Varus me meus ad ſuos amores duxerat*: tandem, *Quandoquidem meos amores --
Cum longa voluiſti amare pœna*; immo veriſſimam facit ultimus verſus *mæſtius lacrimis Simonideis*.
Nam Simonides, ut teſtatur Quintilianus, in funebri carmine excellebat, cujus quidem exemplum
non habet locum, ſi legas *quem*. Nam quem, inquam, intelligis? non puerum, cui neminem
carum obiiſſe, ſcimus. non fratrem; Nam reclamat verſus, *qua ſolatus es adlucutione*. Quomodo
enim, etiamſi voluiſſet, ſolari potuiſſet Cornificius fratrem Catulli in Troja mortuum, com-
poſitumque, de quo, *Troja rhæteo, quem ſubter litore tellus -- Ereptum noſtris obterit ex oculis*? præ-
terquamquod *meos amores* ad quid referas? an intelligis fratrem Catulli cum Vulpio? at *quem*
ad quid? ad Catullum? male eſt mercule, & magis magis in dies, & horas iraſcor criticis, qui
verba, ſenſum, per fas, nefaſque ſuſque, deque vertunt.
7 *Paulum &c:* Et hic Parthenius, & Achilles dormiunt, qui putant, hic aliquid deſiderari, cum
ſenſus optime currat, qui talis eſt, *Qua ſolatus es adlocutione*; *nulla certe, cum paulum adlocutio-
nis tua*, (ſubaudi *fuiſſet*) *mæſtius lacrimis Simonideis*, h. e. *melius verſibus Simonidis funebribus*,
quibus lacrimas eliciebat. Allocutio autem eſt conſolatio; Varro, *Allocutum mulieres ire ajunt,
cum eunt ad aliquam locutum conſolandi cauſa*. Simonides tandem lyricus poeta ex inſula Cea, de
quo Quintilianus ornate loquitur, & Horatius, *Ceæ retractes munera neniæ*; & Phæd: *Simonides,
qui ſcripſit egregium melos -- Erat natus, ut ajunt, in Cea inſula*; & Cicero, *Simonidem arbitror
non poetam ſolum ſuavem, ſed ſapientem, doctumque*.

AD EGNATIUM

Egnatius, quod candidos habet dentes,
Renidet uſquequaque, ſeu ad rei ventum eſt
Subſellium, quum orator excitat fletum,
Renidet ille, ſeu pii ad rogum filî
Lugetur, orba quum flet unicum mater,
Renidet ille; quicquid eſt, ubicunque eſt,
Quodcumque agit, renidet: hunc habet morbum,
Neque elegantem, ut arbitror, neque urbanum.
Quare monendus es mihi, bone Egnati,
Si urbanus eſſes, aut Sabinus, aut Tiburs,
Aut porcus Umber, aut obeſus Etruſcus,
Aut Lanvvinus ater, atque dentatus,
Aut Tranſpadanus, ut meos quoque attingam,
Aut quilubet, qui puriter lavit dentes,
Tamen renidere uſquequaque te nollem.
Nam riſu inepto res ineptior nulla eſt.
Nunc Celtiber es Celtiberia in terra,
Quod quiſque minxit, hoc ſolet ſibi mane
Dentem, atque ruſſam defricare gingivam,
Ut, quo iſte veſter expolitior dens eſt,
Hoc te amplius bibiſſe prædicet loti.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Egnatius* &c. Verſus eſt jambicus trimeter, in quo poeta ſale defricat Egnatium temere ri-
dentem, quem monet, ut hoc vitium deponat. Egnatius autem eſt ille contubernalis cinæ-
dus, de quo ſuperius poeta, *Tu præter omnes* &c. ut oleum perdat Achilles recenſendo Egna-
2 tios ex Macrobio, Plinio, & Cicerone. *Renidet* vero eſt leviter ridere. Ovid: *Ore renidenti*.
4 Leges porro, ut erat in MSS, *ſeu* ſemel, iterumque. *urbanum* tandem explico dignum urbe
8 Roma, ut colligo ex altero verſu, Si *urbanus eſſes*, h. e. romanus. Cic: *Quam omnes urbani,
& ruſtici voluptatem appellant*.
9 *Quare* &c. παραίνεσις ad ipſum Egnatium, qua monet, ut vitium tam ineptum deponat; Vo-
cat autem *bonum*, quia bellus ſibi videbatur, de quo ſuperius, *Egnati, opaca quem bonum fa-*
10 *cit barba*. *Urbanus* autem h.e. romanus. Urbs enim κατ' ἐξοχὴν eſt Roma ipſa. Leges ve-
11 ro cum Scaligero *porcus* h. e: pinguis. Umbrorum enim luxus a multis ſcriptoribus notatur,
Hor. *Me pinguem Epicuri de grege porcum*.
Perſ: *Multa fidelia putet*
In locuplete penu defenſis pinguibus Umbris.
Etruſcus, quem vocat obeſum recte. Nam laute vivebant Thuſci maxime in ſacrificiis. Virg: *In-*
12 *flavit pinguis ebur Tyrrhenus*.
13 *Tranſpadanus* h. e. Veronenſis. Tranſpadani enim ſiti ſunt inter Apenninum, & Alpes. Le-
14 ges tandem lavit ἀρχαϊκῶς quod uſitatiſſimum eſt, pro *lavat*. Virg: *Lavit improba*. Hor: *Rore*
17 *Caſtaliæ lavit*; alibi ſæpiſſime. Leges etiam locum nunquam ſanatum hoc pacto, *Nunc Celti-
ber es Celtiberia in terra*. Nam MSS omnia Scaligero teſte habebant *Nunc Celtiber ex Celtiberia
in terra*, quod libentius lego, cum ſupra dicat poeta, *Si urbanus eſſes* &c. igitur hic *Nunc*
19 *Celtiber es*; Leges etiam cum Apulejo *ruſſam*; nam membranæ *ruſam*, non tamen *pumicare*,
20 ſed *defricare*, quod erat in MSS. Poſtremo τὸ *iſte* dictum eſt καταφρονητικῶς, ut *veſter* cum in-
dignatione ad Egnatium tantum, non ad Hiſpanos, ut putat Vulpius, contra quem prædi-
cat verſus, *Hoc te amplius bibiſſe prædicet loti*. poeta ad Cæſarem, *ut iſta voſtra diffututa men-
tula*; alio loco, *Iſta turpiculo puella naſo*.

AD RAVIDUM

Quænam te mala mens, miſelle Ravide,
Agit præcipitem in meos jambos?
Quis deus tibi non bene advocatus
Vecordem parat excitare rixam?
An ut pervenias in ora volgi?
Quid vis? qualubet eſſe notus optas?
Eris: quandoquidem meos amores
Cum longa voluiſti amare pœna.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Quænam* &c. Verſus eſt hendecaſyllabus, in quo poeta Ravido rivali jambos acerrimos minitatur. *ἰεώτητις* autem ſalſa eundem acriter vellicat, quia amavit puellam Lesbiam, de quá ad Contubernales, *Puella mea, quæ e meo ſinu fugit*. Ravidus enim eſt, puto, unus de Contubernalibus, dictus *ravidus*, quia oculos habebat colore ravo. poeta enim ſolet rivalium ſuorum vultum notare, ut ibi, *Boni, beatique omnes amatis*; alibi, *Bone Egnati*; rurſum, *Iſta turpiculo puella naſo*; alio loco, *Quod candidos habet dentes*; tandem, *ſed bello huic neque ſervos eſt, neque arca*, ita ut *τὸ Ravide* nomen proprium eſſe neges, quod tamen eſt veriſſima lectio, cujus ultima abſorbetur a vocali ſequenti, non *Raude* cum Faerno, & aliis contra MSS. *Mala* mens vero eſt dira, ut recte Achilles. Virg: *Quæ mens tam dira miſerrime conjux - - Impulit his cingi telis*.

3 *Quis Deus* &c. Culpam Ravidi in deos transfert. Veteres enim bona, malaque in deos referebant.
Hom: *θεοὶ κακὰ* &c. *Dii mala cogitantes*.
Ter: *Quid ſi hoc quiſquam voluit Deus?*
Virg: *Quis te, Palinure, deorum eripuit nobis?*
Homerus tamen recantat, qui ita Jovem loquentem inducit
ὢ πόποι &c. *Papæ, ut ſcilicet deos homines culpant;*
Ex nobis enim dicunt mala eſſe, qui vero ipſi
Suis ſtultitiis calamitates habent.
Non bene vero *advocatus* idem eſt, ac inauſpicato vocatus. Val. Max. *Apud antiquos non ſolum publice, ſed etiam privatim nihil gerebatur, niſi auſpitio prius ſumpto*. Non enim cum Douſa eſt *δαίμων ἕτερος*; Nam *deus alter* dictus eſt a Pindaro, quia ſemper inimicus, & hoſtis, nunquam amicus, cum deus, de quo ſermo eſt, hodie ſi non bene eſt advocatus, cras patronus eſſe

5 poſſit. *Pervenire* porro *in ora* dicitur, ut apud Propertium, *Venies tu quoque in ora virum*; & apud T. Liv: *Ne in ora hominum abiret*.

6 *Quid vis* &c. Hæc eſt MSS lectio, ita ut *quia vis*, quod erat in uno MSS, & *quo vis* cum Achille, & *cuivis* cum Voſſio ſit loco non ſuo. *quid vis* enim cum dicit, interrogat Ravidum, hortaturque, ut dicat, qua ratione notus eſſe velit? *τὸ Meos amores* tandem tangit Lesbiam. Poeta enim vocat amicas amores, ut ibi, *Varus me meus ad ſuos amores*; alibi, *Acmen Septi-*

8 *mius ſuos amores*. *Longa* autem h. e. in verſibus duratura. Quantum enim vivent jambi, tantum Ravidus innoteſcet.

DE AMICA MAMURRÆ

1 Anne ſana puella defututa
2 Tota? millia me decem popoſcit
3 Iſta turpiculo puella naſo,
4 Decoctoris amica Formiani.
5 Propinqui, quibus eſt puella curæ,
6 Amicos, medicoſque convocate,
7 Non eſt ſana puella, nec rogare,
8 Qualis ſit, ſolet; en imago, naſum.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Anne* &c. Verſus eſt hendecaſyllabus, in quo poeta naſo ſuſpendit amicam Mamurræ, quam delirantem medicis curandam tradit. Critici autem potiori jure deducendi ſunt ad amicos, medicoſque, qui in lectione verſiculi primi, & ultimi ita delirant, ut curandi eſſe videantur. Alii enim legunt *Acme illa illa*, Achilles *Acme una*, Scaliger, quem ſecutus eſt Vulpius; *ah me, an illa*, ah miſellum Catullum, quem ineptis lectionibus ad reſtim redigunt omnes ad unum diſcedentes a MSS, quæ habebant *Ameana puella defututa*, unde ita veram lectionem digeſſi, *Anne ſana puella defututa*, quod libentius legendum eſt, quia intra ait, *Non eſt ſana*. *Acme* certe, quod legebatur, ineptiſſimum erat. Nam Acme amica Septimii, non Mamurræ, & pulcherrima, de qua poeta, *Illo purpureo ore ſuaviata*. Neque vero Septimius idem eſt, ac Mamurra, ut putant quidam. Septimii enim amores laudantur ibi, *Acmen Septimius ſuos amores*, e contra Mamurram ſemper oderit Catullus. Diſpunges vero optime cum Paſſeratio hoc pacto, *defututa tota*; τὸ *tota* enim clarius prædicat puellam vilem; poeta alio loco, *Qui ſe toto corpore proſtituit*. Differt porro *defututa* a *diffututa*. Nam diffututa eſt in omnes partes fututa, quod ſpectat ab cinædos, hinc poeta de Mamurra ad Cæſarem, *Ut iſta voſtra diffututa mentula*, Defututa vero contemptum importat in Venere illicita, permiſſaque, de quo mone lexicographos, ut hanc Catullianam vecem omnium MSS in lexico reponant.

3 *Iſta* dictum κατὰφρονητικῶς, ut ibi *Iſta voſtra diffututa mentula*. Turpiculus autem naſus erat ſiccus, & puſillus, ut colligo contra Vulpium ex altero loco *ſalve nec minimo puella naſo*. & clarius ex Horatio ibi, *Nec ſit pede turp* h. e. magno. ita & hic vice verſa *turpiculo* h. e. paruulo, non ſimo, ut docuit vir doctus. *Decoctoris* autem, quia decoxerat patrimonium gula, improprie alea, vel amica, vel quavis alia ratione, de quo mone lexicographos. *Decoctor* enim eſt a *decoquo*, quod a *coquo* proprie cibum eſui aptum reddo.

5 *Propinqui* &c. Quia legitimi erant curatores furioſis majoribus invitis. Hor: *Ad ſanos abeat*
7 *tutela propinquos*. Leges autem, ut erat in omnibus fere MSS, *nec regare*, quod corruptores
in *rogate* mutarunt; interpunges vero, ut præferebant Codices ab Achille allati, hoc pacto,
Nec rogare, qualis ſit, ſolet; & ſenſus erit, *non ſolet rogare, qualis ipſa ſit* h. e. nec examinat
ſe ſe, nec faciem ſuam; erat enim deformis, ut videre eſt & in altero hendecaſyllabo *Salve* &c. in quam puellam cadebat præceptum philoſophi γνῶθι σεαυτόν, *Noſce te ipſum*, quod tamen vitium fæminarum fere omnium eſt; quare Plautus *Multa ſunt mulierum uitia, ſed hoc*
8 *e multis maximum, cum ſibi nimis placent*. Lego tandem contra criticos *en imago, naſum*. In noſtro enim libro erat, *& imagonoſum*, in aliis *& imaginoſum*, vel, *nec imaginoſum*, ita ut *hac*, quod legebatur, fictitium ſit, preterquamquod hic criticis omnibus hæret aqua. Nam τὸ *imaginoſum* (verbum vix latinum, & Catullo indignum, quod a lexicographis expungendum eſt, ſi nullum aliud habent exemplum,) Turnebus, & Muretus ſpeculum explicant, quod ineptius eſt inſania amicæ Formiani, Scaliger, cæterique, quos ſecutus eſt Vulpius, ad morbum φρένησιν confugiunt, quod & hoc tanquam φαντάσματα dormientibus occurrit viris doctis; de lectione Marcilii *ſonit* nihil dico; Nan ſatis ſonat inſulſum, & contrarium MSS. porro nihil latinum, nihil lepidum habet corruptiſſimus verſus, e contra quam venuſtus & ſalſus eſt, cum legas, *en imago, naſum*. ſenſus enim eſt, *Non ſolet perpendere, qua facie ipſa ſit; en imago* h. e. *quæritis ejus faciem, & imaginem? naſum*, h. e. *inſpicite naſum*; & hac ratione nobis decribit puellam deformem, ut ineptire videatur, cum millia pro nocte poſcat. Superius enim poeta nobis oſtendit ejns naſum turpiculum, ridiculumque, *Iſta turpicula puella naſo*.

AD HENDECASYLLABOS

Adeſte hendecaſyllabi, quot eſtis,
Omnes undique, quotquot eſtis omnes,
Jocum me putat eſſe mæcha turpis,
Et negat mihi veſtra reddituram
Pugillaria. Si pati poteſtis,
Perſequamur eam, & reflagitemus.
Quæ ſit, quæritis? illa, quam videtis
Turpe incedere murice, ac moleſte
Redentem catuli ore gallicani.
Circunſiſtite eam, & reflagitate.
Mæcha putida redde codicillos,
Redde putida mæcha codicillos.
Non aſſis facis? o lutum,! lupanar,!
Aut ſi perditius poteſt quid eſſe.
Sed non eſt tamen hoc ſatis putandum,
Quod ſi non aliud poteſt, ruborem
Ferreo canis exprimamus ore.
Conclamate iterum altiore voce,
Mæcha putida redde codicillos,
Redde putida mæcha codicillos.
Sed nil proficimus, nihil movetur,
Mutanda eſt ratio, moduſque vobis,
Si quid proficere amplius poteſtis,
Pudica, & proba redde codicillos.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Adeſte* &c. Verſus eſt hendecaſyllabus, in quo poeta implorat opem hendecaſyllaborum ad repetenda pugillaria de manu mechæ, a qua cum nihil extorquere poſſit, ad ironiam falſiſſimam deſcendit. Miror autem Scaligerum, Voſſium, Achillem, cæteroſque, qui naſum meo longiorem habuerunt, non olfeciſſe nomen hujus mæchæ, quam ajo Lesbiam fuiſſe. Primo quia eam non nominat, ut facit & ad Januam, & ad Coloniam, & alibi; nominaviſſet enim, ſi Aufilenam, vel Hypſithillam, vel amicam Mamurræ intellexiſſet; tum colligo ex eo *mæcha turpis*, & ex eo *o lutum, lupanar*. Lesbia enim nupta erat, & in lupanari vivebat; poeta, *Lesbia mi, præſente viro &c.* alio loco, *Lesbia in quadriviis, & angiportis — Glubit magnanimos Remi nepotes*; porro quia hanc nobis deſcribit doctam, quæ pugillaria detinebat. Lesbia enim erat docta, quæ alio loco annales Voluſii igne dignos judicavit, ibi *Annales votum ſolvite pro mea puella*; quarto quia eam notat ab inceſſu, & riſu inepto. Neque obſtat locus, ubi dicitur *dulce ridentem* &c. Nam tum amicus erat, nunc maximus hoſtis, quia excluſus ab ejus ſinu; poeta, *puella nam mea, quæ e meo ſinu fugit, conſedit iſtic*. Vel enim nunc narrat, ut eſt res, ut tunc vitium deceperit amatorem, vel vertit in vitium, quod erat laude dignum, ut magis amicam irritet, & injuriam ulciſcatur ſuam; tandem concludo ex eo poetæ loco *deſiſſemque truces vibrare jambos*. In hoc enim hendecaſyllabo præcipue in Lesbiam jaciuntur jambi, h. e. verſus maledici. Ibi enim ad carmen *annales Voluſi*, verbo *jambos* nota, jambos, inquam, non proprie intelligi, eoque modo, ut docet Horatius, *Syllaba longa brevi ſubjecta vocatur jambus*, ſed idem eſſe, ac verſus maledicos, de quo mone lexicographos. ἴαμβος enim eſt ab ἰὸν βάζειν *jacula loqui*, hinc ἰαμβίζω *perſequor maledictis*.

3 τό *Jocum* dicitur de re levi, ut apud Ter: *Ludum, jocumque fuiſſe dices illum alterum, præ rabies quæ dabit*.

4 Leges autem *veſtra reddituram*, ut volunt omnes Codices. *Pugillaria vero*

erant

erant tabellæ ligneæ, vel nobilioris materiei, ita dicta, quia pugno comprendebantur, in quibus
cera ſuper addita ſcribebatur, idem ac codicilli, Au: Gell: *Pugillaria nova nondum cera illita*,
quæ quidem pugillaria dicit *veſtra*, quia in illis hendecaſyllabi ſcripti erant. Leges autem cum
7 MSS *quæ ſit*, non *quid ſit*, ut erat temere in quibuſdam excuſſis. Lego etiam *murice* contra cri-
8 ticos legentes *ritmice* inſipidum, vel *myrmice*, quod ſtare non poteſt ob penultimam longam; eſt
enim a *μυρμῶκι*, quod vidit & Achilles, contra quem tamen, cui favet Vulpius, cæteroſque ajo,
lectionem *mimice*, quod a lexicographis delendum eſt, cujus locum *murice* ſubeat, contrariam eſſe
MSS, quæ habebant *mirtina*, vel *murmice*, vel *murmire* ſemper cum liquida *r*. at *murice* ut a MSS
non diſcedit! ut facit ad rem! Erat enim olim vetus proverbium de muricatis greſſibus, qui dice-
bantur quaſi per murices ferreos facti, tranſlate pro formidoloſis, vel tardis. Murices autem græce
τρίβολοι machinulæ ferreæ, quæ in quamcumque partem inciderint, aculeos protendunt; hinc
Fulgen: *Muricato, quod ajunt, ſigillaverunt greſſus*. Igitur *murice* tranſlate dictum pro tarde,
quod tum ex verbo *turpe* cognoſcitur. Turpis enim naſcitur a *torpeo*, de quo mone lexicographos.
Nil enim turpius eſt torpedine, ac pigritia; tum ex altero *incedere*, quod quidem fere ſemper
idem eſt, ac tarde ambulare. Sen: *Non ambulamus, ſed incedimus*, ita ut Catullus nihil aliud fa-
ciat, niſi notet Lesbiam ambulantem *con affettazione*, & inſtar matronæ, in quo eandem irridet.
moleſte, quia moleſtiam afferebat riſu inepto; poeta, *Nam riſu inepto res ineptior nulla eſt*. Non
9 enim explices cum Vulpio *curioſe*. *Ridentem* autem h. e. os deducentem ad aures, ut canes venati-
ci gallicani. Mar: *Leporemque læſum gallici canis dente*.
11 *Redde* vero repetitum venuſte eſt in debitores, & præcipue furunculos; Ovid: *Redde meum cla-
mant ſpoliatæ ſæpe puellæ, ... Redde meum*, Plaut: *Redde fœnus, fœnus reddite*, quod vidit
etiam Vulpius.
13 *O lutum* &c. Recte in MSS omnibus *o lutum, lupanar*. Inſurgit enim in mores perditos meretri-
cum viventium in lupanari. Cicero *o lutum, o ſordes*! Quare omittes ſecundo loco adverbium
vocandi; ita enim fecit eleganter poeta ad majorem iram ſignificandam, ita ut ridiculæ ſint le-
ctiones Achillis *o lupanar*, vel *o lutum luparum*, vel *os litum*, vel *oblitum*, vel *olidum* Pitiſci,
16 pervertentes manuſcripta. Leges etiam *non aliud poteſt*, quod erat in MSS Achille teſte (qui ta-
men ſomniat poſt hoſce duos verſus aliquid deeſſe) non *pote eſt*, ubi fruſtra docemur, ſubintelli-
gi verbum *exprimi*; Nam hoc vel pueri norunt, cum liquide ſcriptum ſit ſtatim *exprimamus*, quod
17 verbum creditorum eſt. Cic: *Unde ergo numerato? HS. D. C. exprimes ab Hermogene*. Imponimus
autem, elicimuſque pudorem, ruboremque præcipue a furunculis, Mart: *Impones plagiario pudo-
rem*. *Ore* vero cum dicit, alludit ad os deductum, de quo ſupra, *ridentem catuli ore gallicani*.
Vertit enim poeta hic, & illic in vitium, quæ erant laude digna; Nam ſcimus, Lesbiam os pul-
crum habuiſſe ibi, *dulce ridentem*, niſi forte, ut dixi alias, vitium deceperit cæcum amatorem
Neque vero τὸ *canis* explices cum Voſſio funem, quo, ſinite, virum doctum tantiſper ligemus,
in quem merito exclamat, latratque τὸ *ferreo ore*. Canis enim, quod ſemel arripuit, tenet, in
quo impudentiam Lesbiæ notat; hinc impudentem hominem græci vocant *κυνῶπα*, latini *canem*.
Hom: *ὦ κύνες*. Ter: *Ain' vero canis?* Hor: *Quod hoſpites vexas canis*; Bocc: *Zozzo cane, che tu
ſei*. τὸ *ferreo* tandem magis auget arrogantiam, ita apud Ariſtophanem allatum a Muteto *σιδηρεῦ
&c.*, *ferreus homo* h. e. impudens. Ter: *os durum*.
18 *Conclamate iterum altiore voce* &c.; Invitat hendecaſyllabos ad clamandum, incutiendumque ru-
24 borem Lesbiæ. *Pudica* vero cum dicit, ad nobiliſſimam ironiam deſcendit, quæ habet ſalis tan-
tum, ut res inſulſiſſimas noſtras condire poſſit, quamque imitatus eſt Horatius, *Pudica, & pro-
ba perambulaſti aſtra*; ita Afranius apud Nonium citatus ab Achille *Proba, & pudica, quia ſum,
conſulo, & parco mihi*; quæ duo ad laudem, & honeſtatem feminarum maxime conferunt, quæ-
que non cadebant in Lesbiam, quæ erat ita impudica, ut pudica eſſe non poſſet, unde certius
colligo, hanc mœcham eſſe Lesbiam, de qua poeta alio loco ita queritur.
ibi, *Non illud quæro, contra ut me diligat illa,*
Aut, quod non potis eſt, eſſe pudica velit;

IN AMICAM MAMURRÆ

Salve nec minimo puella naſo,
Nec bello pede, nec nigris ocellis,
Nec longis digitis, nec ore ſicco,
Nec ſane nimis elegante lingua,
Decoctoris amica Formiani.
Ten' Provincia narrat eſſe bellam?
Tecum Lesbia noſtra comparatur?
O ſæclum inſapiens, & inficetum!

NOTÆ CRITICÆ

1. *Salve &c.* Verſus eſt hendecaſyllabus, in quo poeta falſe ſalutat Mamurræ amicam, cujus vitia tangit ſigillatim, unde arripit occaſionem, irridendi ineptum de hac puella, & Lesbia Provinciæ juditium. Errant autem, qui volunt, hanc puellam eſſe Acmen ex corrupto ſuperius loco, cum revera eſſet amica Mamurræ Formiani. Leges vero *nec minimo*, ut habent omnes Codices, excepto libro Scaligeri, qui habebat *nimio* vitioſum, quod Vulpius ſecutus eſt una cum eodem viro docto, qui ſane hic minimum habet naſum. Nam *nec nimio* cum dicit, tantum abeſt, ut irrideat naſum puellæ, ut etiam laudet. Mediocris enim eſt, qui non eſt nimius; e contra *nec minimo* idem eſt, ac parvulo. Nam ſi non erat minimus, igitur minor, h. e. vix parvus, rectius parvulus, fortaſſe ſimilis illi, de quo Juvenalis, *Sicco venit altera naſo*, ubi *ſicco* eſt pro gracili; Plinius, *Corpora graciliora, ſicciora que.*

2. *Nec bello pede* h. e. exiguus, quia brevis eſſe debet, Hor: *Nec ſit pede turpi.* Ovid. *Pes erat exiguus, pedis hac aptiſſima forma eſt*; hinc Areoſt: *Il breve, aſciutto, e ritondetto piede.* *Nec nigris* autem, quia oculi nigri ſunt laude digni. Hom: *δόμεναι &c.*, *Reddatur nigris oculis puella*; & Pindarus vocat Venerem *ἑλικώπιδα*, *nigris oculis contuentem*; Hor: *Et Lycum nigris oculis, & crine decorum*; Prop. *Lumina nigra puellæ.*

3. *Nec longis digitis*, quia debent eſſe longi; Prop. *Fulva coma eſt, longæque manus.* Petr: *E le man bianche ſottili!* *Nec ore* autem *ſicco*, quia os ſiccum in puellis deſideratur, h. e. ſine ſaliva, quæ ſane incommodum eſt; poeta, *A te ſudor abeſt, abeſt ſaliva.*

4. *Nec ſane &c.* Elegans tandem optanda lingua eſt ad ridendum ſuave, loquendumque. Vereor tamen, ut poeta alludat ad baſiationes ſtudio petitas. Nam Catullus enumerat tantum corporis vitia, non animi, puta ineleganter loquendi.

5. *Decoctoris* ſcilicet Mamurræ Formiis nati, qui patrimonium conſumpſerat; poeta, *Paterna prima lancinata ſunt bona.* Decoctores enim erant, qui ad inopiam redacti fallebant creditores.

6. *Ten' Provincia* ſcilicet Gallia, cujus pars tranſpadana, ubi maxima æſtimatio erat de hac Amica Formiani, qui ibi præfectus fabrorum Cæſaris fuit. Quæro autem ab eruditis præcipue ab Apulejo, quomodo forma Lesbiæ nota erat Provinciæ? non ex hominum voce; Nam ineptum eſt, audacter judicare de ea, quam non vides; hinc ajunt, *Cæcus non judicat de colore.* igitur dicendum eſt, Lesbiam ex eadem Provincia fuiſſe, ut prolixius contra doctos probo ad carmen *Vivamus, mea Lesbia, atque amemus.* Leges tandem ſine dubio, ut volunt omnes libri ſcripti Achille teſte, *inſa-*

8. *piens*, de quo mone lexicographos, ut & hoc Catullianum in lexico reponant; ita Cicero, niſi fallor, habet verbum vel ſimillimum, vel pene ſimile, quod notavi loco neſcio quo, quodque tamen in lucem veniet, cum vobis, ſi mihi Dii favent, lexicon latinum criticum, locupletiſſimum, nitidiſſimum proferam.

AD FUNDUM

O funde noſter ſeu ſabine, ſeu tiburs;
Nam te eſſe tiburtem autumant, quibus non eſt
Cordi Catullum lædere, at quibus cordi eſt,
Quovis ſabinum pignore eſſe contendunt.
Sed ſeu ſabine, ſeu verius tiburs,
Fui libenter in tua ſuburbana
Villa, malamque pectore expuli tuſſim,
Non inmerenti, quam mihi meus venter,
Dum ſumptuoſas adpeto, dedit, cænas.
Nam Seſtianus dum volo eſſe conviva,
Orationem in Antium petitorem
Plenam veneni, & peſtilentiæ legit.
Hic me gravedo frigida, & frequens tuſſis
Quaſſavit, uſquedum in tuum ſinum fugi,
Et me recuravi otioque, & urtica.
Quare refectus maximas tibi grates
Ago, meum quod non es ulta peccatum,
Nec deprecor jam, ſi nefaria ſcripta
Seſti recepſo, quin gravedinem, ac tuſſim
Non mi, ſed ipſi Seſtio ferat frigus,
Qui tunc vocat me, quom malum legit librum.

NOTÆ CRITICÆ

1 O *funde* &c. Verſus eſt jambicus trimeter, in quo poeta gratias agit fundo ſuo, quod in ejus villa
tuſſim expulerit; Hæc autem compoſuit in villa hujus fundi, quaſi abiens in urbem, ut colligo ex
5 eo; *Fui libenter &c.* &, *quare refectus*. *Verius*, porro, dicit, quia Tibur Sabinis nobilius eſt.
7 Hor. *Non regia Roma, ſed Tibur placet*. Leges autem *expuli*; nam MSS habebant *expulſus* ſemper
8 cum liquida *l*, non *expui* fictum a Scaligero; Hor: *Expulit helleboro morbum, bilemque meraco*.
10 *Venter* vero eſt pro fame, & gula; Perſius, *Ingeniique largitor venter*. *Nam Seſtianus dum volo* h. e.
11 apud Seſtium quemppiam oratorem, non illum pro quo extat oratio Ciceronis, ut putat Achilles.
Leges autem *Antium*, non *Attium*. Nam in omnibus MSS erat *minantium*; Antius vero fortaſſe
ille Reſtio proſcriptus a Triumviris; petitor autem erat, qui magiſtratum petebat in veſte candida,
15 unde dicti candidati, Leges autem *recuravi otioque, & urtica*, ut erat liquide in libris ſcriptis,
16 contra legentes, *procuravi* & *ocymo*. Plinius, *Quæ non eſt ita recurata*. Porro τὸ *grates ago* eſt ele-
gantiſſimum ad inanimata; ita et Cicero. *Ego vero auſtro gratias miras ago*; τὸ *tibi* tamen refertur
17 ad Villam, ut clare patet ex veriſſima lectione, quæ erat in omnibus MSS, & etiam in Patavino,
ulta, non *ulte*, quod legebat Faernus, quem ſecutus eſt Vulpius, fictitium, & minus venuſtum.
Convertit enim poeta orationem ad Villam, cum jam ſe refectum norat, quod erat juſtum,
æquumque. Villa enim quodammodo in cauſa fuit valetudinis, *fui libenter in tua ſuburbana villa*.
19 Leges autem *Seſti recepſo*, pro recepero ἀρχαϊκῶς ita in MSS; Pacu: *Priuſquam accepſo, quod peto*;
21 τὸ *vocat* tandem eſt verbum invitantis ad cænam. poeta, *Querunt in triviis vocationes*. In cæna
autem ſæpiſſime legebant antiqui. Mart: *Affertur protinus ingens -- Inter lactucas, oxygarumque liber*.
qui mos vigebat & apud græcos; Lucianus φασί &c. *Ajunt te & orationes recitare ipſis in convivio*.

DE ACME, ET SEPTIMIO

Acmen Septimius ſuos amores
Tenens in gremio, mea, inquit, Acme,
Ni te perdite amo, atque amare porro
Omnes ſum adſidue paratus annos,
Quantum qui pote plurimum perire,
Solus in Libya, Indiave toſta,
Cæſio veniam obvius leoni.
Hoc ut dixit, Amor, ſiniſtram ut ante,
Dextram ſternuit adprobationem.
At Acme leviter caput reflectens,
Et dulcis pueri ebrios ocellos
Illo purpureo ore ſuaviata,
Sic, inquit, mea vita Septimille,
Huic uno domino uſque ſerviamus,
Vt multo mihi major, acriorque
Ignis mollibus ardet in medullis.
Hoc ut dixit, Amor, ſiniſtram ut ante,
Dextram ſternuit adprobationem.
Nunc ab auſpicio bono profecti
Mutuis animis amant, amantur;
Vnam Septimius miſellus Acmen
Mavolt, quam Syrias, Britanniaſque,
Vno in Septimio fidelis Acme
Facit delicias, libidineſque.
Quis ullos homines beatiores
Vidit? quis Venerem auſpicatiorem?

NOTÆ CRITICÆ

1 *Acmen* &c. Verſus eſt hendecaſyllabus, in quo poeta felices amores Acmes, Septimiique deſcribit: Acme autem erat peſſima puella, Septimius vero fortaſſe poeta, de quo Terentianus grammaticus loquitur,
ibi, *Hoc de Septimii potes noſcere verſibus.*

2 *Tenens* &c. Inde cognoſcitur, Acmen valde amatam a Septimio. In ſinu enim tenemus, quos maxime amamus;
poeta, *Camerium mihi peſſimæ puellæ;*
Quidam ſinum reducens, en in roſeis latet papillis.
alibi, *Paſſer mortuus eſt meæ puellæ,*
Quicum ludere, quem in ſinu tenere.

3 *Perdite* h. e. vehementer, quantum qui poteſt plurimum perire;
Ter: *Ejus filium amare cæpit perdite;* hinc deperire eſt amare. Ter: *Minime miror, Clitia hunc ſi deperit.*
Ex eo autem *amare*, & *paratus* colligo tacite quiddam turpiculi, quaſi Septimius tunc obſcena parte paratus eſſet ad rem habendam cum amica, quam in gremio tenebat.
Amare enim eſt ſubagitare;
poeta, *Cum longa voluiſti amare pæna.*
alibi, *Quam ſic te ſineres ab illo amari.*
τὸ paratus quoque eſt in obſcenis:
poeta, *Tuo pene, dum erit foris paratus.*
Ovid: *Obſcena quoque parte paratus.*

5 *Pote* vero eſt pro poteſt; poeta *ſi pote, ſive pote.*

6 *Solus in Libya* &c. Hoc quoddam eſt juramenti genus;
Hor: O, *deorum ſi quis hæc audis,*
Utinam interirem nuda leones.
In Libya autem, & India leonum eſt magna copia.
Ovid: *Non aliter, quam cum libyca de rupe leones.*
India vero *toſta* dicta ob maximos æſtus, quibus torretur.

8 *Hoc ut dixit* &c. Huc reſpexit Plinius, cum aït, *Catulli incantamentorum amatoria imitatio*, quæ verba interpretes prave detorſerunt, quaſi poeta libellum *de incantamentis* ſcripſiſſet, quod eſt ridiculum. Nam colligitur ex verbo illo *imitatio*, quod ſane hic habet locum, & præcipue ad carmen *Vivamus mea Lesbia*, præterquamquod non ineptiviſſet poeta in pueros, puellulaſque, ſi incantamentorum peritus fuiſſet. Leges autem, ut erat in codice Patavino Achille teſte,

Siniſtram ut ante,
Dextram ſternuit adprobationem.

Si enim hic incipiunt amare, amarique, *Nunc ab auſpicio bona profecti*, antea non amabantur, igitur recta eſt Codicis lectio *ſiniſtram ut ante*; ut ſenſus ſit, *Amor ſternuit nunc adprobationem dextram, ut ante ſiniſtram*. Nam ſternutamentum, ſi dextrum erat, felix; ſi ſiniſtrum infauſtum.
Plin: *Atque etiam in auguriis ſternutamenta.*
Plut *πταρμὸς, ſternutatio a dextris indicavit.*
quam optimam lectionem probat etiam Propertius,
ibi, *Aridus argutum ſternuit omen amor.*
Quare reſpue, ſi ſapis, lectiones *ſiniſtra ut ante*, *vel inante*, eruditionemque de ſiniſtra deorum; quæ nobis dextra eſt, ſiniſtram, inquam, & loco non ſuo.
In amoribus porro deſcribendis fingunt poetæ, Venerem, Cupidinemque adeſſe ridentes, quibus ſane ridere proprium eſt;
Hom: φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη, *Riſum amans Venus.*
Ovid: *Sis, dea, reſpondi de vulnere; riſit, & æther*
Protinus ex illa parte ſerenus erat.
Hor: *Aderat querenti perfidum ridens Venus.*

10 *At Acme* &c. Et hic Pliniana verba locum habent. Deſcribit enim blandicias, (quibus quaſi incantamentis obligat Septimium), deliciaſque Acmes, cujus os purpureum laudat, oculoſque pueri ebrios h. e. ita amore languidos, ut ebrii viderentur.
Juvena: *Oculoſque in fine trementes.*

13 *Sic inquit* &c. Poſtquam deliciis puella amantem captavit, nunc blanditiis. τὸ enim *Septimille* diminutum blandiens eſt a *Septimio*.
poeta, *o miſelle paſſer!*
alibi, *Veranniolum meum, & Fabullum.*
rurſum, *Amabo, mea dulcis Hypſithilla,*
Meæ deliciæ, mei lepores
Leges vero *uno domino*, ut erat in omni Vet. ſcript. ἀρχαϊκῶς pro *uni*, quod contra MSS corruptores repoſuerunt, de quo mone lexicographos; Ita enim poeta alio loco *uni* dixit, pro *unius*, ibi, *Nec pili facit uni.*

16 *Ignis* &c. Amor excitat ignem in amantium medullis, & accendit miſellos amantes.
Poeta, *ſcitis, & in quo me torruerit genere.*
Quum tantum arderem, quantum Trinacria rupes.
Virg: *Eſt amor flamma medullas.*
Petr: *Non hò midolla in oſſo, o ſangue in fibra.* hinc Amor merito vocatur aridus a Propertio, ibi, *Aridus argutum ſternuit omen amor.*

19 Ex illis autem verbis *nunc ab auſpicio bono*, colligo, lectionem auream eſſe Codicis Patavini utro-
21 que loco. Nam nunc bonum omen habent, ante ſiniſtrum. *Miſellum* vero vocat Septimium, quia
22 amabat. Plaut: *Ut miſer eſt homo, qui amat.* Syria porro, & Britannia provinciæ ditiſſimæ. Cic:
Illa opima, & fertilis Syria. poeta, *Fuiſti in ultima occidentis inſula -- Ut ducenties comeſſet, aut*
24 *trecenties.* Tandem *delicias facere* eſt baſiare, tangere, & alia hujuſmodi; poeta, *Si quis delicias di-*
25 *ceret, aut faceret. Quis* poſtremo cum dicit, oſtendit Acmen, & Septimium fuiſſe beatiſſimos, in
quos cadit illud Petrarcæ, ibi, *O me beato ſopra gli altri amanti.*

AD SE IPSUM

Jam ver egelidos refert tepores
Jam cæli furor æquinoctialis
Jucundis zephiri ſileſcit auris.
Linquantur phrygii, Catulle, campi,
Nicexque ager uber æſtuoſæ,
Ad claras Aſiæ volemus urbes
Jam mens prætrepidans avet vagari,
Jam læti ſtudio pedes vigeſcunt.
O dulceis Comitum valete cætus,
Longe quos ſimul a domo profectos
Diverſe variæ viæ reportant.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Jam ver* &c. Verſus eſt hendecaſyllabus, in quo poeta occaſione veris Bithyniam relinquens Co-
mitibus valedicit. Hæc autem compoſuit in Bithynia, ut optime ajebat Muretus contra Scaligerum
pene dicam ſicarium, qui mortuum mavult hic, & nunc poetæ fratrem, quod ridiculum eſt.
Nam, cum rediit Romam cum Memmio, non fecit certiorem Manlium, ut videre eſt in elegia ad
Manlium, quem feciſſet, ſi mortuus frater fuiſſet; porro ad Sirmionem reverſus invitat lacum, &
domum ipſam ad ridendum, lætandumque, quod non feciſſet mæſtiſſimus Fratris obitu; tandem non
ne hoc ipſum carmen hilare eſt? en *Jam læti ſtudio pedes vigeſcunt*. Frater igitur Catulli mortuus
non eſt. De via quoque aberrat vir doctus, qui putat hic, & nunc poetam ex Troade diſcedere
Bithyniam verſus. Nam quæro, ubi ſunt urbes claræ in Bithynia, ad quas convolare cupit illis ver-
bis *Ad claras Aſiæ volemus urbes?* nullæ: porro Nicæa, quam relinquit, num in Troade eſt? mi-
nime; nam eſt urbs Bithyniæ ad paludem Aſcaniam. Valeat igitur Scaliger, vivatque, qui voluit
& ipſe de via una cum Catullo vagari. Fortaſſe enim tunc erat ver, cum hunc hendecaſylla-
bum interpretabatur. Veris enim tempus navigationi, & itineri idoneum.
Ovid: *Vere monent curvas materna per æquora puppes, ire.*
Petr: *Zefiro torna, e il bel tempo rimena,*
E fiori, & erbe ſua dolce famiglia.
E garrir Progne, e pianger Filomela,
E primavera candida, e vermiglia.
2 *Furor* autem *æquinoctialis* ex eo dicitur, quia æquinoctii ſidere fiunt tempeſtates maximæ. Leges ve-
2 ro *Linquantur*, ut erat liquide in MSS omnibus contra Achillem legentem *liquantur*. Revera enim
poeta relinquebat phrygios campos, nempe Bithyniam, & Niceam, quæ ſunt in Phrygia majori;
poeta utitur eodem verbo, *Bithynos liquiſſe campos*; alibi, *Linquunt Phthiotica Tempe*.
6 *Ad claras* &c. Urbes Aſiæ claræ erant Pergamum, ubi frater commorabatur ſanus; fortaſſe comes
& ipſe alicujus Prætoris, & Zmyrna, Epheſus, Colophon, Miletus, & aliæ. τὸ *volemus* autem di-
7 citur hic de itinere terreſtri, non maritimo, ut putat Vulpius, contra quem eſt τὸ *vagari*, quod
de terreſtri dictum eſt fere ſemper; Ovid: *Vagantur læta per arva boves*. Cic: *In agris homines va-*
8 *gabantur*; & τὸ *læti ſtudio* reclamat, quod in pedes hominis apte cadit, non in funes veli navis.
Cic: *Pedibus ne Rhegyum, an in navem?* Petr: *Fuggir volando, e correr Atalanta.*
9 *O dulces* &c. ἀποστροφὴ ad comites, quos cum Memmio in Bithynia relinquebat. *Valere* enim di-
ſcedentis eſt; Plaut: *Ego abeo, valete*. Non enim intelligit ſeſe, & fratrem ipſum, ut putant in-
ſulſe nonnulli. Nam argumentum eſſet amoris exigui, fratres vocari comites, qui proprie ſunt ami-
11 ci ex cohorte; Leges autem, ut erat in omnibus MSS Achille teſte, *diverſe variæ viæ reportant*,
h. e. in diverſis partibus. Ter: *Meum animum diverſe trahunt*. Ineptum enim eſt hanc lectionem mu-
tare, & *diverſos* legere cum Achille, & aliis, quos ſecutus eſt Vulpius. Neque juvant Virgilius, &
Salluſtius ab illis citati. Valent enim exempla optimorum ſcriptorum, quoties a libris ſcriptis non
diſceditur.

AD

AD PORCIUM, ET SOCRATIONEM

Porci, & Socration, duæ ſiniſtræ
Piſonis ſcabies, fameſque mundi,
Vos Veranniolo meo, & Fabullo
Verpus præpoſuit priapus ille?
Vos convivia lauta ſumptuoſe
De die facitis, mei ſodales
Quærunt in triviis vocationes.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Porci &c.* Verſus eſt hendecaſyllabus, in quo poeta ægre fert, Porcium, & Socrationem nequam homines a Piſone præpoſitos fuiſſe Verannio, & Fabullo viris honeſtiſſimis. Porcius autem, & Socration comites Piſonis, cinædi ambo, quos ob ſtupri merita Piſo maxime amabat, quoſque Catullus vocat ſiniſtras ejuſdem Piſonis, quia eorum opera furabatur Quæſtor. Manus enim ſini-
2 ſtra furtifica eſt. Plaut: *Ubi altera furtifica læva.* τῷ vero *ſcabies, fameſque* ajo referri, & ad avaritiam Piſonis Provinciam extorquentis, & ad Porcium, & Socrationem callidos adminiſtratores rerum ejuſdem Piſonis. Scabies enim, & fames dicitur in homines avaros, & lucro deditos. Virg. *Auri ſacra fames.* Hor. *Inter ſcabiem tantam, & contagia lucri.* Leges porro *mundi*, ut volunt omnes Codices recte, non *Memmi* vitioſum, & ineptum, quod hic non habet locum, quodque tamen retinuit Vulpius pili faciens MSS. Appellat enim Piſonem mundum elegantiſſime, vel quia erat homo vappa, & egens, ut ait de Piſone Salluſtius. Pauperes enim ſalſe mundos vocamus; poeta de Furio, *Hanc ad munditiem adde mundiorem, Quod culus tibi purior ſalillo eſt.* Hor: *Mundæque pauperum cenæ.* Cic: *Mundi habitatores conduxerunt.* vel quia Piſo ſequeretur religionem Judæorum, qui ſunt ſane mundiſſimi, nitidique, hinc eum vocat *verpum*, & alio loco *verpam*. Vel εἰρωνικῶς cum alluſione ad ejus ſpurcum vitium pædicandi. Agitur enim hic de cinædis, de Priapo, deque Piſone pædicone. Non enim dictum eſt ἐπιθετικῶς, ut putat Achilles ita, ut *mundi* ſit pro *frugi* cognomen Calpurniorum. Nam ſcripſiſſet poeta liquide *frugi*, non *mundi*, quod lepide dixit, ita ut etiam ridiculum, & inlepidum omnino ſit, putare, ſub hoc verbo nomen alicujus deliteſcere, ut putat Vulpius. Non enim poeta contentus fuiſſet nominare tantum Piſonem ibi, *Verpus præpoſuit priapus ille*, ſed etiam τὸ *mundi*, pro quo etiam Achilles fruſtra legit *mindi*, quod nullo eſt in MSS.

4 *Verpus* h. e. recutitus, vel qui recutitorum Judæorum religionem ſequebatur. *Priapus* autem h. e. mentulatus, vel libidinoſus. Priapo vero conſacrabatur hædus, & agna; Hor. *Seu poſcat agnam, ſeu malit hædum.*

6 *De die* h. e. interdiu; e contra ſodales *quærunt vocationes*, h. e. vix cænant, qui in triviis expectant, a quibus invitentur. Veteres enim prandebant, & cœnabant, ut apud nos; homines tantum otioſi, & ventres, frugi tamen ſolummodo cænabant. Hor: *Impranſi correptus voce magiſtri.*

7 Leges tandem ſine interrogativo *vocationes* verbum invitantis, non *vorationes*, ut legunt quidam fame enecti. Plaut. *negare nulli ſoleo, ſi quis me vocat.* Hor. *Si es forte vocatus ad cænam.* Mart. *Non alia eſt cauſa vocandi — Ad cænam.* Verannius enim, & Fabullus non ita eſuriebant, ut vocati ad cœnam non ſolum ederent, ſed vorarent; en Poeta ad Fabullum, ibi

Cœnabis bene mi Fabulle apud me,
Si tecum attuleris bonam, atque magnam cœnam.

AD JUVENTIUM.

1 Mellitos oculos tuos, Juventi,
2 Si quis me ſinat uſque baſiare,
3 Uſque ad millia baſiem trecenta;
4 Nec unquam inde coram ſatur futurus,
5 Non ſi denſior aridis ariſtis
6 Sit noſtræ ſeges oſculationis.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Mellitos* &c. Verſus eſt hendecaſyllabus, in quo poeta laudat oculos Juventii, quos enixe baſiare cupit. Juventius autem ille cinædus, de quo ſuperius alio loco,

ibi *O qui floſculus es Juventiorum,*
Mallem divitias mihi dediſſes
Iſti, quoi neque ſervos eſt, neque arca.

Non enim eſt puer, quem Aurelio commendaverat poeta ibi, *Commendo tibi me, ac meos amores Aureli*, ut putant docti. Ille enim erat caſtus, & integellus, *Quod caſtum expeteres, & integellum*, hic autem de quo agitur, cinædus amatus a Furio, & ab aliis.

Mellitos autem, vocat oculos ejus, quia dulces.

poeta, *Surripui tibi, mellite Juventi,*
Suaviolum.

Apul. *Melitiſſimum ſuavium.*

Oculos vero baſiare cupit, quia oculi ab amantibus præcipue petuntur,

Propertius, *Oculi ſunt in amore duces.*

alibi *Oculos ſatiemus amore.*

poeta, *Pueri ebrios ocellos*
Illo purpureo ore ſuaviata.

Hom: Κύσε &c. *oſculatus lumina pulcra.*

Lego autem contra criticos, quos ſecutus eſt Vulpius, *Nec unquam inde coram ſatur futurus*. In MSS enim omnibus erat Achille teſte, *Nec unquam inde cor ſatur futurus*, hinc Voſſius legebat, *Nec unquam inde ero ſatur futurus*, neglecta ſine ſucco ſinalephe. τὸ *coram* enim eſt belliſſimum h.e. ad ejus os, oculoſque, habetque eundem ſenſum, quem verſus, *Qui ſedens adverſus identidem te ſpectat, & audit*. Nam *coram* dictum eſt quaſi *cum ore*, de quo mone lexicographos, ethymologoſque. Quid quod agitur hic de baſiationibus? poſitum tamen eſt adverbialiter, ut apud Ciceronem, *Et tecum coram loquerer*. Verſus igitur, qui legebatur in excuſſis, *Nec unquam ſaturum inde cor futurum eſt*, exilio multandus, quia ſpurius eſt, & nullo in MSS.

6 *Seges* tandem & *ariſtis* dicta μεταφορικῶς, quæ ſane habent in ſe deſiderium ingens pueri potiundi, ex quo iterum collige contra doctos, Juventium fortaſſe nunquam amatum a Catullo fuiſſe, quod fortius arguo & ex altero poetæ loco,

ibi, *Surripui tibi, mellite Juventi,*
Suaviolum dulci dulcius ambroſia.
Non impune tuli; namque amplius horam
Suffixum in ſumma me memini eſſe cruce.

Quod autem ſi poeta nunquam ſatur baſiationibus futurus eſt, non miror. Nam qui amant vere, nunquam ſatiantur.

Propertius, *Verus amor nullum novit habere modum.*

alibi; *Omnia ſi dederis oſcula, pauca dabis.*

AD MARCUM TULLIUM

Diſertiſſime Romuli Nepotum,
Quot ſunt, quotque fuere, Marce Tulli,
Quotque poſt aliis erunt in annis,
Gratias tibi maximas Catullus
Agit peſſimus omnium poeta,
Tanto peſſimus omnium poeta,
Quanto tu optimus omnium patronus.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Diſertiſſime* &c. Verſus eſt hendecaſyllabus, in quo poeta laudat eloquentiam Ciceronis, beneficiorumque ab eo acceptorum maximas gratias agit. Marcus Tullius autem Cicero homo notus, quem diſertiſſimum vocat merito,
hinc Quintilianus *Pracipuum vero lumen, ſicut eloquentiæ, ita præceptis ejus, dedit unicum apud nos ſpecimen orandi, dicendique oratorias artes, M. Tullius;*

2 *Quot ſunt* &c. ex Homeio οὐκ ἔσθ' &c. *Neque eſt vir, neque erit, neque fuerit.*
Plautus, *Qui ſunt, qui erunt, quique fuerunt, quique futuri ſunt.*

4 *Gratias* agit poeta Ciceroni, non quia defenderit ejus cauſam, ut mecum facit etiam Muretus, ſed, puto, quia ab eo commendatus fuerit Manlio, ut colligo ex eo,
ibi, *Et qui principio nobis te tranſdedit, Aule,*
A quo ſunt nobis omnia nata bona.
Quæro enim, quis tradidit Catullum Manlio? ne in rutis quidem, ac cæſis invenies; igitur dicendum eſt, Ciceronem fuiſſe. Nam clarior iſto nuſquam locus eſt, unde hoc certius affirmemus.

5 *Peſſimus* &c. Hoc dictum [illegible]. Tantum enim aberat, ut eſſet peſſimus, ut immo optimus cæterorum.
ita Virgil. *Neque adhuc Vario videor, nec dicere Cinna*
Digna, ſed inter ſtrepere anſer olores.

6 Verſiculus autem ſextus mordicus retinendus eſt, quia Catullianus. Extat enim in noſtro libro ſcripto, & etiam in aliis, eoque libentius, quia ait poſtremo, *Quanto tu optimus omnium patronus*, quo loco nota, Ciceronem paſſim Romæ omnium patronum vocatum fuiſse;
en Cæcina ad eundem Ciceronem ſcribens,
ibi, *Ubi hoc omnium patronus facis.*

AD LICINIUM

Heſterno, Licini, die otioſi
Multum luſimus in meis tabellis,
Ut convenerat eſſe, delicatos
Scribens verſiculos uterque noſtrum,
Ludebat numero modo hoc, modo illoc,
Reddens mutua per jocum, atque vinum.
Atque illinc abii tuo lepore
Incenſus, Licini, facetiiſque,
Vt nec me miſerum cibus juvaret,
Nec ſomnus tegeret quiete ocellos,
Sed toto indomitus furore lecto
Verſarer, cupiens videre lucem,
Ut tecum loquerer, ſimulque ut eſſem.
At defeſſa labore membra poſtquam
Semimortua lectulo jacebant,
Hoc, jucunde, tibi poema feci,
Ex quo perſpiceres meum dolorem.
Nunc audax cave ſis, preceſque noſtras,
Oramus, cave deſpuas ocello,
Ne pænas Nemeſis repoſcat a te;
Eſt vehemens dea, lædere hanc caveto.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Heſterno* &c. Verſus eſt hendecaſyllabus, in quo poeta Licinii lepores, ejuſque facetam amicitiam ex-
tollit. Licinius autem Calvus orator, & poeta facetus, de quo alio loco, *Ni te plus oculis meis ama-*
2 *rem -- Jucundiſſime Calve*, ita & hic vocat jucundum, *Hoc jucunde tibi*. *Luſimus* vero h. e. verſus
ſcripſimus, quod tamen dicitur de opuſculo, vel epigrammate; Virg. *Ludere quæ vellem calamo*,
permiſit, *agreſti*. Leges tandem *in meis*, ut erat in MSS, non *invicem* in nullo, præter quamquod
ita ſuggerit & ratio. Nam minor, ut Catullus volebat eſſe, majori tabellas dabat. Hor. *Criſpinus*
minimo me provocat, *accipe ſi vis*, *Accipe jam tabulas*. *Tabellis* autem ligneis cera obductis, in qui-
bus ſcribebant. Hor. *Accipe jam tabulas*, *videamus uter plus ſcribere poſſit*.
3 *Ut convenerat* &c. Senſus eſt, *ſcribens verſus delicatos*, *ut* h. e. *quales eſſe decebat*. Nam verſifica-
runt inter jocos, & vina. Cæna enim poſtulabat verſus delicatos h. e. dignos convivio, ubi convi-
væ deliciis, roſis, unguentis perfundebantur. Cic: *Delicatiſſimis verſibus exprimere omnia convivio-*
rum genera. alio loco, *Aut delicatum aliquem inferre ſermonem*, *& convivio dignum*, unde naſci-
tur vera lectio MSS *delicatos*, licet in patavino *dedicatos*. Veteres enim *l.* pro *d.* invicem uſurpabant,
ut ait Feſtus. Neque audias Scaligerum, quem ſecutus eſt Vulpius, qui *ut* pro *ubi* poſitum putat,
multo minus Muretum, qui τὸ *eſſe* ab *edo* derivatum docet, quod eſt macrius priore.
5 *Ludebat* &c. Ludere enim, ut ſupra dixi, eſt ſcribere verſiculos. Virg *Carmina qui luſi paſtorum*.
6 *Illoc* autem ἀρχαϊκῶς pro *illo*, de quo mone lexicographos; Plaut: *Illoc auris obtundo tuas*. Ad
τὸ *mutua* vero ſubaudi *carmina*. Porro *per jocum*, *atque vinum* h. e. in cæna; poeta, *ſiniſtra non*
belle uteris in joco, *atque vino*. In cæna enim joci uſurpabantur, hinc præceptum conviviale, *jocos*
uſurpanto.
10 *Nec ſomnus* &c. Fingunt poetæ, oculos hominum a ſomno claudi. Ter: *ſomnum oculis non vidi meis*.
Virg. *Tegeret cum lumina ſomno*. Nam amore obligati neque cibo levantur, neque ſomno. Ovid:
11 *Sum vacuus ſomno*, *noctem quam longa peregi*. *Indomitus* autem non a ſomno, ut ſomniavit vir do-
ctus, ſed quia a ratione non vincebatur, ut patet clare ex eo *furore*; Cic: *Indomitæ animi cupiditates*
13 *ad ſcelus impulerunt*. τῷ *eſſem* autem non cibum ſumerem, ut putant quidam, quos agit orexis;
poeta, *Nam ſimul es*, *jocaris una*.
14 *At defeſſa* &c. Defeſſi facilius dormiunt; Hom: ὕπνος &c. *Somnus invaſit defeſſum*. *Poema* autem a
16 ποιέω *fingo* nomen καθολικὸν ſpectans ad quovis carmen; hinc Varro, *Poema eſt* λέξις ἔνρυθμος, *itaq;*
etiam diſtichon, *epigrammation vocat poema*; poeta, ibi *ſimul poemata attigit*, de quo mone lexicographos.
19 Leges autem *ocello* lectionem omnium MSS Achille, & Scaligero teſte. Deſpuere enim oculis eſt,
quod dicunt itali *guardar di mal occhio*, Hom: ὑπόδρα ἰδὼν, *torve intuitus*. Non enim legas *ocelle*
fictitium cum Mureto, quem ſecutus eſt Vulpius; Blandum enim verbum non habet locum, cum
poeta loquatur hic audacter cum Licinio. Preces vero orantis deſpicere, ſuperbum eſt. Cic: *Cavete*,
ne ſuperbum ſit, *ejus obſecrationem repudiare*. Leges etiam *repoſcat a te*, ut volunt Codices; non enim
20 ineptias cum Voſſio, quem ſecutus eſt Vulpius, ut legas *reponat*, *Ate*, quæ dea filia Jovis non ha-
bet locum, cum Nemeſis in promptu ſit, cui aram Cæcina Severus ædificandam ſtatuit.

AD LESBIAM

Ille mi par eſſe deo videtur,
Ille, ſi fas eſt ſuperare divos,
Qui ſedens adverſus idemtidem te
Spectat, & audit
Dulce ridentem, miſero quod omnis
Eripit ſenſus mihi; nam ſimul te,
Lesbia, aſpexi, nihil eſt ſuper mi
Voce loquendum.
Lingua ſed torpet, tenuis ſub artus
Flamma dimanat, ſonitu ſuopte
Tintinant aures, gemina teguntur
Lumina nocte.
Otium, Catulle, tibi moleſtum eſt,
Otio exultas, nimiumque geſtis,
Otium & reges prius, & beatas
Perdidit urbes.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Ille &c.* Verſus eſt Sapphicus, in quo poeta Lesbiæ formam maxime laudat. Hæc autem tranſtulit pene ad verbum ex carmine græco Sapphus, quod ex Dionyſii Longini libro περὶ ὕψους tale habemus,

Φαίνεταί μοι κῆνος ἴσος θεοῖσιν
Εμμὲν ἀνὴρ ὅστις ἐναντίος τοι
Ιζάνει, ϗ πλασίον ἁδὺ φωνεύ-
σας ὑπακούει
Καὶ γελώσας ἱμερόεν, τό, μοι ταν
Καρδίαν ἐν στήθεσιν ἐπτόασεν.
Ως ἴδον σε βρόγχον ἐμοὶ γὰρ αὐδᾶς
οὐδὲν ἔθ᾽ ἥκει.
Αλλὰ καμμὲν γλῶσσ᾽ ἔαγ᾽, ἂν δὲ λεπτὸν
Αὐτίκα χρῷ πῦρ ὑποδεδρόμακεν.
Ομμάτεσσιν δ᾽ οὐδὲν ὄρημ᾽, βομβεῦ-
σιν δ᾽ ἀκοαί μοι.

Deo autem cum dicit, in cœlo ponit pulcritudinem Lesbiæ, ita ut Deus eſſe videatur, qui eandem amare poſſit; ita Propertius ad amicam
ibi, *Si dabit hæc multos, fiam immortalis in illis,*
Nocte una quivis vel Deus eſſe poteſt.
alibi, *Quanta ego præterea collegi gaudia nocte,*
Immortalis ero, ſi altera talis erit.

5 *Dulce ridentem &c.* Deſcendit ad peculiaria, & Lesbiæ riſum commendat. Rapiunt enim fœminæ deos, homineſque tum maxime, cum ſuaviter rident.
Hor: *Dulce ridentem Lalagem amabo.*
Petr: *Chi non ſa come dolce ell a ſoſpira,*
E come dolce parla, e dolce ride?

L. de M. *Queſto lo fa dulciſſimo, e perfetto*
Se ſente le parole, e il ſoave riſo.

omnis autem ἀρχαικῶς pro *omnes*, ex eo autem *aſpexi* colligo poetam oculis Lesbiæ captum fuiſſe; quod fere ſemper amantibus accidit

C.P. *Per quella donna, dalla quale io fui*
Si toſto preſo pur, com' io la vidi.

L. de M. *Quand'io, che pria temuto non avria,*
Se Ercole tornato foſſe in vita,
Fui preſo da un leggiadro, e bello ſguardo.

8 Lego tandem locum numquam ſanatum hoc pacto, *nihil eſt ſuper mi voce loquendum*. In græco enim eſt βρόγχον αὐδᾶς *gutture loquar*, vel rectius *voce loquendum*, hinc in duobus chartaceis bibliothecæ Saibantium allatis a Vulpio legebatur *ſuprema voce locuta*, in noſtro *ſupermi voce* ... in aliis *ſuprema* vitioſum, quia in græco ἐμοί, quod non eſt omittendum; quam quidem lectionem nemo neget Catullianam eſſe, ita etiam Homerus ἐγέλασε χείλεσιν *riſit labiis*; alio loco ἐσόψομαι ὀφθαλμοῖσιν *videbo oculis*. Neque attendenda eſt lectio fictitia Parthenii, vel Politiani, *quod loquar amens*; τὸ enim *amens* non eſt in græco, omittiturque τὸ βρόγχον, quod nullo eſt omittendum pacto; Quo loco ſatis mirari nequeo calliditatem quorundam doctorum, qui, cum ipſi emendare librorum ſcriptorum loca mutila, & corroſa non poſſint, deterrent etiam cæteros a labore, & prædicant, vetuſta ſimulacra mutila magis placere, quam novi operis adjunctione perfecta, quod tamen adprobo, quoties libros ſcriptos parvi facimus.

9 *Lingua &c.* Laudata Lesbiæ forma rem propius examinat, ſtatuitque, amorem puellularum hominibus pernicioſum eſſe. Enumerat enim mala, quæ ex amore naſcuntur. Nam lingua torpet, & nimio amore langueſcit,

Virg. *Incipit effari, mediaque in voce reſiſtit.*

Petr: *Ond'io non poti mai formar parola,*
Ch'altro, che da me ſteſſo foſs' inteſo,
Così m'hà fatto Amor tremante, e fioco.

10 *Flamma dimanat* autem, quia amor urit amantes.

poeta, *Ut multo mihi major, acriorque*
Ignis mollibus ardet in medullis.

11 *Tintinant* vero aures, quod eſt optima Scaligeri lectio ex libro ſcripto, & *lumina* teguntur no-
12 cte, h. e. caligine. Cæcutiunt enim amantes ob ſpiritus libidine ſemeſos. Neque putes cum Achille hic reliqua deeſſe. Nam noluit cæteros Sapphus verſus in latinum convertere, quia non habent tantam venuſtatem, quantam in græco carmine.

13 *Otium* tandem cum dicit, colligit, otium inquam h. e. amorem voluptuoſum ab otio natum hominibus nocere. Otiantur autem docti, qui & hic aliquid deeſſe volunt. Nam ſenſus maxime cohæret cum ſuperioribus, ex quibus feliciter concludit Catullus, alluditque ad Annibalem otioſum, ad Alexandrum, alioſque reges, civitateſque voluptuoſas, puta Lydorum, de quibus Juſtinus, ibi, *Et quos ante Cyrum invictos bella præſtiterunt, in luxuriam lapſos, otium, & deſidia ſuperavit.*

Et Campanorum, de quibus T. Livius,
ibi, *Campanos mollitia ſua victos eſſe.*
Iuv: *Luxuria incubuit, victumque ulciſcitur orbem:*

AD SE IPSUM.

1 Quid eſt, Catulle, quid moraris emori?
2 Sella in curuli Struma Nonius ſedet,
3 Per Conſulatum pejerat Vatinius.
4 Quid eſt, Catulle, quid moraris emori?

NOTÆ CRITICÆ

1 *Quid eſt &c.* Verſus eſt jambicus trimeter, in quo poeta dolet, Strumam Nonium, & Vatinium maiores magiſtratus in Repub. adeptos eſſe. Hæc autem compoſuit Romæ Vatinio, & Fuſ. Caleno CoSS. Cum enim videret ſtatum infelicem Reipublicæ, mori mavult, quam vivere. Quoties enim bona, vel mala nobis accidunt, mortem optamus.

Hom: Ὀδυσσεὺς &c. *Uliſſes cupiens vel fumum exilientem videre ſuæ terræ, mori deſiderat.*

alibi, αἰ δὲ νοστήσω &c. *Si autem & rediero, & videbo oculis patriam meam,*

A me caput abſcindat alienus vir.

Plaut: *Abi domum, & ſuſpende te, quamobrem?*
Quia non audibis verba tot tam ſuavia.

Ter: *Licetne hoc erumpere mihi gaudium?*
Nunc tempus profecto eſt, cum perpeti
Me poſſum interfici.

Horatius de Europa, *Quid mori ceſſas?*

cujus rei rationem tacite reddit Cicero,

ibi, *Quod ſi factum erit, me ſatis vixiſſe putabo.*

Leges autem *quid eſt, Catulle, quid moraris emori*, lectionem omnium MSS Achille teſte; non *quid eſt quod* commentum criticorum nonnullorum, quos ſecutus eſt Vulpius.

2 *Sella &c.* Curulis ſellá dicta a *curru*, quia Curules magiſtratus curru vehebantur, eaque & olim regum erat, & Ædilium, & Prætorum, & Cenſorum, & etiam Sacerdotum;

T. Livius, *Sacerdotes curuli regia ſella adornavit Numa.*

& Conſulum

Cicero, *Ego ſum ille Conſul, cui non hæc ſedes honoris ſella curulis unquam vacua fuit mortis periculo.*

T. Livius, *Ad ſellas Conſulum convolavere.*

& Dictatorum;

T. Livius, *Dictator triumphans in urbem invehitur, locus in circo datus, ſella curulis eo loco poſita.*

Hor: *Commendat eburque curule.*

Erat enim ex materia eburnea,

T. Livius *Eburneis ſellis ſedere.*

Struma autem Nonius Prætor erat, de quo Plinius, *Nonius ſenator filius Strumæ Nonii ejus, quem Catullus in ſella curuli viſum indigne tulit.* Struma cognomine dictus, non ad convicium, ut putavit Boetius notatus etiam a Scaligerò, & aliis.

3 *Per Conſulatum &c.* Jurabant veteres per ea, quæ erant illis cariſſima; ita Coma ad Berenicem, *Adjuro teque, tuumque caput*, quia capilli ſunt fœminis cari: Vatinius autem Conſul factus una cum Q. Fuſ. Caleno, quando Pop. Rom., audita cæde Pompei, dictaturam Cæſari decrevit; hinc falluntur, qui putant, Vatinium Conſulem factum a Pompejo, vel, ut Turnebus inmerito, eundem Vatinium hic ariolatum fuiſſe, ſe conſulem futurum. Nam revera Conſul fuit, ut ſcriptores, & Capitolinæ tabulæ fidem faciunt; quo loco crudeles tollite claudum Euſebium, qui graviſſime lapſus eſt putans, Catullum mortuum fuiſſe ante bellum civile inter Cæſarem, & Pompejum, cum reapſe mortuus fuerit paulo ante, quam J. Cæſar occideretur, ut clarius probo ad carmen *Dianæ ſumus in fide* contra Scaligerum, Vulpium, Sc. Maphejum, & antiquiores.

4 Leges tandem & ultimo loco codice fultus contra Vulpium *Quid eſt, Catulle, quid moraris emori.*

DE QUODAM HOMINE, ET CALVO

Riſi neſcio quem modo in corona,
Qui, quum mirifice Vatiniana
Meus crimina Calvus explicaſſet,
Admirans, ait hæc, manuſque tollens,
Dii magni! ſalaputium diſertum!

NOTÆ CRITICÆ

1 *Riſi* &c. Verſus eſt hendecaſyllabus, in quo poeta ridet cujuſdam hominis falſam in Calvum Licinium exclamationem. Ridendus autem eſt Parthenius, qui τὸ *neſcio quem* Libonem eſſe dicit. Aruſpicis enim inepti eſt, ea ſcire, quæ Catullus neſciebat. *Corona* autem eſt hominum cætus; Cicero, *Non enim corona conſeſſus veſter cinctus eſt.*

3 *Calvus* Licinius ille orator, & poeta lepidus, Catulli amicus, quem vocat *meum*; ita de Veranio, *Ut Veranniolum meum, & Fabullum*. Præterea inimiciſſimus erat Vatinii, in quem duas orationes ſcripſit, de quibus Cornelius Tacitus ornate loquitur, & Quintilianus, *Ipſe cum unum, & viginti libros reliquerit, in manibus verſantur accuſationes, quæ in Vatinium inſcribuntur*, hinc merito poeta ait alio loco.

ibi, *Ni te plus oculis meis amarem*
Jucundiſſime Calve, odiſſem te
Odio Vatiniano.

5 *Dii Magni* &c. ἐκφώνησις admirantis,
Plaut. *Audivi, dii magni.*
Ovid. *Oſcula, dii magni, qualia, quotque dedi!*
aliquando eſt iraſcentis,
poeta, *Dii magni, horribilem, & ſacrum libellum!*
aliquando lætantis,
poeta, *Dii magni, facite, ut vere promittere poſſit.*

Inſeruit & aliis animi affectibus, de quo mone lexicographos. Intelligit autem Catullus Venerem, quia ſtatim de re obſcena ſermo eſt, *Salaputium diſertum*. Venus enim erat dea inter deos majorum gentium, quos enumerat Ennius;

ibi, *Iuno, Veſta, Ceres, Dejana, Menerva, Venus, Mars,*
Mercurius, Jovi, Neptunus, Volcanus, Apollo.

Leges tandem *Salaputium*, quod erat in omnibus MSS, & in libro Scaligeri, & apud Senecam ipſum *ſaluputium*, quod docti indocte in *ſalicippium* mutarunt. Nam Seneca non alludebat ad cippum, ſupra quem ſe imponi juſſerat Calvus, ſed ad perexiguam oratoris ſtaturam, ut ſcriberet non *ſalicippium* verbum, quod neminem movet ad riſum, multo minus Catullum hominem ſacetum, ſed *ſaluputium*; Et quoniam hic riſit Catullus neſcio quem modo in corona, recenſebo lectiones criticorum, ut ſuaviſſime ridere poſſis.

Parthenius *ſapientium*, Avantius *ſalapichium*, Achilles *ſallicippium*, dii boni! hæc ferenda ſunt, & audiunt aures leniter, & leviter; quid alii! *Solapantium, holopachium, ſalapuſium*, inepta omnia, quia aberrantia a MSS: quid, quæſo, Turnebus? *Aſcolapation*, vel *Colabotion*, eheu ſatis eſt, nil plus interrogo; quæ monſtra verborum iſthæc ſunt? Hebræa, an Araba? Circumvenior, viri docti, niſi ſubvenitis, hac ſalebroſa Turnebi lectione, *la quale mi fa andar la teſta a torno*, quamque ut pronunciem, non ſolum lapilli litorales, qui Demoſthenem olim juvarunt, ſed ne ſilices quidem ſatis ſunt. Quare a MSS ne diſcedas, quæ habent liquide *ſalaputium*, quod obſcenum compoſitum eſt a *ſalax*, & *putium*, hinc & *praputium* a πόσθη *pellis*, quæ ſummam mentulæ partem tegit; hinc & Auguſtus allatus a Vulpio appellavit homunculum *puriſſimum penem*, fortaſſe hunc locum imitatus, vel locutus ex vulgari ſermone, quaſique παροιμία. Salſa igitur illius hominis exclamatio eo tendebat, ut irrideret ſtaturam brevem Licinii quaſi ſimilem rei hominum obſcœnæ, quæ brevis eſt, mirareturque tantam eloquentiam in homunculo; ex quo Catulli loco Itali quoque ad hominem ſtatura brevem, animoque valentem, turpe quidem, ſed ſalſe dicunt diminutivum illud vulgo *ca* ...., quod totum dicere nolo, ne tollas rubra ſupercilia.

IN CÆSAREM

1 Othonis caput oppido puſillum,
2 Subtile, & leve peditum Libonis,
3 Vetti, ruſtice, ſemilauta crura,
4 Si non omnia, diſplicere vellem
5 Tibi, & ſufficio ſeni recocto.
6 Iraſcere iterum meis jambis
7 Inmerentibus, unice imperator.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Othonis &c* Verſus eſt hendecaſyllabus, in quo poeta pilifacit Cæſarem amatorem Othonis, Libonis, & Vetti cinædorum viliſſimorum. Hæc autem compoſuit, poſtquam Cæſar vicit Pompejum, ut colligitur ex illis verbis *unice imperator*. Nullum vero habet nodum hendecaſyllabus, quem interpretes quaſi in macello exoſſarunt, cujuſque ſenſus eſt, *ruſtice*, (ſubaudi *Cæſar*) *ſi non omnia vellem ſaltem diſplicere tibi caput puſillum Othonis, & peditum Libonis, & crura ſemilauta Vetti, &* h. e. *quos cinædos ſufficio*, h. e. *trado ſeni recocto*, *nempe Mamurræ*, *Iraſcere &c.*
Otho cinædus habebat caput ita puſillum, ut ridiculum eſſet, & indignum, ut amaretur ab imperatore Cæſare; in illud enim cadebat Terentius, *o capitulum lepidiſſimum!*
2 Libo alter cinædus, qui habebat peditum leve, & ſubtile, nempe gracile quaſi tela. *Peditum* autem eſt pro ano, hinc podex a pedo, de quo mone lexicographos.
3 Vettius tandem habebat crura ſemilauta, & putida; quem & alio loco vocat putidum, *putide Vetti*. Ibi enim, & hic eſt vera lectio Codicum, ita ut *Peti* vel *Veteri*, vel *Etri* vel *Heri* exterminanda ſint. Vettius autem fortaſſe ille falſus teſtis Vatinianus, qui adoleſcens ita pathicus erat apertus, ut turpiſſimo laboraret vitio podicis, unde ſemper ſtiria per crura, nateſque.
τὸ *ruſtice* tandem Cæſarem petit contra ruſticos illos, & inficetos, qui ad Vettium referunt. *Vetti* enim eſt caſus generandi, *ruſtice* nominandi. Cæſar igitur erat ruſticus h. e. impolitus, & inurbanus, qui tam ſpurcos cinædos amabat. Cic: *Ruſtici mores.*
5 *Tibi &c.* Et hoc ad Cæſarem ſpectat. Lego autem, ut habebant MSS omnia, & præcipue liber Scaligeri, *ſufficio* h. e. trado, ut apud Virgilium, *Ipſe pater Danais animos, vireſque ſecundas ſufficit*, quod non eſt mutandum, cum omnino ſit optimum. Non illos tres cinædos Cæſari indignos dat, & ſufficit ſeni recocto fortaſſe Mamurræ, qui erat libidinoſiſſimus, & paratus in ſpurcum quemque. Poeta enim, quoties inſectatus eſt Cæſarem, toties & Mamurram immiſcuit, ut ad carmen, *Quis poteſt videre, quis poteſt pati, Mamurram &c.* & ibi, *Pulcre convenit improbis cinædis -- Mamurræ pathicoque, Cæſarique*, ita & aliis in locis. Neque audiendi ſunt, qui legunt *Fuffecio*, quod ſecutus eſt Vulpius, vel *Fuffitio*. Nam, præterquamquod hæ lectiones diſcedunt a ſcriptura, etiam videntur ineptæ, quaſi vero Cæſar in amore horum cinædorum cariſſimorum rivalem libentiſſime pateretur Fuffitium, quod in Cæſare nobiliſſimo imperatore neque ſimile vero eſt, nec fide dignum, præſertim cum τῷ *ſeni recocto* poſſit eſſe aliquis leno recoctus in arte lenonia, qui cinœdos hoſce amandos Cæſari præbuerit; vel ſcriba libidinoſus, hinc Horatius, *Sæpe recoctus ſcriba*. Recocti enim dicebantur ſcribæ, qui ſæpius cum Proconſulibus in Provincias miſſi uſu exercitatiores facti erant, vel aliquis vino recoctus, qualis Mamurra, de quo Cicero, *Accumbit, unctus eſt, edit, & bibit*; qui enim laute vivunt, libidinoſi ſunt; vel aliquis quaſi bis decoctor, qualis Mamurra, de quo poeta, *Decoctoris amica Formiani*, in quo Turnebum non laudo, qui ſenectutem importare dixit, quique ſane repueraſcit, quoniam agit de ſenectute.
6 *Iraſcere &c.* Alias iratus fuit Cæſar ad carmen *Quis poteſt videre* ubi acerrime laceratur a Catullo. *Jambis* autem cum dicit, intelligit verſus virulentos, ut ibi, *deſiſſemque truces vibrare jambos*; alibi, *Agit præcipitem in meos jambos*, de quo, ut dixi ſuperius, mone lexicographos.
7 *Unice &c.* Quia Cæſar erat princeps in Republica, occiſo Pompejo, ejuſque exercitu, non enim εἰρωνικῶς, ſed reapſe dictum eſt, in quo Vulpius ſibi contradicit, qui hic fatetur quidem hic revera dictum eſſe, negat autem ad carmen, *Quis poteſt videre, quis poteſt pati*.

AD CAMERIUM

Oramus, ſi forte non moleſtum eſt,
Demonſtres, ubi ſint tuæ tenebræ;
Te in campo quæſivimus minore,
Te in circo, te in omnibus tabellis,
Te in templo ſuperi Jovis ſacrato,
In Magni ſimul ambulatione.
Femellas omneis, amice, prendi,
Quas voltu vidi tamen ſereno,
Ah, vel te ſic ipſe flagitabam,
Camerium mihi peſſimæ puellæ.
Quædam inquit nudum ſinum reducens,
En hic in roſeis latet papillis.
Sed te jam ferre Herculei labos eſt.
Tanto te in faſtu negas, amice.
Dic nobis, ubi ſis futurus, ede,
Audacter committe, crede, Luci.
Num te lacteolæ tenent papillæ?
Si linguam clauſo tenes in ore,
Fructus proiicies amoris omnis.
Verboſa gaudet Venus loquela,
Vel, ſi vis, licet obſeres palatum,
Dum noſtri ſis particeps amoris.
Non cuſtos ſi fingar ille Cretum,
Non ſi pegaſeo ferar volatu,
Non Ladas ſi ego, pennipeſve Perſeus,
Non Rheſi niveæ, citæque bigæ,
Adde huc plumipedas, volatileſque,
Ventorumque ſimul require curſum,
Quos junctos, Cameri, mihi dicares,
Defeſſus tamen omnibus medullis,
Et multis languoribus pereſus
Eſſem, te, mi amice, quæritando.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Oramus &c.* Verſus eſt hendecaſyllabus ſpondæum in ſecunda ſede recipiens, in quo poeta rogat Camerium, ut ſe ab eo facile inveniri patiatur. Camerius autem ille Lucius cinædus, de quo Auctor Priap. *Cinæde Luci, an te reliquerunt opes?* ut mecum facit & Achilles. Ridiculum enim eſt commentum Palladii putantis, Cæſarem eſſe, quem nunquam Catullus vocavit amicum, quemq. ſemper probris palam proſcidit, ex eo *Nil nimium ſtudeo, Cæſar, tibi velle placere.* Leges vero *Oramus ſi forte* omnium MSS, non *oro ſi tibi forte.* Poeta enim de induſtria ſpondæum captat in ſecundo loco. Fallitur autem Achilles, qui ſomniat hic de quodam ſcurra Catulli, de quo Juv: *Urbanus qualem fugitivus ſcurra Catulli.* Nam ibi non eſt ſermo de Catullo noſtro, ſed de Catullo urbicario mimogragho, præterquamquod reclamat τὸ *amice*, quod in fugitivum ſervum non cadit. Leges etiam *tenebræ*, ut erat in MSS, non *tabernæ* fictum a Scaligero, nec *latebræ* ab aliis, quæ in latebris deliteſcant. τὸ *tenebræ* enim omnino rectum. In tenebris enim Camerius verſari videbatur, qui nullo inveniebatur pacto; vel explica umbram tabernarum; ut apud Hor. *Vacua tonſoris in umbra*; vel potius, quod eſt veriſſima interpretatio, dic balnea, ubi cinædi, & meretrices ad deliciam conducebantur; Mart: *Vis futui, non vis mecum, Lauſeja, lavari.* Balnea enim erant tenebroſa; Mart: *Tenebroſaque balnea*; alibi; *Nec Grylli tenebras*; h. e. balnea, de quo mone lexicographos.

3 *Te in campo &c.* Liber Scaligeri *te campo quæſivimus minore*, ſed noſter *te in campo*, quod eſt veroſimilius; nam poeta ſemper utitur præpoſitione *in*; *Te in Circo, te in omnibus libellis* -- *Te in templo &c. In magni &c.* Campus autem minor erat Cælius, de quo Ovid. *Cælius accipiet pul-*

veru-

veru:entus equos. Non enim putes cum Vulpio, fuiſſe campum Martium, qui ſane erat maximus,
ubi Comitia habebantur, quique κατ' ἐξοχὴν non poſtularet epitheton. Semper enim abſolute
ponitur. Cic: *Me Conſulem in Campo interſicere voluiſti*. alio loco, *Fors domina Campi*. Erat Ro-
mæ etiam campus Aventinus, Agrippæ, Exquilinus, & alii.
4 *Te in Circo*, ubi Aſtrologi, Circumforanei, cinædi, meretriceſque verſabantur. Juv: *Ad Circum
juſſas proſtare pu:llas*. Leges autem *tabellis* lectionem nonnullorum eruditorum veriſſimam temere
mutandam, ut erat in quibuſdam MSS, hinc in noſtro *ſabellis*. Tabellæ enim ſunt januæ meretri-
cum, ita poeta alio loco ad Hypſitillam, *Ne quis liminis obſeret tabellam* h. e. januam. Camerius
enim, ut cinædus, in lupanaribus verſabatur, ut videre eſt ad carmen, *Salax taberna, voſque
contubernales*; & profecto ad Circum, ut dixi, proſtabant meretrices.
5 *In templo* Jovis, quod erat in Capitolio ædificatum a Tarquinio Priſco.
6 *In magni* vero ſubaudi Pompei, cujus porticus erat cæteris ornatior, de qua Prop. *Umbroſis ſordet
Pompeja columnis*. Erant Romæ & porticus Catuli, & Agrippæ, & Phæbi, & Claudi, & Philip-
pi, & Livii, & Metelli, & Octavii, & Europæ, & Neptuni, & Iſidis, & Æmilii, & extra Por-
tam Trigeminam, & apud macellum, & in Palatio, & alibi.
9 *Ah, vel te ſic &c.* Ita lego ex MSS Scaligeri, qui tamen temere *ah*, in *hos* mutavit, tollens lepo-
rem omnem orationi; *ah* enim optantis eſt, & precantis: Plaut: *Ah quanto valerem, ſi &c.* ut
ſenſus ſit, *Ah peſſima puella* (ſubaudi *indicate*) *mihi Camerium*, *vel* h. e. *etiam*, *ſic flagitabam
te*. *To vel* enim quaſi inter parentheſim poſitum habet quandum emphaſim, qua palam fit ingens poe-
te cura Camerium inveniendi. *Hos* igitur, quod eſt fictitium, quodq. ſecutus eſt Vulpius, expun-
10 ges. *Tò Peſſima* porro vox blandientis eſt, ut ſuperius, *Et hoc peſſima ſe puella vidit*. Blande enim
erant appellandæ, a quibus verum extorqueri debebat. Leges tandem *nudum* lectionem Codicum, non
11 *nitidum* lectionem corruptorum. *Sed te &c.* Liber Scaligeri, & etiam noſter *ſed te jam ferre Her-
13 culei labos eſt*, ita ut lectio *ſed te quærere jam Herculis labos eſt* ſit digna culo, quia contraria MSS.
Non poterat enim poeta ferre Camerium, quem non inveniebat; Juv: *Non poſſum ferre Quirites
Græcam urbem*. *Herculei* autem vetuſte pro *Herculis*, cujus labores maximi notiſſimi ſunt, ut
Themiſtoclei apud Ciceronem allatum a Scaligero, & apud Auſonium *Cei muſa Simonidei*, de quo
mone lexicographos.
14 *Tanto &c.* epiphonema ut apud Vigilium, *Tanta molis erat romanam condere gentem*, Non enim
hæc cum interrogatione recites. Leges autem *ede*, non *ede hoc* cum Vulpio; τὸ *hoc* enim inane eſt,
15 cum jam dicat poeta, *ubi ſis futurus* Juv: *Ede, ubi ſiſtas, in qua te quæro proſeuca?* Leges etiam
optime cum Achille *crede, Luci*. In MSS enim liquida eſt majuſcula, & ſane appellatio accomo-
datiſſima. Camerius enim erat Lucius, ut ſupra notavimus, ubi fruſtra ſudat Scaliger, cæterique,
quos ſecutus eſt Vulpius, putantes, eſſe dativum *a lux*. Committere autem, & credere unum, &
idem ſunt pro libere loqui, & fidei tradere. Leges autem *papillæ*, ut erat in romano Codice,
Lipſio teſte, quod rectius eſt, quam *puellæ*, tum ex verbo *lacteolæ*, quod ſpectat ad papillas. Lucr.
Lacteus humor uberibus manat diſtentis, tum ex verbo *tenent*; Nam revera papillæ tenent homi-
nes, hinc poeta alio loco, *Non a tuis volet ſecubare papillis*; & ſuperius, *En hic in roſeis latet pa-
pillis*, quam lectionem veriſſimam ſuggerit & liber noſter, qui habet *pupillis*; e contra *Tò puellæ*
lectio cæterorum, quos ſecutus eſt Vulpius, præterquamquod nemo affirmat, in MSS legiſſe, etiam
ſtare nequit cum verbo *lacteola*, quod de meretrice improprium eſt.
21 *Dum noſtri &c.* Etiam hic corruptores, quos ſecutus eſt Vulpius, ſolito corrumpunt MSS, quæ
habebant *Dum noſtri ſis particeps amoris* h. e. dummodo a nobis & alias impoſterum pædiceris. Cinæ-
di enim, ut erat Camerius, cum pædicantur, videntur participes fieri amoris pædiconum: hinc
poeta alio loco, *Deſertum domini audiens - Concubinus amorem*. Concubinus enim non particeps erat
amplius amoris Manlii, a quo derelinquebatur; quam auream lectionem probavit Achilles, &
Parthenius, qui tamen in explicatione perdiderunt oleum putantes, poetam iſtorum amorum con-
ſcium Camerium velle; nam reclamat *Tò dum*, quod pro *tamen* accipi nequit.
23 *Non Cuſtos &c.* Hic verſus, & poſteriores ita cohærent cum ſuperioribus, ut nihil melius, quod vi-
dent etiam lippi. Agitur enim hic de quærendo, inveniendoque Camerio, ut Scaligeri, & alio-
rum libri ſcripti omnino hoc loco vitioſi ſint. Cuſtos autem erat Talus, qui totam Cretam uno
die pedibus circumibat; non enim *Tò cuſtos* eſt pro *cuſtodito*, ut intelligatur Dædalus temere cum
24 Achille. Leges vero poſt hunc verſum *Non ſi pegaſeo ferar volatu* cum libro noſtro, & aliis. Pe-
gaſus autem equus alatus, de quo Prop. *Non ſi pegaſeo vecteris in aera dorſo*.
25 *Ladas* Alexandri curſor, cujus veſtigia in arena non apparebant. *Perſeus* autem filius Jovis dictus
pennipes, quia iturus ad occidendam Meduſam talaria accepit a Mercurio. Prop. *Non tibi ſi Perſei
26 moverit ala pedes*. Leges porro *niveæ, citæque bigæ*, ut erat in quibuſdam MSS, & ſubaudi *me fe-
rant*. Nihil enim amplius deſideratur hoc loco.
27 *Adde huc &c.* Ne intelligas hic de equis cum Vulpio, neque de Zethe, & Calai in ventos mu-
tatis, ut putant interpretes. Nam vitio repeteret poeta, cum ait *non ſi pegaſeo ferar volatu*, de-
inde, *Ventorumque ſimul require curſum*. Quare *Tò plumipedas volatileſque* ſunt aves ipſæ, quæ plu-
mas habent, volantque; niſi forte intelligamus Cupidinem alatum, & Mercurium cum talaribus, &
Minervam, de qua Cicero, *Minerva, cui pinnarum talaria affingunt*, hinc de Perſeo, *Pennipeſve
Perſeus*.
29 *Quos junctos &c.* Ita erat in omnibus MSS, Achille teſte; Ad τὸ *junctos* autem ſubaudi *currui*; ſu-
pra enim dixit *curſum*. T. Livius, *Juncta vehicula*. Ovid. *Jungere equos Titan velocibus imperat
Horis*. *Cameri* porro nempe Luci cinæde, de quo ſuperius *crede Luci*, non Camerii Eucratiani, vel
Creſcentis Arghigalli, ut cantat Vulpius, cui objicio etiam τὸ *dicares*, (ubi ſubaudias *ſi*, vel
etiamſi.) Non enim eſt pro *indicares*, ſed pro *dedicares*, *dares*, vel *traderes*. Cic. *Dicare ſe in
aliquam civitatem non poteſt*.
30 *Defeſſus &c.* Hic præcipue, vel potius in toto hoc hendecaſyllabo videtur Catullus Plautum imitatus,
quem vide ibi *Naucratem &c.* omitto reliqua Plautina, ne ditem typographum pagella ſequenti.

AD CATONEM.

O rem ridiculam, Cato, & jocoſam,
Dignamque auribus, & tuo cachinno!
Ride, quicquid amas, Cato, Catullum,
Res eſt ridicula, & nimis jocoſa.
Deprendi modo pupulum puellæ
Truſantem, hunc ego, ſi placet Dionæ,
Pro telo rigida mea cecidi.

NOTÆ CRITICÆ.

1 *O rem &c.* Verſus eſt hendecaſyllabus, in quo poeta narrat Catoni hiſtoriolam de quodam puero, & puella, cumque rogat enixe, ut rideat. Cato autem Valerius ille grammaticus poeta, de quo Bibaculus apud Svetonium allatum ab Achille,
ibi, *Cato grammaticus, latina Siren,*
Qui ſolus legit, & facit poetas.
Ovid. *Et per Cornifici, perque Catonis opus.*

2 Leges vero, ut erat in omnibus MSS, *dignamque auribus*, quia ſolebat audire lepida, & faceta, non *naribus* commentum Scaligeri hoc loco ſine naſo. Repeteret enim vitio poeta, cum ait, *& tuo cachinno.*

3 *Ride &c.* Invitat Catonem ad riſum. Cic: *Tu igitur ſi me amas.* *Cato* autem *Catullum* παρονομασία

5 jocus in verbis. τὸ *pupulum* vero diminutum a *pupus*, quod a *puer*, unde *pupus*, *pupulus*, *pupillus*. *Puella* porro cum dicit, fortaſſe intelligit Lesbiam. Non enim rigida, puto, puniviſſet, ſi aliam puellam ſubágitatam vidiſſet.

6 *Truſantem* eſt MSS lectio, licet Fulvianus Codex allatus a Douſa habet *criſſantem* omnino ſpurium. Nam criſſare feminarum proprium eſt, truſare puerorum, qui trudunt potius puellas, quam exercent.
Leges autem *ſi placet Dionæ*, ut vult vet. ſcript., non *ſic placet Dionæ* cum Achille, τὸ *ſi* enim eſt pro *quia*, vel *ſiquidem*; Cic: *ſi illuſtrantur, ſi erumpunt omnia.*
τὸ *Dionæ* vero eſt Venus filia matris Diones dicta & ipſa Dione, cujus ethymon a διός *muliebris.*
Hom: διὸ. &c. *Diones Diva Venus.*
Dant: *Ma Dione onoravano, e Cupido,*
Queſta per madre ſua, queſto per figlio,
E dicean, ch' ei ſedeſſe in grembo a Dido.

7 *Pro telo &c.* Interpretes omnes, quos ſecutus eſt Vulpius, *pro telo* unum verbum faciunt, & pro *celeriter*, vel *protinus* uſurpatum dicunt fulti exemplo Lucretii, *Undique protelo plagarum continuato*; Ego vero quovis pignore contendo, poetam aliter ſentire. Nam fateor quidem, Lucretium, & Lucilium in eo ſenſu uſurpaviſſe, Catullum vero elegantiſſimum non item, cui adverbia puriſſima non deerant, quod hoc unum ſatis eſſe deberet ad ruborem criticis incutiendum, præterquamquod telum hic habet omnino locum ſuum, ut ſenſus ſit, *cecidi eum rigida mea pro telo*, vel *vice teli.* Uſus eſt enim hoc verbo, quia telum eſt in obſcenis pro re pudenda, de quo mone lexicographos,
Mart: *Pædicare ſemel cupido dabit illa marito,*
Dum metuit teli vulnera prima novi.
Rigida abſolutum pro *mentula*; Mart: *In molli rigidum clune libenter habes*, hinc Priapus Deus rigidus vocatur a Virgilio,
ibi, *Obſcenas rigido deo fabellas,*
alibi, *Cum quemdam rigidus Deus videret*, de quo mone lexicographos.
Cecidi & hoc verbum eſt in obſcenis; rigida enim obſcena cædit; Au: Priap. *Præciſum ſciet eſſe me,* quem ſenſum habet etiam Plautus.

IN MAMVRRAM, ET CÆSAREM

Pulcre convenit improbis cinædis
Mamurræ pathicoque, Cæſarique.
Nec mirum; maculæ pares utriſque,
Urbana altera, & illa Formiana,
Impreſſæ reſident, nec eluentur.
Morboſi pariter, gemelli utrique,
Uno in lectulo erudituli ambo,
Non hic, quam ille, magis vorax adulter,
Rivales, ſocii & puellularum.
Pulcre convenit improbis cinædis.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Pulcre &c.* Verſus eſt hendecaſyllabus, in quo poeta Cæſaris, & Mamurræ peſſimos mores deſcribit Cæſar autem, & Mamurra illi duo, de quibus poeta ſuperius ad carmen,

Quis poteſt videre, quis poteſt pati
Mamurram habere &c.

Erant vero ambo cinædi, qui maculas infames contraxerunt; quo loco non eſt audiendus Muretus, quem ſecutus eſt Vulpius, qui verbo *Formiana* putat, Mamurram Formiis pudicitiam abjeciſſe, *Vrbana* autem Cæſarem in urbe, quod falſum eſt. Nam Cæſar a Nicomede primum pædicatus fuit, Mamurra a Cæſare ipſo, hinc falſi verſiculi apud Svetonium de Cæſare,

Cæſar triumphat, qui ſubegit Nicomedem,
Nicomedes non triumphat, qui ſubegit Cæſarem.

Poeta de Mamurra ad Cæſarem,

Ut iſta voſtra diffututa mentula
Ducenties comeſſet, aut trecenties. Tantum enim deſignat poeta Cæſarem Romanum, Mamurram Formianum.

6 *Morboſi &c.* Hoc, & reliqua hujus hendecaſyllabi in ſuo primo ſenſu explicanda ſunt, non μεταφορικῶς Morboſi enim erant propter vitium turpe deſcendendi, vorandique. Cinædi enim, & meretrices fere ſemper buxo pallidiores ſunt, & valetudinariæ; hinc amicam Varii vocat febriculoſam Catullus alio loco, *neſcio quid febriculoſi ſcorti diligis*, & ſane hoc verbum cinædorum totum eſt; Auct: priap. *Morboſior omnibus cinædis.* Quod ſi poeta nonnihil diſſentit a Svetonio ſcribente, Cæſarem proſpera valetudine fuiſſe, hoc odio ejus concedendum eſt, quod in nigra candida verterit, quamquam verior Svetonio Catullus eſſe poteſt. *Gemelli* porro videbantur, quoties invicem exercebantur. Gemellus enim eſt a *gemino*, quod ſignificat copulare, Hor: *Serpentes avibus geminentur, tygribus agni.* Hinc Gemini ſignum cæleſte pinguntur annexi collum dare brachia circum. Non enim cum Achille ad conſenſum flagitiorum referas, exploſo Horatio ibi, *ad cætera pene gemelli.*

7 *Vno in lectulo &c.* Explicat clarius, quid ſibi volebat τὸ *gemelli*: In uno enim, eodemque lecto dormiebant, & invicem ut fratres alteri amabantur. Cave enim legas *unilectuli* unica voce cum Achille, qui fruſtra ſudat in græcorum exemplis. *Erudituli* vero cum dicit Catullus, alludit ad eorum eruditionem, & ſcientiam literarum. Cæſar enim commentarios elegantiſſimos nobis reliquit, Mamurra autem fuit & ipſe poeta, qui tamen irridetur ſub nomine mentulæ, ibi,

Mentula conatur pimpleum ſcandere montem,
Muſæ furcillis præcipitem eiiciunt.

8 *Vorax adulter &c.* Ex hoc verſu colligo de Cæſare, & Mamurra pathiciſſima, qui non ſolum mœchi ſubgitabant uxores alienas, de Cæſare Svetonius, *Vrbani ſervate uxores, mæchum calvum adducimus*, & de Mamurra poeta, *Ille perambulabit omnium cubilia*, ſed etiam eas vorabant; Voro enim eſt in obſcenis: Mart: *Vndenas vorat in die puellas.*

9 *Rivales &c.* Leges, ut erat in MSS, *Rivales, ſocii & puellularum.* Erant enim primó rivales, ut pene contenderent de eadem puella, deinde ſocii eandem viciſſim amabant. Peccant enim Achilles, Scaligerque, qui τὸ & omittunt, legentes *Rivales ſocii puellularum*, quaſi rivales ſocii diſtinguantur a vere rivalibus, quod eſt commentum ridiculum.

10 *Pulcre &c.* Repetit primum verſiculum ad majorem ἔνφασιν, ut ſolet & aliis in locis, ibi, *Annales Voluſi cacata charta*; alibi, *Pædicabo ego vos, & irrumabo. Pulcre* autem h. e. bene, & recte. poeta, *Pulcre concoquitis.* Pulcher enim eſt a πυλὺς poet. pro πολὺς *multus*, & χρόα *color*. Pulcritudo enim a colore cutis naſcitur, de quo mone lexicographos, ethymologoſque. Poſtremo nota, Martialem ad hoc carmen reſpexiſſe, cum ait pene in eandem ſententiam, ibi,

Cum ſitis ſimiles, pareſque vita,
Vxor peſſima, peſſimus maritus,
Miror non bene convenire vobis.

AD CÆLIVM

Cæli, Lesbia noſtra, Lesbia illa,
Illa Lesbia, quam Catullus unam
Plus, quam ſe, atque ſuos amavit omnis,
Nunc in quadriviis, & angiportis
Glubit magnanimos Remi nepotes.

NOTÆ CRITICÆ.

1 *Cæli &c.* Verſus eſt hendecaſyllabus, in quo poeta narrat Cælio vitam impudiciſſimam Lesbiæ, quam vere amaviſſe, ex animo teſtatur. Cælius autem, quod contra Vulpium dico, ille idem Veronenſis, de quo poeta alio loco, ibi,

Cælius Anſilenum, & Quintius Anſilenam,
Flos Veronenſium depereunt juvenum.

hinc merito Lesbiam vocat noſtram *Lesbia noſtra*, quia, ajo, Cælius, Catullus, & Lesbia erant Veronenſes, vel ex territorio Veronenſi. Non enim putes, eſſe Cælium Prætorem, ut furioſe putarunt omnes interpretes Prætori merito tradendi. Neque Lesbia erat illa Clodia ſoror Clodii, ut credit Victorius, quem ſecutus eſt Vulpius, cæterique docti, inq. quem ſatis reclamo ad carmen *Vivamus mea Lesbia*; neque tandem Lesbia *noſtra* dicta, quia & a Catullo, & a Cælio amaretur. Neminem enim in hoc amore ſocium habere voluit poeta, ut ideo Contubernales, & Quintium, & Mamurram, alioſq. ſexcentos oderit, ſed quia, ut dixi, erat Veronenſis, de quo vide ad carmen idem citatum *Vivamus*, & ad alterum *Salve, nec minimo puella naſo.*

2 *Illa illa* ἀπαίτησις dolentis, & indignantis.
Hor: *Quid habes illius illius, quæ ſpirabat amores?*

3 *Omnis* autem ἀρχαϊκῶς pro *omnes*, ut & alias notavimus.

4 *Nunc &c.* Deſcribit hic Lesbiam meretricem ſpurcam, quæ proſtabat in quadriviis, & angiportis, ubi vivebant femellæ viliores.
Hor: *Invicem mœchos anus arrogantes*
Flebis in ſolo levis angiportu.

5 *Glubit* vero cum dicit, eandem parvi facit. Gubere enim proprium eſt meretricum viliſſimarum h.e. obſcenam ore pelliculam detrahere, in quo differt a fellare. Auſo: *Deglubit, fellat, molitur.* Modo etiam eſt in obſcenis, de quo mone lexicographos. Poteſt tamen τὸ *glubit* accipi in ſenſu honeſtiori, pro emungere, ut apud Terentium, *Emunxi argento ſenes.*
Magnanimos dictum εἰρωνικῶς Scortilla enim ſectari non magnanimi eſt, ſed nebulonis.
Verbo tandem *Remi* non alludit ad eorum opinionem putantium, Remum primum Regem fuiſſe Romanorum, ut credit Vulpius, vel fuiſſe privatum hominem, unde orti nepotes ex plebe, ſed quia ſolet poeta modo Romulum nominare, modo Remum, modo Ancum, ut placet, lubetque. Ita ibi: *Opprobria Romuli, Remique.*
alibi: *Romulique, Ancique ſoſpites ope gentem.*

AD

IN RUFAM.

Bononienſem Rufa Rufulum fallat
UxorNemeni,ſæpe quam in ſepulcretis
Vidiſtis ipſo rapere de rogo cœnam,
Quom devolutum ex igne proſequens panem
Ab ſemiraſo tunderetur uſtore?
Num te leæna montibus libyſſinis,
Aut Scylla latrans infima inguinum parte,
Tam mente dura procreavit, ac tetra,
Ut ſupplicis vocem in noviſſimo caſu
Contemtam haberes? o nimis fero corde!

NOTÆ CRITICÆ

1 *Bononienſem &c.* Verſus eſt jambicus trimeter, in quo poeta Rufæ conditionem, ejuſq. perfidiam
in Rufulum amantem inſectatur. Leges autem contra doctos, quos ſecutus eſt Vulpius, ut erat in
MSS, Scaligero teſte, & etiam in noſtro libro *Bononienſem Rufa Rufulum fallat*, contra quem
tamen eumdem Scaligerum τὸ *fallat* non eſt ab antiquo *fallare*, pro *fallere* a nemine ſano uſur-
patum, ſed a fallere. Hor. *mendacem puellam expecto*. Puellæ enim ſæpe amantes fallunt.
2 *Uxor &c.* Corrupta eſt lectio excuſſorum, quos ſecutus eſt Vulpius. Nam omnis vetus ſcrip. Sca-
ligero teſte habebat *uxor Nemeni* cum liquida prima majuſcula, ut ſpuriæ ſint cæteræ lectiones Do-
ctorum.
3 Leges etiam *de rogo*, recte ut erat in omnibus MSS, contra Avantium legentem *e rogo*. Cœnam
autem h. e. ſilicernium, quod erat epulum funebre; Perſ. *Sed cœnam funeris hæres — Negliget*
iratus.
5 Leges etiam *ab ſemiraſo*, ut erat in vet. ſcript. Scaligero teſte, non *a ſemiraſo*; ſemiraſi autem
erant homines viles damnati ad molendinas, ad remum, & alia; Apule: *Frontem literati, & ca-*
pillum ſemiraſi, & pedes annulati, Leges etiam *tunderetur*, non *tonderetur*. Solebant enim pri-
mo oculos mortui claudere, & lavabant, ungebantque cadaver, quod collocabant ad januam ipſam
veſtibuli, ut pedes in viam ſpectarent, candelis ad id accenſis, & tuba canente; græci habebant
& cantores. Deinde capite induto mortuum ex urbe exportabant, quem ſequebantur imagines
triumphales, & cupreſſi, parentes, & mercede conducti, qui plorarent; græci crines tondebant.
Porro mortuus vel ſepeliebatur, vel cremabatur toga indutus, cui oculos aperiebant; græci adipe,
& capillis tegebant cadaver. Itaque rogum accendebant, quique tenebat facem, vultum averſum a
rogo habebat, ne videret, circum quem quidem rogum decurrebant, & exclamabant, in ignem
rara quæque coniiciebant præter vinum; græci vero contra; Hom. κατὰ &c. *Rogum extinguite*
nigro vino. Tum Libitinæ ſacrificabant boves, ſues, pecudeſque; Cadavere tandem cremato favil-
las vino lavabant; luſtrabantque olivo affines, & dicebant noviſſima verba nempe *vale*, & oſſa
collecta, peruſtaque ſibi in ſinum mittebat mater, quæ dein eadem collocabat in ſepulcro, ſuper
quod imponebatur cippus, addito epithaphio; pauperes in ſepulcro communi ſepeliebantur, mul-
tiſq. honos ſepulcri non dabatur, ſed a ſandapilariis in eſquilinum buſtum portabantur, quoſque
inſepultos reperiebant, terram ſuper jaciebant; Ditiores autem ſepulcra habebant ſeorſum a plebe
in fundis propriis; ſepulcris vero eorum, quos oderant, caprifici ut naſcerentur, optabant, & cæde-
bant ſaxis ſepulcrum, malaque precabantur, quoſque amabant, eorum ſepulcrum floribus orna-
bant, dumoſque, & caprificos e tumulo evellebant. Funere tandem confecto parentes ad cœnam ac-
cingebantur, quæ ſilicernium vocabatur, cænati vero, & appoti alter alteri valedicebant, & ſer-
vi veſpillones, qui dicebantur uſtores ſemiraſi, ad cœnam funebrem ſuccedebant, cujus reliquias
uſtulandas in rogum coniiciebant, quas mendici homines rapiebant, qui tamen ab uſtoribus verbe-
rabantur; hinc poeta, *Ab ſemiraſo tunderetur uſtore*. Mar: *quæ de ſtygio rapuiſti, Cinname, lecto*. Apud
Lacedemones mortui ſepeliebantur, inque ſepulcra jaciebant ramos olivæ, epithaphium inſcribe-
batur tantum militibus, vel ſacerdotibus, undecim dies terebant in luctu, quibus tranſactis læti
Cereri ſacrificabant.
6 *Num te &c.* Perſtat poeta in perſequenda Rufæ perfidia, ita ut nihil ſtolidius faciant docti, quos
ſecutus eſt Vulpius, quam ſecernant hæc a ſuperioribus, cum habeant unum, & eundem ſenſum,
qui talis eſt, *Rufa Rufulum fallat, & ſupplicem ſpernat? Num te leæna, o Rufa, procreavit? &c.*
Neque dormias cum Parthenio, qui putat, hæc reliqua de Camerio ſcripta fuiſſe. In errorem enim
impulit illos ſpuria lectio primi verſiculi *fellat*, vel *fallit*, quod mecum vidit & doctiſſimus Sca-
liger, contra quem tamen leges *libyſſinis*, ut erat in MSS, non *libyſtinis*; poeta, *Quam magnus*
7 *numerus libyſſæ arenæ*. In libya enim leonum magna copia; Ovid. *Cum libyca de rupe leones*. *Scylla*
8 porro Circes veneficiis in monſtrum converſa, ac ſiculi maris periculum facta. *Supplicis di-*
cit, quia peccatum eſt, ſupplices non exaudire. Hom. &c. *ſed verere deos, ſupplices ſumus;*
Juppiter autem ultor eſt ſupplicum. Leges tandem *fero*, non *ſero* feram Avantii lectionem.

EPITALAMIUM

MANLII, ET JUNIÆ

Veſper adeſt, juvenes conſurgite, Veſper olympo
Expectata diu vix tandem lumina tollit,
Surgere jam tempus, jam pinguis linquere menſas,
Jam veniet virgo, jam dicetur Hymenæus.
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.
Cernitis, innuptæ, juvenes? conſurgite contra,
Nimirum oetæos os tendit noctifer imber,
Sic certe eſt; viden', ut perniciter exſiluere?
Non temere exſiluere, cavent, quo viſere parent;
Hymen o Hymnæe, Hymen ades o Hymenæe.
Non facilis nobis, æquales, palma parata eſt,
Aſpicite, innuptæ, quæſo, ut meditarie quærunt;
Nos alio mentes, alio diviſimus aureis,
Jure igitur vincemur, amat victoria curam,
Quare nunc animos ſaltem committite veſtros,
Dicere jam incipient, jam reſpondere decebit;
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.
Heſpere, qui cælo fertur crudelior ignis,
Qui natam poſſis complexu avellere matris,
Complexu matris retinentem avellere natam,
Et juveni ardenti caſtam donare puellam?
Quid faciant hoſtes capta crudelius urbe?
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.
Heſpere, qui cælo lucet jucundior ignis,
Qui deſponſa tua firmes conubia flamma?
Quod pepigere viri, pepigerunt ante parentes,
Nec junxere prius, quam ſe tuus extulit ardor?
Quid datur a divis felici optatius hora?
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.
Heſperus e nobis, æquales, abſtulit unam;
Nanque tuo adventu vigilat cuſtodia ſemper,
Nocte latent fures, quos idem ſæpe revertens,
Heſpere, mutato comprendis nomine eoſdem;
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.
At lubet innuptis ficto te carpere queſtu,
Quid tum ſi carpunt, tacita quem mente requirunt?
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.
Ut Flos in ſeptis ſecretus naſcitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contuſus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat ſol, educat imber,

Multi illum pueri, multæ opravere puellæ:
Idem quom tenui carptus defloruit ungui,
Nulli illum pueri, nullæ optavere puellæ;
Sic virgo, dum innupta manet, dum cara ſuis eſt;
Quom caſtum amiſit polluto corpore florem,
Nec pueris jucunda manet, nec cara puellis;
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.
Ut vidua, in nudo vitis quæ naſcitur arvo,
Nunquam ſe extollit, nunquam mitem educat uvam;
Sed tenerum prono deflectens pondere corpus,
Jam jam contingit ſummum radice flagellum,
Hanc nulli agricolæ, nulli coluere juvenci:
At ſi forte eadem eſt ulmo conjuncta marito,
Multi illam agricolæ, multi coluere juvenci:
Sic virgo, dum innupta manet, dum inculta ſeneſcit,
Quum par conubium maturo tempore adepta eſt,
Cara viro magis, & minus eſt inviſa parenti;
Et tu nec pugna cum tali conjuge virgo,
Non æquum eſt pugnare, pater quoi tradidit ipſe,
Ipſe pater cum matre, quibus parere neceſſe eſt,
Virginitas non tota tua eſt, ex parte parentum eſt,
Tertia pars patri data, pars data tertia matri,
Tertia ſola tua eſt, noli pugnare duobus,
Qui genero ſua jura ſimul cum dote dederunt;
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.
Collis o Heliconei
Cultor, Uraniæ genus,
Qui rapis teneram ad virum
Virginem, o Hymenæe Hymen
O Hymen Hymenæe.
Cinge tempora floribus
Suaveolentis amaraci,
Flammeum cape, lætus huc,
Huc veni, niveo gerens
Luteum pede ſoccum.
Excituſque hilari die,
Nuptialia concinens
Voce carmina tinnula,
Pelle humum pedibus, manu
Pineam quate tædam.
Namque Junia Manlio,
Qualis Idalium colens
Venit ad Phrygium Venus
Judicem, bona cum bona
Nubet alite virgo.

Floridis velut enitens
Myrtus aſia ramulis,
Quos Hamadryades deæ
Ludicrum ſibi roſcido
Nutriunt humore.
Quare age, huc aditum ferens
Perge linquere Theſpiæ
Rupis aonios ſpecus,
Nympha quos ſuper inrigat
Frigerans Aganippe.
Ad domum dominam voca
Conjugis cupidam novi,
Mentem amore revinciens,
Vt tenax hedera, huc, & huc
Arborem implicat errans.
Voſque item ſimul integræ
Virgines, quibus advenit
Par dies, agite, in modum
Dicite, o Hymenæe Hymen
Hymen o Hymenæe.
Ut lubentius audiens
Se citarier ad ſuum
Munus, huc aditum ferat
Dux bonæ Veneris, boni
Conjugator amoris.
Quis Deus magis a magis
Eſt petendus amantibus,
Quem colant homines magis
Cælitum? O Hymenæe Hymen
Hymen o Hymenæe.
Te ſuis tremulus parens
Invocat, tibi virgines
Zonula ſolvunt ſinus,
Te timens cupida novos
Captat aure maritos.
Tu fero juveni in manus
Floridam ipſe puellulam
Matris e gremio ſuæ
Dedis; O Hymenæe Hymen
Hymen o Hymenæe.
Nil poteſt ſine te Venus,
Fama quod bona comprobet,
Commodi capere, at poteſt
Te volente; quis huic deo
Compararier auſit?

Nulla quit ſine te domus
Liberos dare, nec parens
Stirpe vincier, at poteſt
Te volente; quis huic deo
Compararier auſit?
Quæ tuis careat ſacris,
Non queat dare præſides
Terra finibus, at queat
Te volente; quis huic deo
Compararier auſit?
Clauſtra pandite januæ,
Virgo adeſt. Viden', ut faces
Splendidas quatiunt comas?
Sed moraris, abit dies,
Prodeas, nova nupta.
Tardet ingenuus pudor,
Quæm tamen magis audiens
Flet, quod ire neceſſe eſt.
Sed moraris, abit dies,
Prodeas, nova nupta
Flere deſine, non tibi,
Aurunculeja, periculum eſt;
Nequa femina pulcrior
Clarum ab oceano diem
Viderit venientem.
Talis in vario ſolet
Divitis domini hortulo
Stare flos hyacintinus.
Sed moraris, abit dies,
Prodeas, nova nupta.
Prodeas, nova nupta, ſis;
Jam videtur, & audias
Noſtra verba; vide, ut faces
Aureas quatiunt comas,
Prodeas, nova nupta.
Non tuus levis in mala
Deditus vir adultera,
(Procatur pia perſequens,)
A tuis teneris volet
Secubare papillis.
Lenta, qui, velut adſitas
Vitis implicat arbores,
Implicabitur in tuum
Complexum; ſed abit dies,
Prodeas, nova nupta.

O beata, nec atra nox!
O cubile, quot omnibus
Candido pede lectulis!
Sed moraris, abit dies,
Prodeas, nova nupta.
Quæ tuo veniunt hero,
Quanta gaudia, quæ vaga
Nocte, quæ media die
Gaudeat! ſed abit dies,
Prodeas, nova nupta.
Tollite, o pueri, faces,
Flammeum video venire,
Ite, concinite in modum,
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe io.
Nec diu taceat procax
Feſcennina locutio,
Nec nuces pueris neget,
Deſertum domini audiens,
Concubinus amorem.
Da nuces pueris, iners
Concubine, ſatis diu
Luſiſti nucibus, lubet
Jam ſervire Talaſſio;
Concubine, nuces da.
Sordebant tibi villuli,
Concubine, hodie, atque heri,
Nunc tuum cinerarius
Tondet os; miſer a miſer
Concubine, nuces da.
Diceres male, te a tuis
Unguentate glabris marite
Abſtinere, ſed abſtine.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymeneæ io.
Scimus, hæc tibi, quæ licent
Sola, cognita, ſed marito
Iſta non eadem licent.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe io.
Nupta, tu quoque, quæ tuus
Vir petet, cave ne neges,
Ne petitum aliunde eat.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe io.

En tibi domus, ut potens;
Et beata viri tui,
Quæ tibi, ſine, ſerviet.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe io.
Uſque dum tremulum movens
Cana tempus anilitas
Omnia omnibus annuit.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe io.
Transfer omine cum bono
Limen aureolos pedes,
Raſilemque ſubi forem.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe io.
Adſpice, imus ut accubans
Vir tuus tyrio in toro,
Totus inmineat tibi;
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe io.
Illi non minus, ac tibi
Pectore uritur intimo
Flamma, ſed penite magis.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe io.
Mitte brachiolum teres,
Prætextate, puellulæ,
Jam cubile adeant viri.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe io.
Vos bonæ ſenibus unis
Cognitæ breve feminæ,
Conlocate puellulam.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe io.
Jam licet venias, marite,
Uxor in thalamo eſt tibi
Ore floridulo nitens,
Alba parthenice velut,
Luteumve papaver.
At marite (ita me juvent
Cælites), nihilominus
Pulcher es, neque te Venus
Negligit, ſed abit dies,
Perge, nec remorare.

Non diu remoratus es;
Jam venis; bona te Venus
Juverit, quoniam palam,
Quod cupis, capis, & bonum
Non abſcondis amorem.
Ille pulveris Erythri,
Siderumque micantium
Subducat numerum prius,
Qui voſtri numerare volt
Multa millia ludi.
Ludite, ut lubet, & brevi
Liberos date; non decet
Tam vetus ſine liberis
Nomen eſſe, ſed indidem
Semper ingenerari.
Torquatus volo parvulus
Matris e gremio ſuæ
Porrigens teneras manus
Dulce rideat ad patrem
Semihiante labello.
Sit ſuo ſimilis patri
Manlio, & facile inſciis
Noſcitetur ab omnibus,
Et pudicitiam ſuæ
Matris indicet ore.
Talis illius a bona
Matre laus genus adprobet,
Qualis unica ab optima
Matre Telemacho manet
Fama Penelopæo.
Claudite oſtia, virgines,
Luſimus ſatis; at boni
Conjuges bene vivite, &
Munere adſiduo valentem
Exercete juventam.

NOTÆ CRITICÆ

Antequam ad explicationem venio, animadvertant velim viri eruditi, carmen *Veſper adeſt* prius legi in libro noſtro, quam *Collis o Heliconii*, ut intelligamus, eſſe unum, & idem, licet poeta mutat *μέτρον*, quod fecit græcorum exemplo, ut ſuſpicatus eſt etiam Muretus; ita & Claudianus in nuptiis Honorii, & Mariæ variat numerum modo hunc, modo illum; ex quo quæſo cognoſcite dignitatem libri noſtri, Nihil enim in MSS ſcriptum fuit præclarius. Nam in carmine *Veſper adeſt* agitur de his rebus, quæ principio nuptiarum fiunt, ibi autem *Collis o Heliconii*, quæ poſteriora ſunt, quod certius videſis in enarratione ſequenti rituum conubiorum. Priuſquam veteres quicquam in nuptiis agerent, auſpicibus utebantur, ut bonis ominibus nuptiæ fierent. Virg. *Primiſque jugarat ominibus*; poeta, *Transfer omine cum bono limen*. deinde ſponſo dotem dabant; poeta, *Genero ſua jura cum dote dederunt*. Ter: *Inventa eſt, quæ dotem petat*; etiam Græci, Hom. *γάμον* &c. *Nuptias conficient, & apparabunt dotem*. Die autem nuptiarum ſtatuto, convivium fiebat; poeta, *Surgere jam tempus, jam pinguis linquere menſas*; Plaut: *Hos ut accipias coquos, obſoniumque in nuptias*; quod

quidem

quidem protrahebatur ad veſperum. Ad nuptias enim non accingebantur, antequam veſper, h. e. ſtella Veneris appareret; poeta; *Veſper adeſt, juvenes conſurgite*. Veſpere igitur adventante, ſurgebant e menſa, floreſque in focolari projiciebant, ut facerent nuptias fortunatas, & coronas liminibus imponebant, Plaut: *Tuſcum emi, & haſce coronas floreas -- Hæc imponentur in focolari noſtro -- Ut fortunatas faciat gnatæ nuptias*. Juv: *Necte coronam poſtibus*. His peractis, pueri, puellæque fictis verbis decertabant inter ſeſe, illi Heſperum laudantes, illæ contra, canebantque Hymenæum. poeta, *Heſpere, qui cœlo lucet crudelior ignis?* deinde, *Heſpere, qui cœlo fulget jucundior ignis?* Quinque pueri præibant facibus accenſis. Noctu enim fiebant nuptiæ, nempe ab adventu Veſperis uſque ad diem; poeta, *Tollite o pueri faces, flammeum video venire*. Sponſa enim flammeo h. e. velo tecta obviam veniebat, quam porro laudibus extollebant, flentemq. ſolabantur; poeta, *Flere deſine*; & pueri prætextati modo duo, modo unus brachium porrigebat ſponſæ; poeta, *Mitte brachiolum, prætextate, puellulæ*. Interim canebatur carmen feſcenninum, in quo præteritam ſponſi mollitiem erga cinædos, puellulaſque libere recitabant, poeta, *Nec diu taceat feſcennina locutio*. Sen. *Fundat convicia Feſcenninus*. Concubinus vero quondam ſponſo carus nuces projiciebat pueris ad colligendum paratis; poeta, *Da nuces pueris concubine*. Hoc comitatu, & cantu ſponſam ducebant in domum mariti; poeta, *En tibi domus viri tui*, ubi ſponſus in toro accubans ſponſam expectabat; poeta, *Adſpice imus ut accubans -- Vir tuus tyrio in toro*. Ad limen cubiculi puer prætextatus brachium ſponſæ mittebat, etiam græci, Callim. τάλιν &c. *nuptam cum puero patrimo & matrimo*, & ſuccedebant feminæ ætate majores, quæ eam in lecto collocabant; poeta, *Mitte brachiolum, prætextate, puellulæ -- Vos bonæ feminæ conlocate puellulam*, qua quidem collocata, maritus in lectum invitabatur, quibus vitam beatam, & liberos precabantur; poeta, *Jam licet venias marite -- Uxor in thalamo eſt tibi*; alibi, *Ludite ut lubet, & brevi liberos date*. Infantem, qui naſcebatur, circa focum ferebant die feſto, & propinqui, amicique dona dabant. Erant & alii dies feſti poſt natum puerum, quibus epulabantur. Hor: *Licebit ille repotia natales, alioſve dierum -- Feſtos albatus celebret*.

1 *Veſper adeſt &c.* Verſus eſt heroicus, in quo poeta primo inducit pueros pro conubio, puellas pro virginitate decertantes, invitanteſque tamen una Hymenæum, tum conubiorum ritus proſequitur, & parentibus liberos precatur. Inſcribitur autem carmen recte *epithalamium Juniæ, & Manlii* græcorum exemplo. Nam & Theocritus ἑλένης ἐπιθαλάμιον, & Sappho, de quo Servius allatus ab Scaligero, *Sappho, in libro, qui inſcribitur* ἐπιθάλαμοι, hinc etiam Quintilianus, *Catullus in Epithalamio dum innupta manet, dum cara ſuis, prius dum &c.* dicitur enim ab ἐπὶ, & θάλαμος, quod a virginibus canebatur, ut docet & interpres Theocriti illis verbis τόνδε ἐπιθαλάμιον ἄδυσιν αἱ παρθένοι *Epithalamion autem canunt virgines*; poeta, *Vos item ſimul integræ -- Virgines, concinite in modum &c.* igitur recte *epithalamion* inſcribas contra inſcribentes *Hymenæum*, præſertim Muretum, qui & in eo notandus eſt, quod putat ex eodem interprete Theocriti, epithalamium cani ſuper lectum a puellis, & nuces ſpargi, ne ſponſæ vox pudicitiam deponentis exaudiretur. Hoc enim falſum eſt cum ex græcis ipſis tum ex poeta noſtro, quem vide, & ex Virgilio *Sparge marite nuces*, ſed hæc loco ſuo. Veſper igitur eſt una ex ſtellis errantibus, quæ & Heſperus, & noctifer, & Veſperugo, & ſtella Veneris dicitur, qua adventante ad nuptias accingebantur: Quæro autem, cur veteres expectarent ſtellam Veneris? quia ad Venus ſpectat obire munera nuptiarum; hinc Juppiter Veneri apud Homerum ὔτοι τέκνον &c. *Non tibi filia mea, commiſſa ſunt bellica opera, Sed tu jucunda obi munera nuptiarum*.

3 *pinguis* vero ἀρχαϊκῶς pro *pingues*. Menſa porro erat in domo mariti, unde obviam ſponſæ ibant pueri, puellæ; poeta, *Jam veniet Virgo*; *dicetur* autem h. e. cantabitur, celebrabiturque.

5 *Hymen* tandem *o Hymenæe* eſt ἐπιφώνημα nuptiale, ut nuptiæ ipſæ eſſent fortunatiores, in quo imitatus eſt Theocritum Ὑμὰν ὦ Ὑμέναιε.

6 *Cernitis &c.* Adhuc pueri locuti ſunt, nunc puellæ contra juvenes conſurgunt. Lego autem con-
7 tra doctos *Nimirum œteos os tendit noctifer imber*. In MSS enim omnibus erat Achille, & Scaligero teſte *nimirum hoc eos oſtendit noctifer imber*, ut *etherios ignes*, vel *eteos ignes*, quos ſecutus eſt Vulpius, vel *oceano imbre*, vel *œos imbres*, vel *umbras*, ut aberrantia a MSS exibilanda ſint. Nulla enim lectio propior MSS eſt, ſanior nulla, quam noſtra. *Oetæos*, quia Veſper colit montem Oetam. Virg. *Procedit Veſper ab oeta*, alibi, *Deſerit Heſperus Oetam*. oetæos autem pro oetæus ἀρχαϊκῶς, ita poeta alio loco *novos captat aure maritos*, pro *novus maritus*; ita Varro apud No: *Novos maritus &c. Os tendit* vero h. e. os profert; Tendere enim eſt explicare, Virg. *Tendunt vela noti*; Ovid. *Ubi retia tendat*. hinc oſtendo eſt ab *os*, & *tendo*, non ab *ob*, & *tendo*, ut putant quidem ethymologi. Qui enim ſe oſtendit, faciem, & os proferat, neceſſe eſt. *Noctifer* porro, quia videtur afferre noctem. Nocte enim adventante Heſperus venit. *Imber* tandem, quia noctu, Heſpero veniente, ros, quaſi imber cadit e cœlo, ita ut ipſe Heſperus imber eſſe videatur. Leges etiam *ſic certe eſt*, ita erat in noſtro, & ſane Achilles vidit in uno MSS tres literas abraſas poſt verba *ſic certe*, poeta alio loco, *ſic certe eſt, clamant &c.* Cic. *Certe ita eſt*.

9 Lego tandem contra libros excuſſos, & hunc locum, ut volunt omnes Codices Scaligero teſte *cavent, quo viſere parent*, in aliis *quos viſere*, vel *quo viſere*, vitioſa, h. e. provident, & obſervant, ad quem locum comparere poſſint ad viſendum puellas. Cavere enim eſt providere, proſpicere; Cic: *altera ædificiis cavet*. *quo* eſt adverbium motus; *parent* pro *apparent*, vel *compareant* tempus pro tempore Catullo familiare, ut ibi, *Audet falſiparens Amphitroniades*, quæ ſana explicatio clarius emergit ex verbis illis *exſilvere*, quæ impor-
10 tant motum, & ſaltum ex inferiori loco ad ſuperiorem. Non enim Legas *canent*, quod nullo eſt in MSS, multo minus *par eſt*, quæ tamen fictitia ſecutus eſt Vulpius, quem ne laudo quidem in explicatione verbi *viſere*, ut viſu, *ait ille*, & ſpectatu digna ſunt, quaſi vero verba videri poſſint.

11 *Non facilis &c.* Hic juvenes cohortantur ſeſe ad victoriam. Lego autem contra omnes

libros excuſſos, quos ſecutus eſt Vulpius, *Aſpicite, innuptæ quæſo, ut meditarie, quærunt*, pro *meditarier*, eliſa liquida more veterum Poetarum. In MSS enim omnibus erat Achille teſte, *Aſpicite, innupta quæ ſecum ut meditare quærunt*. Critici temere omittebant *quæ*, & contra fidem Codicum legebant *meditata requirunt*, pejus Guarinus *meditamina* ſine, inquam, meditatione. Verſus vero *nos alio mentes* omnino naſcitur ex altero ſuperiore, *non fruſtra meditantur*, ita ut ſpurius ſit verſiculus, quem repoſuit Vulpius, *Nec mirum; tota penitus quæ mente laborent*. Præterquamquod enim ineptus eſt, deeſt etiam in libro noſtro, & in optimo MSS Scaligeri, explo-
15 ſus & ab Achille, & ſanioribus. *Quare* porro *nunc animos* cum dicit, invitat adoleſcentes ad certamen. *Committere* enim eſt verbum militare; Cic: *Ne legiones in conſpectu Cæſaris committerentur*, hinc *commiſſiones gladiatorum*; hic tamen tranſlate dicitur pro *ingenio pugnare*, ut apud Juv: *Committit vates, & comparat*. Leges tandem *nunc*, in MSS tamen *non* vitioſum, quod ſecutus eſt Achilles.
18 *Heſpere qui &c.* Leges hic, & infra *qui* ex MSS, non *quis*. Puellæ autem Heſperum ut deum crudelem accuſant, quia nupta quodammodo rapiebatur. Feſt: *Fingebatur rapi virgo ex gremio matris*;
20 hinc poeta, *complexu matris retinentem avellere natam*. Repetit vero dolens *complexu matris*, ut iratus poeta alio loco, *Lesbia illa, illa Lesbia*, & apud Virg. *Puer improbus ille -- Impro-*
21 *bus ille puer*. *Ardenti* autem h. e. amore cupido; Virg. *Corydon ardebat Alexim*. Leges etiam *fa-*
22 *ciant*, non *faciunt*, ut argumentum ſit a minori ad majus hoc pacto *ſi tu, qui maritus es, puellam rapis, quid facere debent hoſtes capta crudelius urbe*?
24 *Heſpere qui &c.* Hic imitatus Homerum eſt Εσπερος &c. *Heſperus, qui pulcherrimus in cœlo ſtat aſtrum*; quibus verbis juvenes Heſperum laudant, utpote qui conubia firmet; Nam eo adventante fiebant nuptiæ; poeta, *Adveniet fauſto cum ſidere conjux*. Porro *deſponſa*, quia per ſponſum contracta. Solebant enim veteres, ſpondere in nuptiis, ſtipularique; Tert: *Placuit, deſpondi, hic nup-*
25 *tiis dictus eſt dies*. Scribe autem *conubia* cum ſimplici liquida, ita & alio loco *Cum par conubium*,
28 ut animadvertit Achilles in vet. lib., & in omnium vetuſtiſſimo Virgilii. *Quid datur* tandem
30 *a divis felici* eſt acclamatio lætantis. *Heſperus &c.* Hic puellæ loquuntur, & in Heſperum acrius inſurgunt. Miror autem, quod viri docti, tu præter omnes Avantii, putent, nonnullos verſus hoc loco deeſſe, quod verbum inquam *deeſſe* Avantio inimicum eſſe deberet. Sane, mihi credite, ne ſyllaba quidem deſideratur, quod vidit etiam Voſſius, qui tamen ſenſum non belle digeſſit. Leges igitur primo, ut erat in uno MSS, *Heſperus e nobis, æquales, abſtulit unam*, nempe ſponſam; ita poeta ſuperius, *non facilis nobis, æquales, palma parata eſt*, ut cæteræ lectiones vel
31 vitioſæ ſint, vel fictitiæ. Deinde leges *namque* ita in membranis, non *nempe* commentum fortaſſe Voſſii, quem ſecutus eſt Vulpius, & ſenſus erit, *Heſperus abſtulit unam*, ſubaudi, *nec mirum; namque cuſtodia per urbem vigilat ſemper adventu tuo, o Veſper; nocte enim latent fures &c.* Argumentantur puellæ ab effectu. Non enim excubiæ fierent, neque fures timerentur, ſi Veſper peſſima ſtella non eſſet. *Tuo* autem *adventu* eſt ſubita apoſtrophe ad ipſum Heſperum, ut in di-
32 gnatio clarius eluceat. *Fures* vero ſunt amatores, non latrones, ut fruſtra latrat Paſſeratius. Agitur enim hic de amore, & de Heſpero furunculo amatore. poeta, *Furtivos hominum vident amo-*
33 *res*. Prop. *Juppiter ignoro priſtina furta tua*. Tandem leges *Heſpere*, ut mavult vet. ſcrip. non *Veſpere*, qui deprendit mutato nomine (mane enim dicitur Lucifer) fures h. e. amatores eoſdem in
34 via, vel in lecto cum amica. Poſtremo appone verſiculum temere omiſſum *Hymen o Hymenæe &c.*
35 *At lubet &c.* Leges non *ut* inſulſum cum Voſſio, quem ſecutus eſt Vulpius, ſed *at*, ut erat in
36 MSS; τὸ *at* enim eſt particula excuſantis. Juvenes enim hic excuſant puellas apud Heſperum. Leges etiam ex omnibus MSS Achille teſte *quam* vitioſum, & ex libro Scaligeri *quem* rectum, non *quod*, nempe *Heſperum*, quem licet puellæ carpunt, tamen amant. Ejus enim adventu nuptiæ fiebant, quas puellæ ingenti deſiderio expectabant.
38 *Ut flos &c.* Nunc puellæ virginitatem laudant ſimilitudine ducta a flore; qui, quoties a nemine tangitur, toties omnibus carus eſt, e contra moritur; quem locum imitatus eſt Areoſtus, quod vidit etiam Vulpius,

ibi, *La Verginella è ſimile alla roſa,*
Che in bel giardin ſulla nativa ſpina,
Mentre ſola, e ſicura ſi ripoſa,
Nè gregge, nè paſtor ſe l'avvicina,
L'aura ſoave, e l'alba ruggiadoſa,
L'acqua, la terra al ſuo favor s'inchina;
Ma non ſi toſto dal materno ſtello
Rimoſſa viene, e dal ſuo cepo verde,
Che quanto avea dagli uomini, e dal cielo,
Favor, grazia, bellezza tutto perde,
Il preggio, che avea inanti,
Perde nel cuor di tutti gli altri amanti.

Petr. *Punta poi nel tallon da un picciol angue,*
Come fior colto langue.

39 Leges autem *contuſus*, non *convulſus* cum Voſſio. poeta alio loco *Prati ultimi flos prætereunte*
41 *poſtquam tactus aratro eſt*. Imitatus vero eſt poetam noſtrum Ovidius &c.

ibi, *Multi illum juvenes, multæ optavere puellæ,*
Sed fuit in tenera tam dura ſuperbia forma,
Nulli illum juvenes, nullæ optavere puellæ.

42 & fortaſſe etiam alterum verſum, *Idem cum tenui &c.* ibi, *Et tenui primam deligere ungue roſam*; quo loco Vulpium literarum floſculum carpo, qui *ungui* partem candidam folii roſæ interpretatus eſt, cum ſit corneum illud, quod in ſummis digitis enaſcitur, ut ex verbis *tenui*, & *carpens* probe cognoſcitur, & etiam ex verſiculo Ovidii ſupra citati. Leges tandem cum Quintiliano, qui
44 fortaſſe habuit codicem noſtris antiquiorem, melioremque, *ſic Virgo dum innupta manet, dum cara ſuis eſt*, ut *dum* prius, ait Rhetor, ſignificet *quoad*, ſequens *uſque eo*, de quo mone lexicographos,

45 phos. *Tò Florem* autem importat virginalem ſtatum, hinc etiam Itali, Areoſt: *E che il fior virginal cosi avea ſalvo*: Non enim facit ad rem Terentius citatus ab Achille ibi, *anni ſexdecim, flos ipſe*. Comicus enim non ad virginitatem reſpexit, ſed ad ætatem, ut poeta alio loco, *nupta flore puella*.
48 *Ut vidua* &c. Juvenes e contra conubium laudant ſimilitudine ducta a vite, quæ, dum vidua eſt in arvo modo h. e. inculto ſine arboribus, ad quas applicet, non lapidoſo, ut ait duriuſcule Vulpius, ſpreta ſterileſcit, ſi vero ulmo conjuncta ſit, ab agricolis colitur, amaturque. Cic. *Vitis, quæ natura caduca eſt, & niſi fulta ſit, ad terram fertur*. Virg. *Ulmis adjungere vites conveniat*. Areoſt: *Sareſte come incolta vite in orto, — Che non hà palo, ove s' appoggi, o piante*. Vitis tamen amat &
54 populum. Hor: *Vitium propagine altas maritat populos*. Leges autem utroque loco, ut erat in duo-
55 bus MSS. allatis ab Achille, *coluere*, non *accoluere*. Leges etiam & hic, *dum innupta manet, dum inculta ſeneſcit*, ut *To intacta*, quod legebatur, fictitium ſit, præſertim cum ajat poeta ſuperius, *ulmo conjuncta marito*, quibus verbis optime quadrat *innupta*.
56 *Quum par* &c. Docet poeta, conubia paria eſſe debere, unde pax oritur, raræque inter conjuges rixæ; Ovid: *Siqua voles apte nubere, nube pari*. Leges autem *cara viro*, non *virgo*, quod non habet locum. Non enim eſt amplius virgo, cum par conubium maturo tempore adepta eſt. Minus vero eſt inviſa parenti, e contra inviſa, & odioſa revera eſt illocabilis. Ovid: *Sæpe pater dixit, generum mihi filia debes*. Plaut: *Virginem habeo grandem, neque eam quo locare cuiquam*. Cave autem apponas poſt hunccine verſum epiphonema *Hymen o Hymenæe*, quod nec eſt in MSS, nec
58 eſſe debet. *Et tu* enim cum dicant, peritant adoleſcentes, ſponſam cohortari ad nuptias. Leges autem, ut erat in omnibus MSS Achille teſte, *Et tu nec pugna*, non *at* in Codice nullo. *Et* enim
60 aliquando inſeruit initiis ſententiarum. Quint: *Et finita quidem ſunt partes duæ, quas &c. Quibus parere* porro, quia filii ſunt in parentum poteſtate, præcipue fœminæ, *quas*, ait T. Livius, *majores noſtri nullam ne privatam quidem rem agere ſine auctore voluerunt, inque manu eſſe parentum, fratrum, virorum*, quarum virginitatis bona pars parentum eſt, quia eas ab omni periculo, & inſidiis cuſtodiunt.
63 *Noli* &c. Quia difficile eſt cum duobus pugnare; hinc illud, *neque Hercules contra duos*. Poſtremo ait *cum dote*, quæ erat vel in rebus mobilibus, vel immobilibus; Plaut: *Minimo ſumtu filiam ut nuptum darent*, alio loco, *Eſt ager ſub urbe, hic eum dabo dotem uxori*.
66 *Collis* &c. Verſus eſt glyconius conſtans ex ſpondæo, vel jambo, vel trochæo, & duobus dactylis, quartus tamen quiſque loco ſecundi dactyli & aliquando primi ſpondæum recipiens, in quo poeta inducit choragum invitantem Hymenæum, & nuptialia tractantem. Leges autem, *Heliconii*, non *Helliconei*, ut habet liber Scaligeri, qui nequicquam attulit græcam inflexionem.
67 Nam in noſtro *Heliconiei*, pro *Heliconii ei* pro *i* ut *ludei* pro *ludi* ſæpiſſime. *Genus* autem Uraniæ eſt ipſe Hymenæus, qui videbatur rapere ſponſam dandam novo marito. Feſt. *Fingebatur virgo rapi ex complexu matris, patriſve &c. O Hymen* vero *Hymenæe* canebatur in nuptiis. Plautus, *Io Hymen Hymenæe; perii cantando Hymenæum*.
71 *Cinge* &c. Hymenæus adeſſe ſolebat cinctus foliis amaraci herbæ ſuavis. Amaracus enim adoleſcens, cum fregiſſet vaſum unguento plenum, adeo mærore confectus eſt, ut a diis in herbam ſui nominis mutatus fuerit. Ovid: *Sertis tempora vinctus Hymen*. Cingebatur & roſa. Sen: *Incede gradu præ-*
73 *cingens roſeo tempora vinculo*. *Flammeum* autem erat velum coloris rubei flammæ ſimile, quo tegebatur virgo, ne ejus rubor, neve lacrimæ notarentur; ex græcis, Homerus *Capiti impoſuit flam-*
75 *meolum*. Luc. *Lutea demiſſos velarunt flammea vultus*. *Soccus* vero genus græcum calceamenti, quod erat & Comædorum, Tragædorumque palliatorum, & Romanarum fœminarum; Suet: *Meſſalina petiit detractum ſibi ſocculum*. *Luteum* tandem dicit, quia color luteus erat in nuptiis ſacer. Sen: *Luteo plantas cohibente ſocco*.
76 *Excituſque* &c. Rurſus invitat Hymenæum ad cantus, & ſaltus. Leges autem ſine dubitatione *pi-*
80 *neam*, non *ſpineam* lectionem ſpinoſam; primo quia ita volunt Codices omnes ab Achille allati, & noſter etiam liber diſertim, deinde optimi ſcriptores, Virg: *Succendet pinus odores*; alibi, *Pinum ſuſtinet, & nata canit Hymenæos*. Ovid. *Expectet pinea tæda dies*. Sen: *Tempus erat ſuccendere pinum*. Pinus enim erat ſacra Dianæ parturientium patronæ. Hor: *Imminens villæ tua pinus eſto*. & Cybeles etiam deæ. Virg: *Pinea ſilva dedicata per annos*. porro pinus nuces producit, quæ in nuptiis proiiciebantur. poeta, *Da nuces pueris, Concubine*. Feſtus tamen, & Plinius volunt, tædas etiam ex ſpinu fuiſſe, niſi forte eorum libri ſcripti vitioſi ſint.
81 *Namque Junia* &c. In omnibus MSS *Junia*, non *Julia* commentum criticorum. Manlius autem for-
82 taſſe ille, qui adverſarius fuit Ciceroni in cauſa pro P. Sulla. *Qualis* vero cum dicit, comparat Juniam Veneri, quam, cum nudam vidiſſet Paris judex phrygius, Pallade, & Junone pulcriorem judicavit. *Bona* porro h. e. bella; poeta, *Infeſto pueris bonis, maliſque*. Deinde *cum bona alite*, adjecta græco more præpoſitione, quia in nuptiis auſpicia ab avibus petebantur, quarum multæ nubentibus erant infauſtæ, multæ fauſtæ, feliceſque; hinc Plinius, *Accipitris Circi altero pede clau-*
85 *di feliciſſimus nuptiis aſpectus*. Leges tandem futuro tempore *nubet*, ut erat rectius in libris ſcriptis.
86 *Floridis* &c. Comparat formam Juniæ myrto, quæ naſcitur ad paludem Aſiam in Mæonia ad Cayſtrum flumen, ubi erant prata fœcundiſſima; Virg: *Aſia circum dulcibus in ſtagnis rimantur prata Cayſtri*. Myrtus enim amat aquam, oditque ſaxea loca; poeta, *Quales progignunt flumina myrtos*. Cur autem comparat Juniam myrto? quia, ajo, myrtus Veneri ſacra eſt, Virg: *Populus Alcidæ gratiſſima, Vitis Iaccho, — Formoſæ myrtus Veneri*. *Hamadryades* vero erant Nymphæ, quæ cum arboribus naſcebantur, peribantque, ab ἅμα *ſimul*, & δρῦς arbor; non enim ſunt Najades, ut quidam putant, quæ erant in fontibus; Dryades autem inter arbores, Nereides in mari, Oreades in montibus, Napeæ in hortis. *Ludicrum* autem h. e. per ludum pro *ludicre*, ut alio loco *turpe incedere*, pro *turpiter*. Non enim ludas cum Vulpio, qui putat, ludicrum eſſe Nymphæum locum luſui aptum. Leges tandem, ut erat in quibuſdam MSS, *humore* & ſpondæus erit loco dactyli, ut ſolet Catullus & aliis in locis, non *in honore*, vel *odore* lectiones peſſimi odoris, quæ cum verbo *roſcido* ſtare non poſſunt.
91 *Quare age* formula hortantis eſt; poeta, *Quare agite optatos conjungite amores* Virg: *Quare age, &*

92 *arma*.

92 *armati &c.* alibi, *Quare agite, o Juvenes.* Theſpia autem rupes Heliconi proxima, & Collis
aonius erat, ubi habitabat Hymenæus; hinc ſupra, *Collis o Heliconii Cultor Uraniæ genus*, ubique
94 erat fons aganippe muſis ſacer; Virg: *Aonia aganippe.* Leges vero ſine dubio *Nympha*, h. e. Najas
ut mavult omnis vet; ſcript. Achille teſte, non *lympha*, ut voluerunt lymphatici corruptores; quos
ſecutus eſt Vulpius. Si enim Nereum, Neptunum, Thetidemque pro aqua, vel mari uſurpant poe-
tæ, cur non & nymphas? en Virg: *Dant famuli manibus nymphas*, præſertim cum Nymphæ ſint
Najades in fontibus ipſis.

96 *Ad domum* &c. Lege *ad domum*, ut erat omnibus in MSS Achille teſte, ἀρχαϊκῶς, non *ac*
quod volunt ſemidocti. Jocatur enim poeta quodammodo in tribus mutis; ita alio loco, *ſimul ite
Phrygiam ad domum.* Stilus enim Catulli eſt. Comparat autem amplexus Juniæ erga Manlium
hederæ; quæ tenaciter implicat arbores, muroſque; ita Hor: *Nec Damalis novo divelletur adulte-
ro.* -- *Laſcivis hederis ambitioſior. Dominam* autem in ſenſu honeſtiori *h. e.* ſponſam, de quo mone
99 lexicographos. Tranſibat enim ad mariti domum, unde *domina* dicta. Leges vero *huc*, *&* *huc*,
ut erat in MSS.

100 *Voſque item* &c. Ita habent omnes libri ſcripti, non *vos item* ſpurium: invitat autem Virgines,
quæ ſponſam comitabantur, ut canant Hymenæum. Plaut: *Perii, cantando Hymenæum. Integra* ve-
ro h. e. caſtæ; poeta, *ut caſtum expeteres, & integellum.*

106 *Vt lubentius* &c. Quo altiori voce citatur Hymenæus, eo libentius præſto eſt. Citare autem eſt
109 verbum cantantium. Hor: *Citaret io Bacche. Bona* autem *Veneris* dicit, quia duo ſunt Veneres,
Amoreſque, mœchorum, & conjugum.

111 *Quis Deus* &c. Extollit dignitatem Hymenæi, qui ab omnibus amatur. Lege autem, *magis, a
magis.* In MSS. enim erat *magis amatis*, & optime in Gallicano allato ab Scaligero *a macis*;
alibi poeta, *Et magis magis in dies & horas.* alio loco, *Noteſcatque magis mortuus, atque magis.*
rurſum, *Magis magis increbreſcunt.* Qui enim volunt *ah magis*, vel *ac magis*, vel *& magis* ſcri-
bunt, quod non eſt in MSS; *a* igitur legendum eſt ſine aſpirata, quod exhibent fere omnes libri
ſcripti, pro *ah*, eaque erit interjectio non dolentis, ut credit Marcilius, ſed optantis, & gauden-
tis, ut apud Plautum, *ah P. quid eſt? ecquid lubet.* A *lubet.* alio loco, *Ah quanto amplius vale-
rem!* lectionem Avantii *optimis* ſilentio prætereo, quam ſatis, ſuperque Scaliger, doctique exſi-
113 bilarunt. Leges etiam *colant*, non *colent* cum Vulpio, quod defendi nequit.

116 *Te ſuis* &c. Probat, quod expoſuit ſupra, Hymenæum ab hominibus amatum eſſe. Pater enim tre-
mulus (quod eſt vera lectio, alibi *tremuli tolle parentis onus*, non *Romulus* vel *Remulus* inepta)
117 pater inquam invocat ſuis, *ſubaudi* filiabus, ut quamprimum nubant. Virgines autem nubendo zo-
119 nam ſolvunt. Feſt: *Initio conjugii ſolutio erat cinguli, quo nova nupta erat cincta.* Leges vero cum
libro noſtro, non *tumens*, vel *timent*, vel *te te Hymen* adulterina, *ſed te timens*, quia fortaſſe ſpon-
ſus irrueret contra naturam, ſi timore Hymenæi non perterreretur, quem tamen audit aure cupida
120 docentem, quæ facienda ſunt, fugiendaque. Captare enim, auſcultantis eſt. Ter. *Ita animum capi
attendere.* -- *Hoc modo ſermonem captans.* τὸ igitur primum *te* ſpectat ad patrem, τὸ *tibi* ad virgi-
nes; tertium *te* ad ſponſum, & novum maritum. Leges enim *novos maritos* ἀρχαϊκῶς pro
novus maritus, ut vidit Achilles omnibus in MSS, & in vetuſtiſſimo libro Bibl. Vatic. in oratione
Philippi ex hiſtoriis Saluſtii, *Adeſt novos exercitus*, quod ſi mavis accuſativum, ſollæciſmum,
Pontiliane, facis.

126 *Venus* h. e. femina, virque. τὸ *commodi* autem non importat filios, ut credit Paſſeratius, ſed volu-
ptatem quancumque licitam. Poeta enim vitio repeteret, cum ait, *Nulla quit ſine te domus liberos*
131 *dare.* Liberi enim proprie dicuntur, qui ex juſtis nuptiis concepti ſunt. Leges vero optime cum libro
132 Scaligeri, neoque *ſtirpe vincier*, quod ſecutæ ſunt priſcæ editiones, non *jungier*, ut mutat idem Sca-
liger fruſtra; Nam pater vincitur ſtirpe h. e. filiis ſuis; Pacuu: *Quis ſtirpem occidit meum?* Liberis
autem ſpuriis non vincitur, quia ad eos non tranſmittit hæreditatem. Virg: *Ne cui me vinclo vel-
lem ſociare jugali. Jungier* vero dicitur de affinibus, qui & conjuncti dicuntur, hinc & ipſa affini-
tas conjunctio eſt apud ICtos; multo minus legas *nitier* conatum parturientis Avantii fictitium cor-
rumpentem MSS.

137 *Præſides* latine milites, quia præſident finibus, non magiſtratus, ut putat Scaliger, quem ſecutus eſt Vul-
pius; reclamat enim τὸ *finibus.* Milites autem apud Rom. cives erant ex juſtis nuptiis nati. Spurii
enim milites eſſe non poterant, nec finibus præeſſe, quia carent ſacris Hymenæi; hinc apud Sallu-
ſtium Catilina negat, ſe armaturum ſervos, ne cives cum ſervis immiſceat. Veriorem tamen ſen-
ſum hujus loci colligo ex verbo *finibus.* Fines enim erant ſacri, quibus præerat Deus Silvanus. Hor:
Te pater Silvane tutor finium, deoque Termino ſacrificabatur hoſtia. Hor: *Agna feſtis cæſa Termina-
libus.* Lapides etiam finium ungebantur, colebanturque, ut ad eorum cultum prætereuntes invita-
rentur; Quare ajo, præſides h. e. milites, vel præſidium militum, qui careant ſacris Hymenæi h.
e. ex injuſto coitu nati, non poſſe defendere fines. Si enim ſpurii milites eſſe non poterant, ut
ſuperius dictum eſt, multo minus poterant eſſe præſides finibus, qui ſacri erant, & numen habe-
bant ſuum.

143 *Comas* translate dictum de facibus, unde & Ovid: *Prætulit infauſtas ſanguinolenta comas*; de quo
mone lexicographos; neque vero hæc eſt nova translatio, ut putat Vulpius cum neſcio quo viro
docto, quem nominat, ſed a græcis ſumpta, qui & κομήτην a κόμη *coma* ſtellam crinitam vo-
cant. Flamma enim cujuſcumque rei tanquam coma nobis videri ſolet.

146 *Tardet* erat in omnibus MSS, Achille, & Scaligero teſte a *tardeo, es*, ut *denſeo, es*, de quo mone
lexicographos; ex pudore autem colligitur virginalis modeſtia. Tib: *Virgineus teneras ſtat pudor ante*
147 *genas.* Leges & *quem tamen*, ita in omnibus Codicibus ab Achille allati ſpreti tamen a doctis,
quos Vulpius ſecutus eſt, ut ſenſus ſit, *quem pudorem magis audiens virgo*, h. e. *cui pudori parens*, *&
habenas quodammodo effundens*, *flet* &c. Audire enim etiam mentis eſt, animique; Cic: *Te audi*,
148 *tibi obtempera*; immo rerum inanimatarum; Virg: *Nec audit currus habenas.* Lego quoque cum eo-
dem Achille lectionem omnium MSS *neceſſe eſt*, non *neceſſe ſit* adulterinam in omnibus excuſſis. Ne-
gligitur enim συναλοιφὴ cum hiatu, quo poeta noſter delectatur, ut ibi, *Ebrioſa acina ebrioſioris.*

151 *Flere* &c. Solatur lacrimas puellæ, laudatque ejus pulcritudinem. Quo enim feminæ magis

laudan.

laudantur, eo facilius morem gerunt. Solent tamen ſponſæ lacrimulas fingere, ut de Berenice poeta,
ibi, *Eſtne novis nuptis odio Venus? atque parentum*
Fruſtrantur falſis gaudia lacrimulis,
Ubertim thalami quas intra limina fundunt?
Non, ita me divi, vera gemunt, juverint.

152 Leges autem, ut eſt liquide in omnibus MSS allatis ab Scaligero, & Achille, *Aurunculeja*, pro *Auruncleja*, ita *hercule*, alias *hercle*, *periculum*, & *periclum*. Peſſimæ enim ſunt editiones Aldinæ, quæ habent *Herculeja*, vel *Arculejæ*, vel *Herculeja* omnia fictitia, & contraria MSS. Aurunculejus vero eſt Cottarum alterum cognomen, ex qua familia hæc noſtra videtur fuiſſe, ait idem Scaliger, qui tamen fruſtra miratur, ſponſæ fuiſſe nomen Juliæ, quod adoptione contigiſſe putat. Nam erat Junia, non Julia, ut fidem faciunt omnes libri ſcripti impie ab criticis ſpreti, con-
155 temptique. *Viderit venientem* tandem cum dicit, non ſignificat, ſponſam mane ſurrecturam mulierem, ut libidinoſiſſimi ſuſpicantur, ſed tantum laudat ejus formam, ut clarius patet ex ſequentibus, ubi eam comparat hyacintho, quam φρύνιν vice verſa tranſtulit in rem ſuam Petrarca ibi, *Non vide un ſimil par d'amanti il Sole,*
alibi; *Né lacrime ſi belle*
Da ſi begli occhi uſcir non vide il Sole.

161 *Prodeas &c.* Optima eſt Scaligeri lectio, *nupta, ſis* pro *ſi vis* particula hortantis, comicis, &
oratoribus etiam cariſſima. In MSS enim erat *ſi*, unde Voſſius *ſi* legebat ridicule. Leges etiam
163 contra libros excuſſos, ut monuit Achilles, *vide ut faces &c.* In MSS enim erat *viden' ut faces*;
Τὸ *ut* enim nullo omittendum pacto, ita alibi, *viden', ut perniciter exſilvere?* alio loco, *viden'*,
164 *ut faces ſplendidas quatiunt comas?* rurſum, *Aſpice, imus ut adcubans Vir tuus &c.* *Aureas* autem dixit, quia flamma eſt auro ſimilis, hinc Bion in Bucolicis allatus ab Achille χρύσεον φάος, *lumen aureum.*

166 *Non tuus* &c. Promittit ſponſæ virum fidelem, non adulterum. *Deditus* autem *in mala adultera*
167 dictum ἀρχαϊκῶς pro *in malam adulteram*, de quo mone lexicographos; Lucr: *Et ſimul in pu-*
168 *gna ſtudio quod dedita mens eſt.* Lego vero, ut eſt diſertim in libro noſtro, & in illo Scaligeri, & in omnibus MSS, quos vidit Achilles, *procatur pia perſequens* inter παρένθεσιν. Nihil enim rectius ſcribi poteſt, ut ſenſus ſit, *non tuus vir a tuis volet ſecubare papillis, nam procatur pia perſequens, h. e. immo te poſcit in matrimonium, quod facere pium eſt.* *Pia* porro h. e. religioſa, religioſus autem, qui in deum affectus eſt. Deos enim veretur, qui, ſpretis concubinis, & meretricibus, ſibi aliquam matrimonio conjungit. Neque obſtat, quod rumpatur ordo ſententiæ; nam poeta ita ſolet, & ibi, *Quæ ſeni tibi ſerviet*, deinde in altera ſtropha, *Uſque dum* &c. præſertim cum jam clauſerit feliciſſime ſtropham hoc pacto, *ſecubare papillis.* Nihil igitur dico de lectionibus fictitiis, & inſulſis criticorum, quorum alii legunt contra libros ſcriptos *probra*, quæ ſecutus eſt Vulpius, alii *proca turpia*, quæ explicari nullo pacto poſſunt; Si enim explicas *viroſa*, una cum Scaligero ridendum merito te præbes Marcilio doctiſſimo, immo riſu rictum diducis auditorum.

171 *Lenta* &c. Comparat maritum viti. Ut enim ea ſe ſe ad arbores applicat, ita Manlius in Juniæ complexum. Arbores enim vitibus amicæ ſunt, præcipue ulmi, populique. Virg. *Vitis ut arboribus decori eſt*; alibi, *Ulmiſque adjungere vites conveniat.* Hor: *Vitium propagine maritat populos.* Leges autem cum Scaligero recte *lenta qui*, non *quin* ſpurium. In Codice enim Gallicano *quei*, pro *qui*, ut animadvertit idem vir doctus. *Lenta* vero h. e. flexibilis, non quæ vincit, & implicat, ut docet Vulpius, itaq. intelligendus Plautus. *nimis lenta vincula*, & Horatius *lentis adhærens brachiis.*

176 *O beata* &c. Feneſtram, quæ erat in omnibus libris, claudit tandem noſter Codex, ut ſuavius critici dormire poſſint; Ita enim in meo ſtrophen legebam,

O .... neceat ...... nec.
O cubile quot omnibus,
Candido pede lectulis.
Sed moraris, die,

qua Codicis medicina ita ad ſanitatem reſtituo locum,

O beata, nec atra nox!
O Cubile, quot omnibus
Caudido pede lectulis!
Sed moraris, abit dies,
Prodeas, nova nupta,

Vocat enim beatam noctem, quæ non erit atra, ut ſolent eſſe cæteræ noctes, ſed quodammodo candida, ut apud Propertium, qui equidem certe huc reſpexit, cum ait, *O me felicem, o nox mihi candida, & o tu — Lectule deliciis facte beate meis.* L. de M. *O veramente felice, e beata Notte, che a tanto ben fuſti preſente*; alio loco, *O cieche ombre, che aveſte, Di chiariſſima luce privi-*
177 *legio.* Leges autem *quot omnibus lectulis*. In MSS enim omnibus Achille, Scaligero, & Marcilio teſte, *quod omnibus*, & in libro Guarini allato ab eodem Achille *candido pede lectulis*, non *lecti* vel *lectis*, vel *leti*, ut vitioſe habebant quidam libri ſcripti, quod vitium natum eſt ex loci corruptione. Ad Τὸ *quot* vero ſubaudi *gaudia*, & ſenſus erit, *quot gaudia veniunt lectulis, quæ, & quanta hero tuo &c.* Rumpit enim de induſtria poeta ordinem ſententiæ, ut locum lætitiæ det, deducatque citius ſponſos ad lectulos, & gaudia iliis verbis, *ſed moraris* &c. Solet enim rumpere & alio loco, *Quæ tibi ſeni ſerviet, -- Vſque dum* &c. Dicit vero *omnibus lectulis*, quia in cubiculo, vel aula erant plures lecti, quorum princeps genialis, Hor: *Lectus genialis in aula eſt*, quem appellat inter cæteros poeta, cum ait, *o cubile*; hinc alio loco, *Aſpice vir tuus tyrio in toro*, ub. erat Manlius; deinde *jam cubile adeant viri.* Erat hic lectus genialis; porro *Jam licet venias marite, Vxor in thalamo eſt tibi*: Viden', quot lecti, lectulique erant in cubiculo, vel aula? *Candido*
178 tandem *pede*, vel quia erat felix, (candida enim felicia ſunt) vel eburneus, aut argenteus, hinc Clem. Alex. κλῖναι &c. *lectuli argentipides, & eborati.*

181 *Qua*

181 *Quæ tuo* &c. *Tò tuo* refertur ad cubile, ut intelligere poſſimus; lectionem noſtri Codicis opti-
mam eſſe, ſententiam dedita opera interruptam, & *Tò quot* ſuperius ſpectare ad ſtrophen hanc
h. e. *quot, quæ, quanta gaudia* &c. Hor: *O qui complexus, & gaudia quanta fuerunt!* Vocat au-
182 tem vagam noctem, quia nox vagatur curru ſuo, ut recte notavit Achilles ex Tibullo, *Jam nox*
jungit equos; & ex Ennio, & aliis. Dicit vero *media die*, quia poſt prandium veteres ad ami-
cam convolabant, hinc meridiari eſt Venerem exercere; poeta, *Jube ad te veniam meridiatum*.
184 Perſ. *Poſt prandium Challirohen do*. Ovid. *Proveniant medii ſic mihi ſæpe dies*. Leges tandem *gau-*
deat jubente vet. ſcriptura.
186 *Tollite* &c: Deſcribit virginem domo egredientem una cum quinque pueris facem ferentibus, ex
quibus unus præferebat facem illam nuptialem, de qua Feſtus, *Rapi ſolet fax, qua prælucente no-*
va nupta deducta eſt ab utriuſque amicis, ne aut uxor eam ſub lecto viri ea nocte ponat, aut vir in
ſepulcro comburendam curet, quo utroque mors propinqua alteratrius captari putabatur. *Tollite* autem
non eſt pro compoſito *attollite*, ut credit Vulpius. Tollere enim eſt elevare, poeta, *manuſque*
187 *tollens* Cic. *Optavit, ut in currum tolleretur, ſublatus eſt*. Leges vero audacter *flammeum video*
venire. Ita enim omnibus erat in MSS, Achille, & Scaligero teſte; quæ ſolito corruptores pili
189 fecerunt legentes *videor venire*, vel *videor videre* adulterina. Leges etiam contra omnes doctos,
ut habent ſemper membranæ. Achille teſte, *Io Hymen Hymenæe Io, Io Hymen Hymenæe io*, ubi
triumphat συναλοιφῆ.
191 *Nec diu taceat* &c. Hic incipit carmen feſcenninum dictum, vel ab urbe Feſcennia, vel a faſcino,
ut ait Feſtus, in quo ſponſi vitia præterita enumerabantur; Sen: *Feſta dicax fundat convitia Fe-*
ſcenninus; Ovidius, *Inde joci veteres, obſcenaque verba canuntur*, quæ quidem canebantur a pue-
ris, ut videre eſt ex poeta noſtro, *Tollite, o pueri, faces, concinite in modum* &c. & ex Feſto, *Nu-*
bentibus a multitudine puerorum obſcena clamabantur. *Nec nuces* autem dicit, quia Concubinus o-
lim ſponſo carus nuces projiciebat, ut omnes intelligerent, ſponſum nucibus h. e. rebus puerili-
bus relictis ad graviora deſcendiſſe, quin Feſtus ait, *nuces ſpargi, ut nova nupta intranti domum*
mariti ſecundum auſpicium fieret, & trepudium ſoliſtimum. Non enim audiendi ſunt Servius, &
Muretus ex interprete Callimachi, qui putant, nuces proici, ne vox puellæ virginitatem in lecto
deponentis audiretur, quod puerile eſt, & nuce dignum. Nuces enim proiiciebantur, antequam
ſponſa in lecto collocabatur, ut patet ex poeta noſtro, *Jam licet venias marite* &c. & ex Virgilio,
Sparge marite nuces.
196 *Da nuces* &c. Invitat concubinum ad nuces projiciendas. Satis enim diu ſponſus luſerat nucibus h. e.
puerilia ſectatus fuerat. Nuces enim pro rebus puerilibus uſurpantur. Hor: *Sapere eſt abjectis utile*
nugis. Paſſeratius tamen, (o paſſeres libidinoſos!) *Tò nucibus* teſticulos Manlii interpretatus eſt,
quibuscum concubinus luſerat jam, pædicatuſque fuerat, quam interpretationem curioſioribus re-
199 linquo. *Servire* autem *Talaſſio* eſt in matrimonium incumbere. Talaſſius enim apud Romanos eſt
Hymenæus apud græcos, cujus nominis originem tradit T. Livius, *Unam a globo Talaſſii cujuſdam*
raptam ferunt, multiſque ſciſcitantibus, cuinam eam ferrent, identidem, ne quis violaret, Talaſſio
ferri clamitatum, inde nuptialem hanc vocem factam.
201 *Sordebant* &c. Lego hunc quoque vitioſiſſimum locum a libro noſtro ſanatum reſtitutumque hoc
pacto, *Sordebant tibi villuli*, diminutivum a *villus*, quo Catullus tantopere delectatur, deque quo
mone lexicographos, ut hanc vocem Catullianam in lexico reponant. Sordere enim dicitur
de pilis; Mart: *Nulla ſordent lanugine vultus*. præſertim cum jam hic agatur, de ore tondendo,
deque Cinerario, ut ſenſus ſit, *ſordebant tibi villuli hodie, atque heri* h. e. *nuper capiſti emittere*
villulos, & pilos ex ore, o Concubine; *en Cinerarius tondet os tuum &c.* hæc enim dicit poeta, ut
libentius avertat maritum a concubino inerte, ac pene viro, qui ejus amore non amplius dignus
eſſe videretur, hinc diſtichon illud, *Sum puer exclamas, Corydon, ſubigiſque fateri--In te reclamat ſed*
tua barba, vires. Quod ſi legas cum Achille *ſordebant tibi villicæ*, non vides, quanta verſaris in
ineptia? Nam cur hodie, atque heri ſpernebat villicas concubinus, qui jam emiſerat barbam? im-
mo contra. Nam ſordere debebant, cum imberbis erat. Tunc enim cinædi ſunt ambiſiotiores. præ-
terea, quæſo, villicas ſpernere, cujuſcumque hominis puſilli eſt. Ridicula igitur objectio poetæ,
quod ſperneret villicas concubinus. Venio ad inſulſiorem Scaligeri & Voſſii lectionem, quam ſe-
cutus eſt Vulpius, *Sordebam tibi villice*. Primo enim diſcedunt a MSS, in quibus erat *ſordebant*.
deinde inducunt loquentem Manlium, qui ne hiſcit quidem, contra poetæ mentem, & ſenſum
ipſum, & ordinem carminis feſcinnini, quod a puero chorago vel a pueris jacitur, ut ait Feſtus.
Si enim hic, & nunc convicia in Manlium jacit feſcennina licentia, delirium eſt, Manlium lo-
202 quentem inducere. *Hodie* autem atque *heri* h. e. nuper, proverbium græcorum χθὲς καὶ πρώην, ut
vidit etiam Scaliger, quod mutare, ineptire eſt. *Nunc tuum* vero cum dicit, probat, concubi-
num villulos emiſiſſe. tondebatur enim a cinerario. *Os* autem ſunt malæ contra Paſſeratium, quem
Dii falſum ob conſilium malo donent tonſore. In malis enim pili ſuboriuntur, quos cinerarius
h. e. ciniflo tondebat. Virgilius *Barbam, incanaque membra tondent*. Cic: *Tondebant barbam pa-*
204 *tris*. Miſerum tandem vocat concubinum, tum quia ſpernebatur a Manlio ob pilos ab ore emiſſos,
tum quia ipſe relinquere debebat Manlium, quem amabat. Plaut: *Ut miſer eſt homo, qui amat*.
206 *Diceres &c.* Nunc Feſcenninus ſe convertit ad Manlium, quem proſcindit. Vocat enim unguen-
tatum, h. e. effeminatum, & cinædis, puelliſque deditum. Plaut: *Mœchum unguentatum*; Cic:
Conſul unguentis affluens. Leges autem, ut habent omnes libri ſcripti Scaligero, & Achille teſte,
diceres, quod inique critici repudiarunt pro *diceris* interpolatum, quod Vulpius ſecutus eſt. *Di-*
ceres enim *male* idem eſt, ac diceres nequiter, falſum, vel falſo, nam adhuc incumbebat in concu-
binum, ut ſenſus ſit, *Diceres fortaſſe mihi, te abſtinere a glabris cinædis*; *male ajo* h. e. *falſa dicis*
ſed tamen Abſtine Manlii &c. te vero in *marite* abſorbetur a vocali ſequentis verſiculi.
211 *Scimus &c.* Accipit feſcenninus ἀπολογίαν quandam tacitam Manlii, qui excuſat præteritos ſuos
amores licitos in pueros, puellulaſque. Leges autem cum membranis repudiatis injuria ab Scali-
gero, & Achille, quos ſecutus eſt Vulpius, *Scimus, hæc tibi, quæ licent ſola, cognita*. Sola enim
ea licent, quæ legibus permittebantur, nempe amare cinædos, pueroſq. non liberos, quibus tan-
tum tenebatur Manlius, ut qui probe ea cognita haberet, non autem nuptas, non virgines, non
pue-

pueros liberos ſectabatur, quod lege vetitum erat; τὸ enim *ſola* dictum eſt ἀμφανδόν, non enim le-
gas inepte *ſoli*, quaſi vero ſolus Manlius recta cognoſceret; multo minus *quæ licent*, ne temere facias
adverbium τὸ *eadem*, & aberres a libris ſcriptis.

216 *Nupta &c.* Sermo eſt ad Juniam, quam monet, ut det Manlio, quæ petet, quod natura, & leges ſinunt.
Non enim audiendi ſunt, qui rem turpem hic latere putant. Non enim poeta hortaretur ſponſam ad ea,
218 quæ ſunt contra leges, quibus cordi eſt filiorum generatio, præterquamquod nullum eſt verbum, un-
de malitioſa colligi poſſint. *Ne petitum* autem h. e. ne Manlius aliunde petat concubitum, & alias
roget puellas; poeta, *Ut quærendum*, unde foret nervoſius illud -- *Quod poſſet zonam ſolvere virgi-
neam.*

221 *En tibi domus &c.* Jam ventum erat ad ædes Manlii, quæ quaſi digito ſponſæ oſtenduntur. Leges autem
223 cum MSS *ut potens*, non *& potens* fictitium. Lego etiam recte contra doctos, ut erat in Maffei
libro, & etiam in aliis, *quæ tibi*, *ſine*, *ſerviet* h. e. permitte, ſine, perge æquo animo, non *ſene*
pro *ſeni* male cum Scaligero, vel *ſeni tibi* pejus cum Achille, vel *tibicine* peſſime cum Voſſio,
quem ſecutus eſt Vulpius, quaſi vero domus Manlii fulta fuerit ligno uno, lectionem ſane, ut
minimum dicam, utroque pede claudicantem, nulloque tibicine fultam. Neque facias παρένθεσιν
cum eodem Vulpio ad ἐπιφώνημα *Io Hymen Hymenæe io*. Nam poeta ſolet & aliis locis ad leporem
interrumpere ordinem ſtrophæ.

226 *Uſque dum &c.* Deſcribit venuſte ſenectutem a vitio capitis, in quod omnes incurrunt. Senes
enim movendo tremulum tempus, h. e. caput, omnibus annuere videntur. Leges autem, ut ha-
bet deſertim noſter liber *anilitas*, quanquam in aliis *anilis ætas* vitioſum, hinc Iſidorus *Ut a ſene
ſenectus, ita ab anu anilitas nominata eſt*. τὸ *annuit* vero non eſt conjunctivi modi, ut putat Sca-
liger, ſed indicativi Ter. *Dum, quod te dignum eſt, facis.*

231 *Transfer &c.* Ingreditur ſponſa mariti domum pedibus aureolis h. e. vel auro ornatis, vel pulcris.
Pulcra enim aurea vocantur. Virg. *At venus aurea contra.* Limen autem non tangebatur pedi-
bus ſponſæ. A ſacrilegio enim incohaſſet, ſi depoſitura virginitatem calcaſſet limen; Plaut. *Sen-
ſim ſuper attolle limen pedes, nova nupta.* Limen enim erat ſacrum non ſolum Veſtæ, ſed & aliis
diis, hinc Limentinus deus, qui præerat limini; quare Plautus *ſalve lumen, & vale.* Porro *omine cum
bono* dictum οἰωνιστικῶς. Heſiod. σὺν οἰωνοῖς ἀγαθοῖσιν *cum bonis avibus*, vel *omnibus*.

236 *Adſpice &c.* In uno MSS Achillis, & etiam in noſtro *imus* (nam *intus* in nullo,) in aliis *unus*,
vel *unius* vitioſæ lectiones Voſſi, quem Vulpius ſecutus eſt, quia niſi inſulſe explicari non poſſunt,
e contra *imus* egregium eſt, quod habet etiam peroptimus liber ſcriptus Scaligeri, qui tamen
id explicat male. Imus enim erat Manlius non in interiore lecti ſponda (nam ſponſa prior collocaba-
tur, hinc ad maritum infra, *perge, nec remorare*) ſed in toro tyrio, qui erat in ima parte cubiculi,
vel aulæ, hinc Hor: *imus faber* nempe in interiore angulo fori, ut explicat recte idem Scaliger
contra ſeſe. In cubiculo enim, vel aula erant plures lecti, ut vidimus ſupra, ibi, O *cubile, quot
omnibus -- Candido pede lectulis*! & apud Hom. Τηλέμαχος &c. *Telemacus ubi ipſi thalamus perpulchra aula --
Sublimis ædificatus erat perſpicuo in loco -- Illud ivit ad lectum.* Ex quo Homerico elucet poeta noſter.
Imus enim Manlius totus imminebat ſponſæ, quia erat in toro poſito in interiore aulæ parte, in loco per-
ſpicuo, & excelſo, unde porro ad lectum convolabatur.

241 *Illi &c.* Divulgat conjugum amorem, ut facilius invicem invitentur. Leges autem, ut poſtulant
libri ſcripti omnes Achillis, Scaligerique, *Illi non minus, ac tibi*, ut, qui aliter legunt, facinus faciant.
243 τὸ *flamma uritur* vero eſt græcum, ut monuit optime Scaliger idem. Leges etiam & hic & alibi
244 ſemper, ut monuit Achilles ſuperius ex MSS omnibus, *Jo Hymen Hymenæ io* - *Io Hymen Hymenæe io*
contra omnes libros mendoſe excuſſos.

246 *Mitte &c.* Mittebat brachiolum puellæ puer prætextatus patrimus, & matrimus. Prætextam au-
tem ferebant romani uſque ad annos decem, & ſeptem Feſtus, *Patrimi, & Matrimi prætextati
tres nubentem deducunt; unus, qui facem præfert* h. e. *ſpina alba, quia noctu nubebant, duo, qui tenent
nubentem.* Leges vero *adeant* lectionem omnium MSS, non *adeat* commentum ſciolorum, & intelliges
ſponſam ſimul, & feminas, a quibus eadem ſponſa deducebatur, collocabaturq. in lecto viri, non quia
vir eſſet & ipſe in lecto, ſed quia cubile erat revera viri, h. e. in domo viri, en poeta, *Jam licet venias,
marite, - Uxor in thalamo eſt.*

251 *Vos Bonæ &c.* Et lectio, & ſenſus criticorum omnium, quos ſecutus eſt Vulpius, contra libros
ſcriptos eſt, mentemque poetæ, præſertim vero Guarini *binæ in ædibus unius*. In omnibus enim
MSS erat Achille, & Scaligero teſte *Vos bonæ ſenſibus unis - Cognitæ breve feminæ*, cujus optimæ
lectionis ne ſyllabam quidem muto; en ſenſus, *bonæ* h. e. feminæ pudicæ, & caſtæ, hinc Bona dea
dicta a pudicitia, de quo mone iterum tertio lexicographos; quare ait ſtatim poeta *ſenibus unè* non
viris epitheton inane ad explendum verſum fictum ab Achille, in quo laudatur pudicitia earum
bonarum feminarum, quæ contentæ ſunt, fueruntque viro uno, quod in femina magnum eſt,
poeta, *Etſi uno non eſt contenta Catullo* - Juv: *Potius oculo contenta ſit uno - Quam &c.* Quod ſi legas
viris, in qua laude feminas ponis? nulla. τὸ *Unis* igitur eſt ſpondæus loco dactyli, ut ſolet poeta
de induſtria & aliis in locis, ut ibi, *roſcido ſibi nutriunt humore*, præſertim ad carmen *Oramus,
ſi forte non moleſtum eſt*; *bus* vero in *ſenibus* longum gratia ceſuræ, ut apud Virgilium *Pectoribus
inhians ſpirantia conſulit exta*; alio loco, *Una, eademque via ſanguis, animuſque ſequuntur.*
252 Tandem dicit *breve* non *bene* ſpurium, quod ſecutus eſt Vulpius, quia momento ſenes conjugem
cognoſcunt. Sunt enim inertes, & Veneri inepti, ut ſupervacanea, & imbecilla ſit eruditio
253 Scaligeri, quod *brève* dicatur de præterito tempore, *brevi* de futuro. Poſtremo *conlocate* eſt abſolutum
pro eo, quod dicit Terentius *In lecto illam collocat*, de quo mone lexicographos.

256 *Jam licet* &c. Sponſa collocata invitat maritum, qui in ima parte aulæ in toro tyrio accubabat, ut ex
eo ad thalamum genialem deſcendat. Leges autem *tibi* non *ubi* vitioſum. *Floridulo* vero cum dicit,
laudat formam ſponſæ, cujus os comparat parthenio flores intus aureos, extra candidos habenti, &

papaveri; quod candidum eſt. Color enim in homine pulcro candidus eſſe debet purpureo mixtus,
qualis erat in puero, qui apparuit in ſomnis Tibullo, *Et color in niveo corpore purpureus*.
261 *At, marite* &c. Bona valetudo hujus, & ſequentis ſtrophæ Scaligero referenda eſt, qui ex corrupta
ſcriptura, quæ habebat *Ad maritum tamen juvenem - Cælites nihilominus pulcer res*, unde ſomnia
Turnebi, & ineptiæ cæterorum ortæ ſunt, egregie utrumque reſtituit locum, quemadmodum legis
265 apud nos. Poſtquam enim laudavit poeta Juniam, laudat & Manlium. Nota autem *remorare* abſo-
lutum pro ne *tardes*, & *moreris*, de quo mone lexicographos.
266 *Non diu* &c. Priſca ſcript. vitioſa eſt, quæ habet *remorata*, in eodem tamen ſenſu, ut ſupra. Lege
267 autem *venis*, non *Venus*. *Bona* vero *Venus*, quia bella, & pulcra Ter. *Forma ſorta ſe bona.*
269 Ibi porro *quod cupis capis* jocus eſt in verborum *παρονομασίᾳ* Catullo familiaris. *Bonum* tandem h. e.
caſtum, & pudicum in uxorem poeta *Vos bonæ cognitæ bene femina.*
271 *Ille pulveris* &c. Tollit ſuſpicionem magicam, ne poſſent malefici aliquid incommodi ſponſis affer-
re; quod ſi finit, ſubducant numerum, facit de induſtria. Numerum enim ſuum, ut arenarum,
invenire non poſſunt, Hor. *Te maris, & terræ, numeroque carentis arenæ*. Ne dubites autem de le-
ctione, quæ eſt in omnibus MSS Achille teſte, *pulveris eritei*, vel *ericei*, vitioſa quidem pro *erithei*,
quare alio loco *Idi* pro *Idri* in mel. Cod. hinc recte in noſtro libro, & in altero Scaligeri *erythrei*
pro *Ærythri*, *ei* pro *i*, ut alio loco *Lucei* pro *Luci*, *ludei* pro *Luci*, *ludei* pro *ludi* archaica ſcriptura
Plinius *Ab Ærythro mare orti*, prima producta, ut fecit Homerus loco ſuo. Arena enim maris
Erythræi nempe Rubri proverbio celebrata eſt, poeta alibi *Quam magnus numerus Libyſſæ arenæ -*
Lacerpiciferis jacet Cyrenis - aut quam ſidera multa, cum tacet nox, ex quo poetæ loco vera eſt le-
ctio *erythri*. Hic enim, ut ibi, ſermo eſt de lybiſſæ arenæ, & ſiderum numero. Cave enim legas
interim vel *ætheris* vel *anthei* commentitia omnia, & MSS inimica; multo minus cum Guarino, &
Voſſio, quos ſecutus eſt Vulpius, *pulvis* pro *pulveris*. In MSS enim omnibus eodem Achille, &
Scaligero teſtibus *pulveris*, non *pulvis* commentum inſulſum ingenioſorum, quod & a Lexicogra-
274 phis delendum eſt. Lego etiam contra doctos, quos ſecutus eſt Vulpius, *Qui voſtri numerare volt -*
multa milia ludi. Nam in omnibus membranis Achille teſte *Qui noſtri numerare volunt - mul-*
ta millia ludere, at in Gallicano allato ab Scaligero *ludei* pro *ludi* anticum, ut ſupra monui-
mus, ita eadem archaicha ſcriptura *noſtri* pro *voſtri*; ita & *volunt* pro *volt*, ut ſpuriæ ſint cæteræ
lectiones *veſtrum*, vel *veſtri*, & *vult*, & *mollia*, & *luſus*, & *luſuum*, quarum nihil eſt in MSS, *Mil-*
lia autem *ludi* latinum eſt contra Achillem, & Vulpium, Cic. *Tritici quinque millia*; ita dictum
276 recte *millia æris* docet doctiſſimus Scaliger. *Ludite* eſt in obſcenis; poeta, *Ludere hanc ſinit, ut*
lubet: *Nomen* autem idem ac genus, familiaque, Hor. *Nominis, & togæ oblitus*.
281 *Torquatus* &c. Liberos precatur Manlio Torquato, quod parentibus ſolet eſſe gratiſſimum. *Dulce*
284 *rideat*, quia dulce ridentes amamus Hor. *Dulce ridentem Lalagem amabo*. L. de M. *Se ſente le pa-*
285 *role, e il ſoave riſo*. Leges vero *ſemihiante* belle cum Scaligero contra Avantium corruptorem MSS,
quæ habebant, *ſed mihi ante*, Gellius *Dum ſemiulco baſio - meum puellum ſuavior*. Apul. *Semihian-*
tibus in conatu labellis eliquare.
286 *Sit ſuo* &c. Tacite laudat pudicitiam Juniæ, deinde eam aperte extollit, quam comparat Penelopæ,
quæ a procis tentata tempus impetravit, donec telam, quam præ manibus habebat, perficeret, &
hoc pacto ſpem, expectationemque Procorum in adventum conjugis Uliſſis fefellit, quocum jam
Telemachum procreaverat; Homerus &c. *Non ſane tibi ignobile in poſterum dederunt - Quoniam*
te talem peperit Penelope. Ovid. *Aſpicis, ut longo maneat laudabilis ævo - Nomen inextinctum Pene-*
lopea fides?
296 *Claudite* &c. Collocatis in lecto ſponſis, Virgines, quæ pronubas expectabant, oſtia claudebant, quæ
erant aperta, ut ſupra videre eſt, *Clauſtra pandite januæ*. Non enim putes cum Vulpio, haſce Vir-
297 gines eſſe muſas, ad quas poeta ſe convertat. Nam loquitur chorus, vel choragus idem, ut colligo
apertiſſime ex ſequentibus *at boni conjuges &c.* quod cum dicit, precatur, ut vivant beate, & ament,
299 amenturque. Vivere enim dicitur de vita in amoribus, poeta, *Vivamus, mea Lesbia*; Hor. *Vivas in*
300 *amore, jociſque*. *Valentem* vero h. e. ſanam & robuſtam, quod & hoc reſpicit ad turpicula; poeta,
Tamque valens, tamque venuſta ſoror. Plaut. *Ut valentula eſt?* *Exercete* tandem eſt in obſcenis, de
quo mone lexicographos; poeta, *Communes exerceremus amores*. Stat. *Exerce formam, & fugientibus*
utere donis. Svetonius allatus ab Achille *Adſiduitatem concubitus velut exercitationis genus Clinopalen*
vocabat.

Super alta vectus Atys celeri rate maria
Phrygium nemus citato cupide pede tetigit,
Adiitque opaca ſilvis redimita loca deæ,
Stimulatus ubi furenti rabie, vagus animi
Devolvit illa acuta ſibi pondera ſilice.
Itaque ut relicta ſenſit ſibi membra ſine viro,
Et jam recente terræ ſola ſanguine maculans,
Niveis citata cepit manibus leve tympanum,
Tympanum, tubam, Cybelle, tua, mater, initia,
Quatienſque terga tauri teneris cava digitis,
Canere hæc ſuis adorta eſt tremebunda comitibus.
Agite, ite ad alta, Gallæ, Cybeles nemora ſimul,
Simul ite, Dyndymenæ dominæ vaga pecora,
Alienaque, exules, ite pede loca celeri;
Sectam meam exſecutæ, duce me, mihi comites
Rapidum ſalum tuliſtis, truculentaque pelagi,
Et corpus eviraſtis Veneris nimio odio,
Hilarate excitatis erroribus animum,
Mora tarda mente cedat ſimul ite, ſequimini
Phrygiam ad domum, Cybelles Phrygia ad nemora deæ,
Ubi cymbalum ſonat vox, ubi tympana reboant,
Tibicem ubi canit Phryx curvo grave calamo,
Ubi capita Mænades vi jaciunt hederigeræ,
Ubi ſacra ſancta acutis ululatibus agitant,
Ubi ſuevit illa divæ volitare vaga cohors,
Quo nos decet citatis celebrare tripudiis.
Simul hæc comitibus Atys cecinit notha mulier,
Thyaſus repente linguis trepidantibus ululat,
Leve tympanum remugit, cava cymbala recrepant,
Viridem citus adit Idam properante pede chorus,
Furibunda ſimul, anhelans, vaga vadit, animi egens,
Comitata tympano Atys, per opaca nemora dux,
Veluti juvenca vitans onus indomita jugi.
Rapidæ ducem ſequuntur Gallæ pede propero.
Itaque ut domum Cybelles tetigere laſſulæ,
Nimio e labore ſomnum capiunt ſine Cerere.
Piger his labante languore oculos ſopor operit,
Abit in quiete molli rabidus furor animi.
Sed ubi oris aurei ſol radiantibus oculis
Luſtravit æthera album, ſola dura, mare ferum,
Pepulitque noctis umbras vegetis ſonipedibus,
Ibi ſomnus excitum Atyn fugiens citus abiit,

Trepidantem eum recepit dea Paſithea ſinu.
Ita de quiete molli rapida ſine rabie
Simul ipſe pectore Atys ſua facta recoluit,
Liquidaque mente vidit ſine queis, ubique foret,
Animo æſtuante rurſum reditum ad vada retulit,
Ibi maria vaſta viſens lacrimantibus oculis,
Patriam adlocuta voce eſt ita mæſtus miſeritus.
Patria, o mea creatrix, patria, o mea genetrix,
Ego quam, miſer, relinquens, dominos ut herifugæ
Famuli ſolent, ad Idæ tetuli nemora pedem,
Ut apud, miſer, ferarum gelida ſtabula forem,
Et earum omnia adirem furibunda latibula:
Ubinam, aut quibus locis te poſitam, patria, reat?
Cupit ipſa pupula ad te ſibi dirigere aciem,
Rabie fera carens dum breve tempus animus eſt.
Egone a mea remota hæc ferar in nemora domo,
Patria, bonis, amicis, genitoribus abero?
Abero foro, paleſtra, ſtadio, & gymnaſiis?
Miſer a miſer querendum eſt etiam, atque etiam anime.
Quod enim genus, figura eſt, ego quod non obierim?
Ego puber, ego adoleſcens, ego ephebus, ego puer,
Ego gymnaſii fui flos, ego eram decus olei,
Mihi januæ frequentes, mihi limina tepida,
Mihi floridis corollis redimita domus erat,
Linquendum ubi eſſet orto mihi ſole cubiculum.
Egone deum miniſtra, & Cybeles famula ferar?
Ego Mænas, ego mei pars, ego vir ſterilis ero?
Ego viridis algida Idæ neamica loca colam?
Ego vitam agam ſub altis Phrygiæ columinibus?
Jam jam dolet, quod egi, jam jamque pœnitet.
Roſeis ut huic labellis palans ſonitus abiit,
Ibi juncta juga reſolvens Cybele leonibus,
Geminas eorum ad auris nova nuncia referens,
Lævumque pecoris hoſtem ſtimulans, ita loquitur;
Agedum, inquit, age ferox, fac, hinc ut furoribus,
Fac, ut hinc furoris ictu reditum in nemora ferat,
Mea, liber a nimis, qui fugere imperia cupit;
Age, cæde terga cauda, tua verbera patere,
Face cuncta mugienti fremitu loca retonent,
Rutilam ferox toroſa cervice quate jubam.
Ait hæc minax Cybelle, religatque juga manu.
Ferus ipſe ſeſe adhortans rapidum incitat animum,
Vadit, fremit, refringit virgulta pede vago;
At ubi ultima albicantis loca litoris adiit,
Teneramque vidit Atyn prope marmora pelagi,

Fa-

88 Facit impetum, ille demens fugit in nemora fera,
89 Ibi ſemper omne vitæ ſpatium famula fuit.
90 Dea magna, dea Cybelle, dea domina Dindymi,
91 Procul a mea tuus ſit furor omnis, hera, domo,
92 Alios age incitatos, alios age rabidos.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Super alta &c.* Verſus eſt Galliambus dictus a Gallis ſacerdotibus Cybeles conſtans ſex pedibus anapæſto, duobus jambis, duobus dactylis, & anapæſto, prima tamen ſede ſpondeum, creticum, & proceleuſmaticum, itemque ſecunda tribracum, jambum, anapæſtum, & dactylum, quarta tribracum, ſpondæum, quinta tribracum, & trochæum, ſexta creticum, & tribracum aliquando recipiens, in quo poeta narrat, Attyn adoleſcentem nemus Cybeles adiiſſe, ibique in furorem verſum, reciſis ſibi teſticulis, ejuſdem deæ domum petiiſſe, ſomnoq. capto mentis compotem factum patriam in litore allocutum, & a leone rurſum in nemus fugatum omne vitæ ſpatium in ejus deæ Cybeles ſervitio conſumpſiſſe. Noto autem contra eruditos, fabellam de Atti, quam narrat Catullus, ne tranſverſum unguem diſcedere ab opinione cæterorum veterum Scriptorum, Hiſtoricorumque, qui, ſi ſeorſim conſiderantur, partem tantum fabulæ enarrant, ſi conjunctim, tota fabella cognoſcitur en Diodorus, *Cybele amavit juvenem Attim, ex eoque gravida facta eſt, quo flagitio cognito, Cybele ex Attis deſiderio inſanivit, domoque paterna egreſſa cum fiſtula, & tympano regionem totam peragravit*; Ecce alii, *Cybele autem abdidit ſeſe in nemus phrygium ad montem Idam, præciperatque prius juveni, ne cum muliere ſe ulla unquam commiſceret. Sed Attis, præcepto deæ ſpreto, Nympham Sangaridem adamavit*; Catullus vero, *Itaque Attis tactus iterum Cybeles amore navigavit in Phrygiam, ubi erat Cybele, ibique in furorem verſus eſt pœna perfidiæ, viriliaque ſibi ademit; porro domum Cybeles petiit, & ſomno capto furore liberatus fuit. Interim ad litus rediit, & Patriam allocutus eſt, at a leone rurſum in nemus fugatus omne vitæ ſpatium fuit deæ famulus, & ſacerdos*; denique Ovidius, *Tandem cum Attis amaviſſet aliam Nympham, a Cybele irata in pinum commutatus eſt*, Pauſaniam tamen excipio, qui non fabulam dictat, ſed verum, cum ait, ſub monte Agdiſtæ Attim ſepultum fuiſſe. Venio vero ad iniquos illos, qui pennis Catullianis alterum veſtiunt aſcribentes hoc carmen Cæcilio ex conjectura verſiculi poetæ noſtri, *Magna a Cæcilio inchoata mater*. Nam, præterquamquod Cæcilius de Cybele locutus eſt, non de Atti, de quo loquitur Catullus in hoc carmine, & Φρύγις eſt Catulliana, & Feſtus fatetur, qui in verbo *rabidus*, de quo poeta hic noſter, *Alios age rabidos*; & ſupra, *rabidus furor animi*, adduxit Catulli verſum, cujus ſupereſt tantum veſtigium *Catullu* ...... & Atilius vetus grammaticus teſtis eſt, cujus verba, *Catullus Phrygium nemus citato cupide pede tetigit*, & Terentianus, *ſervaſſe, quæ Catullum probat ipſe tibi liber, ſuper alta vectus &c. Celeri* autem perpetuum navis ἐπίθετον; Hom: θοῆς ἐπὶ νηός, *celeri in navi*; alio loco ἐπὶ νῆα θοὴν, *ad navem celerem*; poeta, *Celeri cum claſſe tuetur*.

4 *Stimulatus &c.* In omnibus MSS Achille teſte *Stimulatus ubi*, non *ut* commentum Terentiani. *Vagus* autem animi ob furorem; Cic: *Non enim ſumus ii, quorum vagetur animus errore*.

5 *Devolvit &c.* Optima eſt Scaligeri lectio *illa* ex MSS, quæ habebant *illactes*, vel *lactes*, vel *illa-*
ctas vitioſa, *illa* enim dictum eſt ἐμφατικῶς, præſertim cum quid obſcenum deſignatur; poe-
ta, *Ibi illa multa tam jocoſa fiebant*. Leges etiam *acuta*, non *acuto*. Virg. *Stabat acuta ſilex præ-*
ciſis undique ramis. Non enim ſamia teſta teſticulos ſibi ademit, qua uſi tamen ſunt porro ſacer-
6 dotes, ut hebemus ex Plinio, *Samia teſta matris deum ſacerdotes virilitatem amputant. Sine viro*
7 h. e. ſine virilitate; Plaut: *Caſtrabo viros*. Nota autem τὸ *terræ ſola*, ut apud Cic: *Vos mutæ regio-*
8 *nes imploro, & ſola terrarum ultimarum*: Leges vero contra Scaligerum, cæteroſque *tympanum* utro-
que loco cum liquida, ut eſt liquide in MSS, non *typanum*: nam in ſexta ſede recipitur creticus,
itemque in prima, ut ibi, *tetigere laſſulæ*; alibi, *Fac ut hinc furoris ictu reditum in nemora fe-*
rat. *Tubam*, quia in ſacris Cybeles ſacerdotes ea uterentur, quod contra doctos dico, quos ſecutus eſt
Vulpius, negantes, tubam ſacerdotum Cybeles fuiſſe; audi Ovidium de ſacris Cybeles loquentem,
Concavaque æra ſonant; alio loco, *Quærere multa libet, ſed me ſonus æris acuti -- Terret*. Tuba enim
fit, fiebatque ex ære, argento, aliave materia, præterquamquod accipi poteſt pro tibia, vel cor-
nu, vel pro eo, quod tubum habet. In ſacris igitur Cybeles ſacerdotes habebant ῥόμβον, cym-
balum, tubam, tibiam, cornu, crotalum, tympanum, quod erat modo ex pelle boum, modo
aſinina. Phædr.

ibi *Galli Cybeles circum in quæſtus ducere*
Aſinum ſolebant bajulantem ſarcinas,
Is, quum labore, & plagis eſſet mortuus,
Detracta pelle ſibi fecerunt tympana.

poeta, *Quatienſque terga tauri cava digitis*.
Tympana enim palmis quatiebant, pulſabantq; Ovid. *impulſaque tympana palmis*.

12 *Gallæ* Sacerdotes Cybeles, quia ſine virilitate, ita Virgilius, *O vere Phrygiæ, neque enim Phry-*
13 *ges*. Repetit autem *ite*, puto, ex Euripide, ἴτε &c. quod multo ante vidit & doctiſſimus Achilles.
Vaga vero *pecora*, quia ducem ſequebantur Atyn, ut ſolent pecora: poeta, *Rapide ducem ſequuntur Gallæ*. Cic: *Idem, quod pecudes, quæ diſpulſæ ſui generis ſequuntur greges*. Non enim eſt audiendus Muretus, & Voſſius, quos ſecutus eſt Vulpius, qui falſo putant, *pecora* dici, quia tanquam jumenta ſellam Cybeles geſtare ſolerent. In gallo enim amne biberunt viri docti.

14 *Aliena &c.* Verſus legitur in excuſſis, quos Vulpius ſecutus eſt, prave ſine integro verbo *celeri*, quod legitur in omnibus libris ſcriptis, præterquam quod *exules loca* ſtare non poſſunt ultimo loco; anapæſtus enim deſideratur, ut monent MSS, quæ ita concepta ſunt, *Alienaque petentes ve-*

lut

lut exules loca celeri, & in noſtro deeſt *velut* rectius, quemadmodum ſupra, *vaga pecora*, unde
ita lego, *Alienaque, exules, ite pede loca celeri*. *Quæ* enim, quod legebatur, ſpurium eſt; nam
in omnibus *alienaque*, & *expetentes* facio *ite pede*, ut ſenſus ſit, *ſimul ite ad nemora*, *alienaque*
loca, ite, inquam, pede celeri.
15 *Sectam* &c. Senſus eſt, *Vos jam, quæ executa eſtis ſectam meam, ſalum tuliſtis* &c. ita Teucer apud
16 Horatium, *Nil deſperandum Teucro duce -- O fortes, pejoraque paſſi*! Leges autem *pelagi*, ut erat
diſertim in MSS. poeta, *Nec patet egreſſus pelagi*. alio loco, *Unde aciem in pelagi vaſtos &c.* alibi
prope marmora pelagi. Inflexio enim græca legentium *pelage* ridicula ingenii oſtentatio eſt.
17 *Veneris odio*, quia Venus eviratos odit, vel qui evirant ſeſe, Venerem odere. Leges vero *excita-*
tis ſpreta ſinalæphe, ut erat in duobus MSS Achillis, ut intelligant homines, lectionem *hero*,
vel *hera citatis*, quam Vulpius ſecutus eſt, non ſolum vitioſam eſſe, ſed etiam ineptam; nam cur
hero, vel *hera*? an Attis egebat hilaritate? minime; Nam ſuperius ait poeta, *Niveis citata cepit*
leve tympanum, Tympanum, tubam &c. præterquam quod τὸ *citatis* durum, & invenuſtum eſt.
Errores enim excitantur in animo, non citantur.
21 *Ubi cymbalum* &c. Lectio MSS *vox*, non *nox*. Virg: *Neque vox hominem ſonat*. *Reboant* autem recte,
23 quia tympana facta erant ex pelle tauri, cujus boare proprium eſt. *Mænades* vero a μαίνομαι in-
24 *ſanio*. *Agitant* porro h. e. celebrant. Virg: *Ipſe dies agitat feſtos*. Leges etiam cum Scaligero *cele-*
26 *brate*, ut erat in ejus libro, & noſtro, & aliis. Celebrare enim eſt feſtinare: Plaut: *Hac cito cele-*
brate, ne quæ mora ſit. Attius, *Celebri gradu greſſum acceleraviſſe addecet*: *Citatis* tandem *tripudiis*
27 h. e. velocibus ſaltationibus. T. Liv: *Cum tripudiis, ſolemnique ſaltu*. Leges etiam *notha mulier*,
ut fidem facit omnis vetus ſcrip. Achille teſte, excepto libro Scaligeri, qui habebat *nova* vitio-
ſum, & improprium. Nam Atys non erat vere mulier, ſed ſemivir, hinc ait infra, *Ego vir ſteri-*
lis ero. poeta alio loco, *Notho eſt dicta lumine luna*.
28 *Thyaſus* ab ἀπὸ τοῦ θύειν *ſacrificare*, eſtque chorus comitum ipſe; poeta, *Cum Thyaſo ſatyrorum*.
Sacra enim Bacchi apud græcos erant eadem Cybeles apud Phrygas, ut ait Strabo. Porro *trepidan-*
31 *tibus* h. e. celeriter ſe moventibus a τρέπω *verto*. Leges autem *animi egens*, non *animo*. Nam in
33 MSS *animi geris*. Plaut: *egentes opum*; Hor: *Deliciarum egens*. deinde *Vitans onus* recte; Cic: *Quod*
34 *feci, non vitandi oneris cauſa*. Leges autem *pede propero*, ut diſertim in membranis, non *properipe-*
36 *dem* cum Voſſio, quem ſecutus eſt Vulpius. *Sine cerere* vero h. e. ſine cibo: Ter: *Sine Cerere, &*
37 *Baccho friget Venus*. Leges etiam, ut erat in Maffei libro, & Patavino *labante* h. e. defficiente.
Nam quo magis deficit languor h. e. quo ſomnus languidior eſt, eo citius, & ſuavius oculos clau-
dimus, dormimuſque. Hom: ἐν ὄμμασι &c. *In oculis ſomnus inſedit*. Ter: *ſomnum oculis non vidi*
meis. Non enim legas *labantes* cum Vulpio fruſtra ex Propertio, qui non valet contra MSS; mul-
to minus *labente*, vel *labori nantes oculos* cum Avantio, qui ſemper naufragium paſſus eſt volens
ſine codice, & cortice nare.
39 *Sed ubi &c.* In MSS *horis aureis*, quod ſtare in verſu non poteſt, in aliis *oris aureis*, unde docti
optime, *oris aurei*. Virg. *ſol aureus undis*. *Extulit os*, aureus dictus, quia flammæ ſimilis; poeta,
aureas quatiunt comas. Pindarus χρυσὸν &c. *aurum ardens ignis velut*. Non enim legas *ortus au-*
40 *reus* cum Avantio contra Codices. *Mare* autem *ferum* perpetuum maris ἐπίθετον; Hom. Ἀλὸς &c.
maris indomiti regis. Virg. *mea rura, mare ferum*; hinc Neptunum crudelem facit idem Homerus
41 θεοὶ &c. *Dii autem miſerabantur omnes præter Neptunum*. *Sonipedibus* vero ſcilicet equis. Virg. *Stat*
ſonipes, & frana ſpumantia mandit.
42 *Ibi ſomnus &c.* Ita Ennius, *Vix me ſomnus reliquit*. Porro *trepidantem* h. e. feſtinantem. Virg. *Dum*
43 *trepidant alæ, ſaltuſque indagine cingunt*. Leges autem *recepit*, non cum Vulpio *excepit* contra
MSS. *Paſithea* tandem ſomni uxor, una Gratiarum, dicta & Eufroſina, quæ mane ſomnum mari-
tum ab hominibus diſcedentem in ſinu recipit. Hom. ἐγὼ &c. *Ego tibi gratiarum unam junio-*
rem -- Dabo ducere uxorem, & tuam vocari conjugem Paſitheam. Solebant autem veteres, quæ ſom-
niabant, mone Soli, Veſtæ, Diiſque narrare, ne quid mali ex ſomnio eveniret. Prop. *Ibat nar-*
44 *ratum ſomnia Veſtæ, -- Neu ſibi, neve mihi, quæ nocitura, ferant*. Leges autem *rapida ſine rabie*.
Ita enim in MSS, non *rabida*; infra poeta, *rabie fera*; & ſupra *furenti rabie*, quia rabies facit
45 homines feros, furentes, rapidos, & concitatos. Leges etiam, ut habebat omnis vet. ſcrip. Achil-
le teſte, *ſimul ipſe*, non *ipſa* fictitium, ita ſupra *excitum Attim*, deinde *trepidantem eum &c.* Le-
ges & *recoluit*, non *revoluit*, ut erat vitioſum in Patavino. Cic: *Quæ ſi tecum ipſe recolis*; deinde
46 *liquida* h. e. tranquilla, & ſine furore. Plaut: *Animo liquido eſt, & tranquillo*. Porro *ſine queis*
nempe teſticulis. Tacet enim fere ſemper poeta, quod pudor nominare non ſinit, ita alibi, *illa*
pondera; alio loco, *nervoſius illud*, & Plaut: *ſapit veſte id, qui eſtis*. Non enim amicos etiam, &
47 parentes intelligit, ut credit Vulpius. Leges vero *rurſum*, non *rurſus*; In membranis enim *uſum*
vel *ruſum* ἀρχαϊκῶς pro *rurſum*. Leges etiam *retulit*, ut erat in omnibus MSS Achille teſte, &
48 etiam in noſtro, non *tetulit* commentum, quod Vulpius ſecutus eſt. Leges & *ibi maria* non *ubi*,
quod in nullo legitur libro ſcripto.
49 *Patriam* &c. Locus inquinatiſſimus excuſſorum omnium, quos Vulpius ſecutus eſt. Nam in MSS.
omnibus Achille, & Scaligero teſte *Patriam adlocuta eſt ita voce miſeritus majeſtas*, & in Patavi-
no *miſertus majeſtas*, & rectius in noſtro, *Patriam adlocuta voce eſt ita majeſtas miſeritus*, unde
ego ita reſtituo locum, *Patriam adlocuta voce eſt ita mæſtus miſeritus*. Mutat enim genus poeta ad
libitum vel in uno, eodemque verſiculo ad leporem. Attis enim neque vere femina erat, neque vir,
quare optime *adlocuta mæſtus miſeritus*; en alibi, *Ille fugit in nemora, ibi famula fuit*, & aliis in
locis in toto poematio, ut ſtultum ſit legere *adlocutus* contra MSS, ut male ſuſpicatus eſt Achilles,
niſi forte legamus *adlocutu'* eliſa *ſ* veterum more, quia in MSS *a* & *u* invicem ſe commutant;
hinc alio loco, *maxima in oris* pro *maximu in oris*; alibi *cuncta* pro *unctu*, vel *unctum*; Perge, ad
reliqua, *mæſtus miſeritus* dictum; & hoc veterum more, qui ſcribebant *maiſtus*, pro *mæſtus*, ita
Aimilius pro *Æmilius*, ut docet & Scaliger, *a* vero ultima in *majeſtas* pro *u*, quæ invicem ſe com-
mutant, ita alio loco, ut dixi, *maxima* pro *maximu*, & *cuncta* pro *unctu*; *ſ* autem eliditur ἀρχαϊκῶς,
ut alibi, *At fixus noſtris tu dabis ſupplicium*; tandem *miſeritus* & hoc ἀρχαῖον, pro *miſertus*, de
quo

quo mone lexicographos. Nam *mæſta miſeriter*, quod legebatur, commentum eruditulorum eſt Codicis nullius.

50 *Patria &c.* προσφώνησις ad Patriam, qua ſolatur ſeſe. Patria enim nobis cariſſima eſt; Cic: *Omnes*
52 *caritates patria una complexa eſt*: τὸ *tetuli* autem pro *tuli*.
53 *Ut apud, miſer &c.* Hæc eſt lectio cujuſcumque Codicis, & noſtri, & Scaligeri *miſer* interjectio dolentis, ut τάλας apud græcos; ita ſuperius *Ego quam, miſer, relinquens*, quare infra repetit *miſer a miſer* quaſi de induſtria, cum & ſupra repetitum fuerit. Cave enim legas *nivem*, quod eſt fictitium, & ab otioſis interpolatum, quia nullo in libro ſcripto.
54 *Et earum omnia &c.* Ita in omnibus MSS Achille teſte, non, ut erat in excuſſis, *& ut omnia earum*, quo loco miror, quod viri docti, quos Vulpius ſecutus eſt, addiderint *ut*, quod in nullo legitur libro, fruſtra; Nam verſus ſtat. *In* enim in *earum* corripitur ſequente vocali, Lucr. *Corporum in plumbo eſt, tantundem pendere par eſt.* Enn. *Et quidem unus homo &c. Furibunda* autem eſt ipſe Attis. Mutat enim, ut dixi, poeta ad libitum genus; eu infra, *Ut teneram vidit Attim,*
57 *facit impetum, ille demens &c.* Tandem *carens eſt* pro *caret* ἑλλειπτικόν.
60 *Abero &c.* Fruſtra legunt hoc loco Avantius, & alii *ſtadioque gymnaſiis*, vel *atque gymnaſiis*. Nam verſus ſtat, ſi legas, ut habent Codices, ita *Abero foro, paleſtra, ſtadio, & gymnaſiis*, prima in *gymnaſiis* correpta. Enumerat autem exercitationes, in quibus Attis, cum in patria eſſet, verſabatur. Paleſtra autem a παλαίω *luctor*, ubi nudi, & oleo uncti pugnabant. Hor: *Luctamur Achivis doctius unctis.* Stadium erat ſpatium centum, & viginti quinque paſſuum, ubi certatim curſabatur. Cic: *Ut in ſtadio exclamant, ſuplantare tamen eum quicum certet, aut manu depellere nullo modo poſſunt.* Hom: τοῖσι &c. *Illis a carceribus extenſus curſus.* Gymnaſia erant ſcolæ, ubi ſaltationes, ludique fiebant, quos Lycaon in Arcadia inſtituit. Erant & alia ludorum genera, curſus in mari, diſcus, trochus, pancration, ceſtus, equitatio, & natatio, & alia hujuſmodi, quorum nonnulla vigent apud Venetos.
61 *Miſer a miſer* ita alio loco poeta *miſer a miſer, Concubine, nuces da. Anime* autem cum dicit, non convertit ſermonem ad animum, ut putat Vulpius, ſed loquitur ſecum ipſe, quem appellat
62 *anime* voce blandientis Comicis familiari, ut *animule* apud Plautum, *Mi animule, mea vita.* Lego autem verſiculum numquam ſanatum hoc pacto, *Quod enim genus, figura eſt, ego quod non obierim?* τὸ enim *genus, figura* dictum ſine conjunctione copulativa ad majorem dicendi vim, & venuſtatem, ut ſenſus ſit, *Quod enim genus, quæ figura*, h. e. forma *eſt, quod* ſcilicet *utrumque non obierim*, h. e. *cum dignitate non expleverim?* In MSS enim omnibus Achille, & Scaligero teſte legebatur; *Quod enim genus, figuræ eſt, ego quod non abierim?* unde Critici omnes, quos Vulpius ſecutus eſt, *Quod genus figuræ eſt, ego quod non habuerim* vel *adierim* ſpurium, & inelegans.
63 *Ego puber &c.* Optima Scaligeri lectio, quam mutare imberbis inepti eſt, e contra peſſima cæterorum *mulier*, quam Vulpius ſecutus eſt; Nam non ne in hoc verſu Attis enumerat ætates, quas honeſte, beateque in patria peregit? certe quidem: *mulier* igitur, quod nec ætas eſt, neque ſpectat ad ætatem, ineptiſſimum eſt; deinde quæſo etiam, atque etiam, quandonam Attis in patria mulier fuit? numquam, immo ne nunc quidem licet ſine teſticulis; nam ait infra, *Ego vir ſterilis ero*; multo minus audiendus Dempterus legens *impuber* h. e. macer, ſane lectionem macram ſine ſucco, & ſanguine. Differt autem puber ab ephebo, immo inter ſe infantia, pueritia, ephebia, adoleſcentia, pubertas, juventus, virilitas, & ſenectus. Infans eſt, qui fari nequit νήπιος *a* νη priv. & ἔπος verbum. Puer, qui paſcitur παῖς *a* πάω *paſco*; Ephebus, qui pergit in ætatis vigorem ἔφηβος ab ἐπὶ *&* ἥβη, quod ab ἴω *mitto*, & βία *vis*. Ætas enim hæc incipit vim exerere, & emittere; Adoleſcens ab *adoleſco*, quia creſcit, quæ vox ſpectat ad omnes ætates; Pubes, qui eſt ad generandum aptus, Accedunt enim homines ad maturitatem; hinc Virg: *Largo pubeſcit vinea fætu*. Dicitur etiam *puber*, quaſi plus, quam puer, græce, βούπαις, quod a βοῦ particula rem augente, & παῖς *puer*. Si enim παῖς latine *puer*, ita βούπαις *puber*, unde & cæteri caſus gignuntur *puberis, puberi, puberem*, uſitatius tamen *pubes*: Juvenis plus, quam pubes a *juvo*, quia vel manu, vel conſilio juvare poteſt. Tac: *Sera juvenum Venus, eoque inexhauſta pubertas*; Vir, qui vires habet ἀνήρ hinc ἀνδρεία fortitudo; Senex, qui incurvatur ab annis γέρων, quod a γέαν ὁρῶν, quia curvi terram ſpectent, hinc tranſlate ſeneſcere eſt decreſcere apud Ciceronem, & alios: verum hæc differentia non obſervatur.
65 *Mihi januæ frequentes*, quia eo ventitabant amatores, imo limina erant tepida, quia eadem oſculabantur, & domus redimita floribus, quia poſtibus flores figebant; quam interpretationem ſuggerit Lucretius,

ibi, *At lacrimis excluſus amator limina ſæpe*
Floribus, & ſertis operit, poſteſque ſuperbos
Ungit amaracino, & floribus miſer oſcula figit.

69 Leges autem *floridis corollis*, non *floreis* cum Achille. Nam vet. ſcript. *floridis circulis*. Leges
70 etiam *vir ſterilis*, non *vis ſterilis*, ut infœcunde legit Paſſeratius. Lego etiam contra libros excuſſos, quos Vulpius ſecutus eſt, ut erat diſertim in libro noſtro, & aliis *neamica*, & in peroptimo Scaligeri *neamicta* vitioſum pro *neamica* h. e. non amica ἀρχαϊκῶς, quare Terentius Scaurus, *Ne pro non poſitum eſt apud antiquos, ut nefrendes porcos, qui fabam frendere non poſſunt, neſapus, qui non ſapit &c.* ita poeta alio loco *funera nefunera*, ut commentitia omnino ſit lectio *nive amicta* delenda & a lexicographis verbo *algidus*, tum quia diſcedit a ſcriptura, tum quia fortaſſe & inſulſa eſt. Nam, cum prius dictum ſit *algida*, inane eſt alterum ἐπίθετον *nive amicta*, in quod reclamat etiam τὸ *viridis* h. e. herbis omnibus fœcundiſſimæ. Cic: *Viridiſſimi colles*. τὸ autem *columinibus* ſunt culmina montium, vel montis Idæ, non arbores, ut putavit Turnebus ſatis irriſus
72 a Scaligero. Leges vero *jam jamque* lectionem MSS, ut trochæus ſit in quinta ſede, ut ibi, *tetigere laſſulæ*, non *jam jam quoque* fictitiam,
73 *Roſeis &c.* Adhuc locutus eſt Attis ſuam miſeram vitam deplorans, quam ſtatim caſtigat Cybele immiſſo contra leone. Cave autem ſis a MSS diſcedas, quæ ita concepta ſunt,

Roſeis ut huic labellis . . . . ſonitus abiit ,
Ibi juncta juga reſolvens Cybele leonibus ,
Geminas deorum ad auris nova nuncia referens ;

Lacunam in primo verſu impleverunt docti verbo *palam*, vel rectius *palans*, puto, ex aliqua ſcriptur.; deinde legas optime cum Scaligero *geminas eorum*, non *Deorum*, quod vitioſiſſimum eſt, contra quem tamen virum doctum legentem *nunciat ferens* contra MSS, quæ retineo *nova nuncia referens* optimum, quod mutare, peccatum eſt; *nuncia* enim eſt ipſa Cybele tanquam nuncia ad aures leonum; quo loco peccat, & Voſſius, & alii, qui verſum *geminas* moverunt ſede ſua, ut vitium vet. ſcrip. locum habere poſſit.

77 *Agedum* &c. Contra Scaligerum, quem, niſi fallor, ſecutus eſt Vulpius, ſcribentem *i*, & *face*, quæ non ſunt in MSS, lego, ut monet liber noſter, ejuſdemque Scaligeri,

Agedum inquit, age ferox, fac, ut hunc furoribus
Fac, ut hinc furoris ictu &c.

& in MSS. Achillis

Agedum inquit, age ferox, fac, ut hunc furor,
Fac, ut hinc furoris ictu &c.

Unde ita lego

Agedum inquit, age ferox, fac, hinc ut furoribus,

Fac, ut hinc &c. ut in quinta ſede primi verſiculi ſit trochæus, & in prima ſecundi creticus, ut ibi, *Tympanum, tubam* &c. niſi forte τὸ *fac* corripiamus, ut apud Ovid: *Mille fac eſſe jocos*, alibi, *Phylli, fac expectes Demophoonta tuum*, & anapæſtum in primo loco collocemus. Leges tamen recte
80 cum eodem Scaligero *liber a nimis*; Nam in MSS *libera*, & *libere*, quæ Vulpius retinuit. Leges etiam *verbera*, quia in Maffei libro, & Patavino *ververa*, unde *verbera*, non *vulnera* quod ridiculum eſt.
81 *Mugienti* &c. Mugire genericum eſt ſpectans non ſolum ad boves, ſed etiam ad leones, & alios quoſvis a μῦ flebili voce, de quo mone lexicographos, hinc mugitus amnium, terræ, venti apud
93 Virg: & Hor: *Religat* autem h. e. ligat, non ſolvit, ut delirant quidam, qui lingandi eſſe videantur. Nunquam enim religare eſt ſolvere, (quod a lexicographis illico deleatur) neque Catullus uſpiam habet hunc ſenſum; Quæſo, nonne Cybele ſolvit prius juga ſuperius ibi, *juncta juga reſolvens Cybele leonibus*, ergo hic ligat eadem juga, quæ ſolvit, præſertim cum jam alter leo religandus eſſet. Utrumque enim Cybele ſoluit, unum immiſit. Leones autem erant Atlanta, & Hippomenes in leones mutati, quia in luco Cybeles cojere. Locum vero poetæ alterum, quem afferunt *Perfidus in Cretam religaſſet navita funem*, attingam in ſequenti carmine loco ſuo, ne ſemel, iterumque rubor lexicographis incutiatur.
85 *Vadit* &c. In MSS omnibus *Vadit, fremit, refringit* ſine conjunctione copulativa, ita Cic: *Abiit,*
86 *exceſſit, evaſit, erupit* : *Albicantis* propter ſpumas maris, quod in litus rumpitur, Hom: Κύματα
88 &c. *Unda ſpuma albicantes*. *Demens* tandem h. e. ſine mente, & attonitus timore leonis. Leges,
90 ut volunt MSS Achille teſte, *dea domina Dindymi*, ut tribracus ſit in quarta, & quinta ſede, contra Scaligerum, qui tollit primam liquidam, ut verſus recto talo currere poſſit. Vocat autem magnam Deam, quia erat mater deorum omnium, nempe Terra, cui Romani ædem dedicaverunt in Palatio. In precationibus enim facilius impetramus, quoties deorum vires, & nomina ſigillatim enumeramus. Hor: ad Dianam, *ſeu Lucina vocaris, ſeu genitalis*; poeta *Sis quocumque placet*
91 *Tibi ſancta nomine*. Vocat & heram; Heri enim dii appellantur; poeta, *Invitis ſuſcipiatur heris*, alibi *hoſtia cœleſtes pacificaſſet heros*. rurſum *Aut rapidi Tritonis hera*, de quo mone lexicographos

PELEI, ET THETIDIS

Peliaco quondam prognatæ vertice pinus
Dicuntur liquidas Neptuni naſſe per undas
Phaſidos ad fluctus, & fines Æetæos,
Quum lecti juvenes Argivæ robora pubis
Auratam optantes Colchis avertere pellem,
Auſi ſunt vada ſalſa cita decurrere puppi
Cærula verrentes abiegnis æquora palmis,
Diva quibus retinens in ſummis urbibus arces
Ipſa levi fecit volitantem flamine currum,
Pinea conjungens inflexæ texta carinæ,
Illa rudem curſu primam imbuit Amphitriten,
Quæ ſimul ac roſtro ventoſum proſcidit æquor,
Tortaque remigio ſpumis incanduit unda,
Emerſere feri candenti e gurgite vultus
Æquoreæ monſtrum Nereides admirantes,
Illa, atque alia viderunt luce marinas
Mortales oculi nudato corpore Nymphas
Nutricum tenus exſtantes e gurgite cano.
Tum Thetidis Peleus incenſus fertur amore,
Tum Thetis humanos non deſpexit Hymenæos,
Tum Thetidi patet ipſe jugandum Pelea ſenſit.
O nimis optato ſæclorum tempore nati,
Heroes ſalvete, deum genus! o bona mater!
Vos ego ſæpe meo vos carmine compellabo,
Teque adeo eximie tædis felicibus aucte
Emathiæ columen Peleu, quoi Juppiter ipſe,
Ipſe ſuos divum genitor conceſſit amores.
Tene Thetis tenuit pulcherrima Neptunine?
Tene ſuam Tethys conceſſit ducere neptem?
Oceanuſque, mari totum qui amplectitur orbem?
Quæ ſimul optatæ finito tempore luces
Advenere, domum conventu tota frequentat
Theſſalia, oppletur lætanti regia cœtu,
Dona ferunt, præ ſe declarant gaudia voltu;
Deſeritur Scyros, linquunt Phthiotica Tempe,
Grajugenaſque domos, ac mœnia Lariſſæa.
Pharſaliam coeunt, Pharſalia tecta frequentant,
Rura colit nemo, molleſcunt colla juvencis,
Non humilis curuis purgatur vinea raſtris,
Non glæbam prono conuellit vomere taurus,
Non falx attenuat frondatorum arboris umbram,
Squallida deſertis rubigo infertur aratris.

Ipſius at ſedes, quacumque opulenta receſſit
Regia, fulgenti ſplendent auro, atque argento,
Candet ebur ſoliis, conlucent pocula menſis,
Tota domus gaudet regali ſplendida gaza.
Polvinar vero divæ geniale locatur
Sedibus in mediis, indo quod dente politum
Tincta tegit roſeo conchyli purpura fuco.
Hæc veſtis priſcis hominum variata figuris
Heroum mira virtutes indicat arte.
Nanque fluentiſono proſpectans litore Diæ
Theſea cedentem celeri cum claſſe tuetur,
Indomitos in corde gerens Ariadna furores,
Nec dum etiam ſeſe, quæ ſit viſit, ſibi credit,
Utpote fallaci quæ tum primum excita ſomno
Deſertam in ſola miſeram ſe cernit arena.
In memor at juvenis fugiens pellit vada remis
Inrita ventoſæ linquens promiſſa procellæ,
Quem procul ex alga mæſtis Minois ocellis,
Saxea ut effigies bacchantis proſpicit evoe,
Proſpicit, & magnis curarum fluctuat undis.
Non flavo retinens ſubtilem vertice mitram,
Non contecta levi velatum pectus amictu,
Non tereti ſtrophio lactentis vincta papillas,
Omnia, quæ toto delapſa e corpore paſſim,
Ipſius ante pedes fluctus ſalis adludebant.
Sed neque tum mitræ, neqne tum fluitantis amictus
Illa vicem curans, toto ex te pectore, Theſeu,
Toto animo, tota pendebat perdita mente,
Ad miſera, aſiduis quam luctibus exſternavit
Spinoſas Erycina ferens in pectore curas,
Illa tempeſtate, ferox quo & tempore Theſeus
Egreſſus curvis e litoribus Piræi
Attigit injuſti regis Cortynia tecta.
Nam perhibent olim crudeli peſte coactam,
Quom Andrageoneæ pænas exſolvere cędis,
Electos juvenes, ſimul & decus innuptarum
Ceropiam ſolitam eſſe dapem dare Minotauro;
Queis anguſta malis quom mænia vexarentur,
Ipſe ſuum Theſeus pro caris corpus Athenis
Projicere optavit potivis, quam talia Cretam
Funera Cecropiæ nefunera portarentur.
Atque ita nave levi nitens, ac lenibus auris,
Magnanimum ad Minoa venit, ſedeſque ſuperbas.
Hunc ſimul ac cupido conſpexit lumine virgo
Regia, quam ſuavis expirans caſtus odores,

Lectu-

Lectulus in molli complexu matris alebat,
Quales Eurotæ progignunt flumina myrtus,
Aurave diſtinctos educit verna colores,
Non prius ex illo flagrantia declinavit
Lumina, quam cuncto concepit pectore flammam
Funditus, atque imis exarſit tota medullis,
Heu miſere exagitans immiti corde furores.
Sancte puer, curis hominum qui gaudia miſces,
Quæque regis Golgos, quæque Idalium frondoſum
Qualibet incenſam jactaſtis mente puellam
Fluctibus in flavo ſæpe hoſpite ſuſpirantem;
Quantos illa tulit languenti corde timores!
Quantum ſæpe magis fulgore expalluit auri!
Quum ſævum cupiens contra contendere monſtrum
Aut mortem oppeteret Theſeus, aut præmia laudis
Non ingrata, tamen fruſtra, munuſcula divis
Promittens tacito ſuccendit vota labello.
Nam velut in ſummo quatientem brachia Tauro
Quercum, aut conigeram ſudanti corpore pinum
Indomitus turbo contorquens flamine robur
Eruit, illa procul radicibus exturbata
Prona cadit lateque, & cominus obvia frangens,
Sic domito ſævum proſternit corpore Theſeus
Nequicquam vanis jactantem cornua ventis,
Inde pedem ſoſpes multa cum laude reflexit
Errabunda regens tenui veſtigia filo,
Ne labyrintheis e flexibus egredientem
Tecti fruſtraretur inobſervabilis error.
Sed quid ego in primo digreſſus carmine plura
Commemorem? ut linquens genitoris filia vultum,
Ut conſaguineæ complexum, ut denique matris,
Quæ miſera in gnata flevit deperdita, læta
Omnibus his Theſei dulcem præoptarit amorem?
Aut ut vecta ratis ſpumoſa ad litora Diæ,
Aut ut eam triſti devinctam lumina ſomno
Liquerit immemori diſcedens pectore conjux?
Sæpe illam perhibent ardenti corde furentem
Clarificas imo fudiſſe e pectore voces,
Ac tum præruptos triſtis conſcendere montes,
Unde aciem in pelagi vaſtos protenderet æſtus,
Tum tremuli ſalis adverſas procurrere in undas,
Mollia nudatæ tollentem tegmina ſuræ,
Atque hæc extremis mæſtam dixiſſe querelis,
Frigidulos udo ſingultus ore cientem;
Siccine me patriis avectam, perfide, ab oris,

Perfide, deſerto liquiſti in littore, Theſeu?
Siccine diſcedens neglecto numine divum
Inmemor, a, devota domum perjuria portas?
Nullane res potuit crudelis flectere mentis
Conſilium? tibi nulla fuit clementia præſto,
Inmite, ut noſtri vellet miteſcere pectus?
At non hæc quondam nobis promiſſa dediſti
Voce, mihi non hoc miſeræ ſperare jubebas,
Sed conubia læta, ſed optatos hymenæos,
Quæ contra aerii diſcerpunt inrita venti.
Tum jam nulla viro juranti femina credat,
Nulla viri ſperet ſermones eſſe fideles,
Quis cum aliquid cupiens animus prægeſtit apiſci,
Nil metuunt jurare, nihil promittere parcunt;
Sed ſimul ac cupidæ mentis ſatiata libido eſt.
Dicta nihil metuere, nihil perjuria curant.
Certe ego te in medio verſantem turbine leti
Eripui, & potius germanum amittere crevi,
Quam tibi fallaci ſupremo in tempore deeſſem,
Pro quo dilaceranda feris dabor, alitibuſque
Præda, nec injecta tumulabor mortua terra.
Quænam te genuit ſola ſub rupe leæna?
Quod mare conceptum ſpumantibus expuit undis?
Quæ Syrtis, quæ Scylla rapax, quæ vaſta Charybdis?
Talia qui reddis pro dulci præmia vita?
Si tibi non cordi fuerant conubia noſtra,
Sæva quod horrebas priſci præcepta parentis,
Attamen in veſtras potuiſti ducere ſedes,
Quæ tibi jucundo famularer ſerva labore,
Candida permulcens liquidis veſtigia lymphis,
Purpureave tuum conſternens veſte cubile.
Sed quid ego ignaris nequicquam conqueror auris
Extenuata malo, quæ nullis ſenſibus auctæ
Nec miſſas audire queunt, nec reddere voces?
Ille autem prope jam mediis verſatur in undis,
Nec quiſquam apparet vacua mortalis in alga.
Sic nimis inſultans extremo tempore ſæva
Fors etiam noſtris invidit queſtibus auris.
Juppiter omnipotens, utinam ne tempore primo
Gnoſia Cecropiæ tetigiſſent litora puppes,
Indomito nec dira ferens ſtipendia tauro
Perfidus in Cretam religaſſet navita funem,
Nec malus hic celans dulci crudelia forma,
Conſilium in noſtris quæſiſſet ſedibus hoſpes.
Nam quo me referam? quali ſpe perdita nitar?

Ido-

Idomeneoſne petam montis, á, gurgite lato
Diſcernens pontum truculentum ubi dividit æquor?
An Patris auxilium ſperem, quemne ipſa reliqui
Reſperſum juvenem fraterna cæde ſecuta?
Conjugis an fido conſoler memet amore,
Quine fuget lentos incurvans gurgite remos?
Præterea litus, nullo ſola inſula tecto,
Nec patet egreſſus pelagi cingentibus undis,
Nulla fugæ ratio, nulla ſpes, omnia muta,
Omnia ſunt deſerta, oſtentant omnia letum.
Non tamen ante mihi langueſcent lumina morte,
Nec prius a feſſo ſecedent corpore ſenſus,
Quam juſtam a divis expoſcam prodita multam,
Cœleſtumque fidem poſtrema comprecer hora.
Quare facta virum multantes vindice pœna
Eumenides, quibus anguineo redimita capillo
Frons expirantis præportat pectoris iras,
Huc huc adventate, meas audite querelas,
Quas ego, ve, miſera extremis proferre medullis
Cogor inops, ardens, amenti cæca furore;
Quæ quoniam vere naſcuntur pectore ab imo,
Vos nolite pati noſtrum vaneſcere luctum,
Sed quali ſolam Theſeus me mente reliquit,
Tali mente, deæ, funeſtet ſeque, ſuoſque.
Has poſtquam mæſto profudit pectore voces,
Supplicium ſævis expoſcens anxia factis,
Annuit invicto cæleſtum numine rector,
Quo tunc & tellus, atque horrida contremuerunt
Æquora, concuſſitque micantia ſidera mundus.
Ipſe autem cæca mente caligine Theſeus
Conſitus, oblito dimiſit pectore cuncta,
Quæ mandata prius conſtanti mente tenebat,
Dulcia nec mæſto ſuſtollens ſigna parenti,
Soſpitem erectum ſe oſtendit viſere portum.
Namque ferunt, olim claſſi quom mænia divæ
Linquentem gnatum ventis concrederet Ægeus,
Talia complexum juveni mandata dediſſe;
Gnate, mihi longa jucundior unice vita,
Gnate, ego quem in dubios cogor dimittere caſus,
Reddite in extremæ nuper mihi fine ſenectæ,
Quandoquidem fortuna mea, ac tua fervida virtus
Eripit invito mihi te, quoi languida nondum
Lumina ſunt gnati cara ſaturata figura,
Non ego te gaudens lætanti pectore mittam,
Nec te ferre ſinam fortunæ ſigna ſecundæ,

Sed primum multas expromam mente querelas,
Canitiem terra, atque infuſo pulvere fœdans,
Inde infecta vago ſuſpendam lintea malo,
Noſtros ut luctus, noſtræque incendia mentis
Carbaſus obſcura dicet ferrugine ibera.
Quod tibi ſi ſancti conceſſerit incola Itoni,
Quæ noſtrum genus, has ſedes defendere fretis
Annuit, ut tauri reſpergas ſanguine dextram,
Tum vero facito, ut memori tibi condita corde
Hæc vigeant mandata, nec ulla obliteret ætas;
Ut ſimul ac noſtros inviſent lumina colles,
Funeſtam antennæ deponant undique veſtem,
Candidaque intorti ſuſtollant vela rudentes,
Lucida qua ſplendent ſummi carcheſia mali,
Quamprimum cernens ut læta gaudia mente
Agnoſcam, quum te reducem ætas proſpera ſiſtet.
Hæc mandata prius conſtanti mente tenentem
Theſea, ceu pulſæ ventorum flamine nubes
Aerium nivei montis liquere cacumen.
At pater ut ſumma proſpectum ex arce petebat,
Anxia in aſſiduos abſumens lumina fletus,
Quom primum inflati conſpexit lintea veli,
Præcipitem ſeſe ſcopulorum e vertice jecit;
Amiſſum credens immitti Theſea fato.
Sic funeſta domus ingreſſus tecta paterna
Morte ferox Theſeus, qualem Minoidi luctum
Obtulerat, mente immemori talem ipſe recepit,
Quæ tamen adſpectans cedentem mæſta carinam
Multiplices animo volvebat ſaucia curas.
At pater ex alia florens volitabat Jacchus,
Cum thyaſo Satyrorum, & Nyſigenis Silenis,
Te quærens, Ariadna, tuoque incenſus amore,
Qui tum alacres paſſim lymphata mente furebant,
Evoe bacchantes evoe, capite inflectentes,
Horum pars tecta quatiebant cuſpide thyrſos,
Pars e divolſo raptabant membra juvenco,
Pars ſeſe tortis ſerpentibus incingebant,
Pars obſcura cavis celebrabant orgia ciſtis,
Orgia, quæ fruſtra cupiunt audire profani;
Plangebant aliæ proceris tympana palmis,
Aut tereti tenues tinnitus ære ciebant,
Multi rauciſonos efflabant cornua bombos,
Barbaraque horribili ſtridebat tibia cantu.
Talibus amplifice veſtis decorata figuris
Polvinar complexa ſuo velabat amictu.

Quæ poſtquam cupide ſpectando Theſſala pubes
Expleta eſt, ſanctis cæpit decedere divis.
Hic qualis flatu placidum mare matutino
Horrificans Zephirus proclivas incitat undas,
Aurora exoriente vagi ſub lumina ſolis,
Quæ tarde primum clementi flamine pulſæ
Procedunt, leni reſonant plangore cachinni,
Poſt vento creſcente magis magis increbreſcunt,
Purpureaque procul nantes a luce refulgent,
Sic tum veſtibuli linquentes regia tecta
Ad ſe quiſque vago paſſim pede diſcedebant.
Quorum poſt abitum princeps e vertice Pelei
Advenit Chiron portans ſilveſtria dona;
Nam quotcumque ferunt campi, quos theſſala magnis
Montibus ora creat, quos propter fluminis undas
Aura parit flores tepidi fœcunda Favoni,
Hos indiſtinctos plexis tulit ipſe corollis,
Quod permulſa domus jucundo riſit odore.
Confeſtim Peneos adeſt, viridantia Tempe,
Tempe, quæ ſilvæ cingunt ſuperimpendentes,
Vinoſus linquens Doris celebranda choreis
Nonacrios. Nam, quæ ille tulit radicitus altas
Fagos, ac recto proceras ſtipite laurus,
Non ſine nutanti platano, lentaque ſorore
Flammati Phaetontis, & aeria cupreſſu,
Hæc circum ſedes late contexta locavit,
Veſtibulum ut molli velatum fronde vireret.
Poſt hunc conſequitur ſolerti corde Prometheus,
Extenuata gerens veteris veſtigia pœnæ,
Quam quondam ſilici reſtrictus membra catena
Perſolvit pendens e verticibus præruptis.
Inde pater divum ſancta cum conjuge, natiſque
Advenit cælo, te ſolum, Phæbe, relinquens,
Unigenamque ſimul cultricem montibus idri;
Pelea nam tecum pariter ſoror aſpernata eſt,
Nec Thetidis tædas voluit celebrare jugales.
Qui poſtquam niveos flexerunt ſedibus artus,
Large multiplici conſtructæ ſunt dape menſæ.
Quum interea infirmo quatientes corpora motu
Viridicos Parcæ cæperunt edere cantus.
His corpus tremulum complectens undique quercus
Candida purpurea Tyrios intinxerat ora,
At roſeo niveæ reſidebant vertice vittæ,
Æternumque manus carpebant rite laborem;
Læva colum molli lana retinebat amictum,

Dextera tum leviter deducens fila ſupinis
Formabat digitis, tum prono in pollice torquens
Libratum tereti verſabat turbine fuſum,
Atque ita decerpens æquabat ſemper opus dens,
Laneaque aridulis hærebant morſa labellis,
Quæ prius in levi fuerant extantia filo,
Ante pedes autem candentis mollia lanæ
Vellera virgati cuſtodibant calathiſci.
Hæ tum clariſona pellentes vellera voce,
Talia divino fuderunt carmine fata,
Carmine, perfidiæ quod poſt nulla arguet ætas.
O decus eximium, & magnis virtutibus augens,
Emathiæ tutamen opis, cariſſime nato,
Accipe, quod læta tibi pandunt luce ſorores;
Veridicum oraclum, ſed vos, quos fata ſequuntur,
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Adveniet tibi jam portans optata maritis
Heſperus, adveniet fauſto cum ſidere conjux,
Quæ tibi flexanimum mentis perfundat amorem,
Languiduloſque paret tecum conjungere ſomnos,
Levia ſubſternens robuſto brachia collo.
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Nulla domus tales unquam contexit amores,
Nullus amor tali conjunxit fœdere amantes;
Qualis adeſt Thetidi, qualis concordia Peleo!
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Naſcetur vobis expers terroris Achilles
Hoſtibus haud tergo, ſed forti pectore notus,
Qui perſæpe vago victor certamine curſus
Flammea prævortet celeris veſtigia cervæ.
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Non illi quiſquam bello ſe conferet heros,
Quum phrygii teucro manabunt ſanguine rivi,
Troicaque obſidens longinquo mœnia bello
Perjuri Pelopis vaſtabit tertius hæres.
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Illius egregias virtutes, claraque facta
Sæpe fatebuntur gnatorum in funere matres,
Quum in cinerem canos ſolvent a vertice crineis,
Putridaque infirmis variabunt pectora palmis.
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Namque velut denſas præcernens cultor ariſtas
Sole ſub ardenti flaventia demetit arva,
Trojugenum infeſto proſternet corpora ferro.
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.

Teſti-

Teſtis erit magnis virtutibus unda Scamandri,
Quæ paſſim rapido diffunditur Helleſponto,
Quojus iter cæſis anguſtans corporum aceruis
Alta tepefaciet permiſta flumina cæde.
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Denique teſtis erit morti quoque dedita præda,
Quum teres excelſo coacervatum aggere buſtum
Excipiet niveos percuſſæ virginis artus.
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Nam ſimul ac feſſis dederit Fors copiam Achivis
Urbis Dardaniæ Neptunia ſolvere vincla,
Alta Polyxenia madefient cæde ſepulcra,
Quæ velut ancipiti ſuccumbens victima ferro
Projiciet truncum ſubmiſſo poplite corpus.
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Quare agite optatos animi conjungite amores,
Accipiat conjux felici fœdere divam,
Dedatur cupido jamdudum nupta marito.
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Non illam nutrix orienti luce reviſens
Heſterno collum poterit circundare filo.
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Anxia nec mater diſcordis mæſta puellæ
Secubitu, caros mittet ſperare nepotes.
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Talia præfantes quondam felicia Pelei
Carmina divino cecinerunt omine Parcæ.
Præſentes namque ante domos inviſere caſtas
Heroum, & ſeſe mortali oſtendere cætu
Cælicolæ, nondum ſpreta pietate, ſolebant;
Sæpe Pater divum templo in fulgente reviſens,
Annua dum feſtis veniſſent ſacra diebus,
Conſpexit terra centum procurrere currus.
Sæpe vagus Liber Parnaſſi e vertice ſummo
Thyadas effuſis Evantes crinibus egit,
Quom Delphi tota certatim ex urbi ruentes
Acciperent læti divum fumantibus aris.
Sæpe in letifero belli certamine Mavors,
Aut rapidi Tritonis hera, aut Rhamnuſia virgo
Armatas hominum eſt præſens hortata catervas.
Sed poſtquam tellus ſcelere eſt imbuta nefando,
Juſtitiamque omnes cupida de mente fugarunt,
Perfudere manus fraterno ſanguine fratres,
Deſtitit exſtinctos natus lugere parentes,
Optavit genitor primævi funera nati,

Liber ut innuptæ poteretur flore novercæ ,
Ignaro mater ſubſternens ſe impia nato,
Impia non verita eſt divos ſcelerare parentes,
Omnia fanda, nefanda malo permiſta furore
Juſtificam nobis mentem avertere deorum .
Quare nec tales dignantur viſere cætus,
Nec ſe contingi patiuntur lumine claro.

NOTÆ CRITICÆ.

1 *Peliaco &c.* Verſus eſt heroicus, in quo poeta occaſionem canendi nuptias Thetidis, Peleique arripit ex Argonautis, qui primi navigationem docentes in cauſa fuerunt, ut Peleus amore Thetidis accenderetur ; narrat nobilium frequentiam ad nuptias, facitque deſcriptionem ſatis longam rerum, quæ contexta erant in purpura lecti genialis ſponſæ; porro Deos ad nuptias veniſſe fingit, & convivatos fuiſſe; tandem Parcas felicia omina, Achillemque naſciturum canentes elegantiſſime inducit. Optima vero eſt in membranis inſcriptio *Epithalamium Tetidis, & Pelei*; ita enim & grammatici græcorum interpretes Heſiodi, qui & ipſe poſt Agameſtora Pharſalium primum ſcriptorem nuptias Pelei , & Thetidis celebravit, dixerunt ἐπιθαλάμια ἐς Πηλέα καὶ Θέτιν ; e contra peſſima noſtrorum Lexicographorum verbo *palma*, & eorum omnium, qui Argonautica hoc carmen appellaverunt decepti primis verbis προοιμίου, ubi de Argonautis ſermo eſt. Carmen autem omnino Catullianum eſſe, nemo dubitat, cum & libri ſcripti fidem faciant, & φράσεις ipſa tota ex penu Catulli deprompta, & Tibullus teſtis exceptione major, quem, puto, numquam legit Iſidorus, qui hoc idem tribuit Hel: Cinnæ.
ibi, *Gnoſia Theſea quondam perjuria lingua*
Fleviſti ignoto ſola relicta mari.
Sic cecinit pro te doctus, Minoi, Catullus,
Ingrati referens impia facta viri.
οἷ *Pinus* dictum non pro qualibet arbore, ut credit Muretus, ſed quia ex pinu, & etiam ex quercubus navis Argo confecta fuit, ut teſtatur Phædrus, *Utinam non Peliaco nemoris jugo — Pinus concidiſſet.* quid Orpheus? οἷα &c. *Navem quernis trabibus compactam.* hinc Virg. *Dant utile lignum navigiis pinus* ; & Ovid: *Pelion Emoniæ mons eſt obverſus in auſtros — Summa virent pinu ,*
2 *cætera quercus habet.* Nota porro contra Vulpium, *naſſe* naſci a *no* pro *naviſſe*, non a *navigo* pro *navigaſſe*; Tibul: *In liquida nat tibi linter aqua*; poeta alibi, *Barbara navit Athon.*
3 *Phaſidos &c.* Phaſis flumen, quod Colchidem alluit in Pontum prorumpens; fines vero Æetæi ſunt fines Colchidos, ubi regnabat Æetes pater Medeæ, qui vellus aureum habebat. Leges autem
4 *lecti* cum eruditis, non *lati*, ut erat vitioſe in quibuſdam Codicibus; Ennius ex Euripide, *Argo, qua vecti Argivi delecti viri*; Vir. *lectos juvenes, fortiſſima corda.* Leges, & *pubis* , non *puppis* ineptam
5 lectionem MSS. Virg. *Robora pubis lecta dabo.* *Pellem* tandem arietis, qua rex Colchorum Æetes potiebatur, quæque tandem aliquando rapta a Jaſone fuit, comitibuſq. Caſtore, Polluce , Thelemone, Orpheo, Hercule, Hyla, Peleo, & aliis,
Dant: *Quant'aſpetto real ancor ritiene!*
Quelli è Jaſon, che per cuore, e per ſenno,
Li Colchi del Monton privati fene.
Petr: *Simil non credo, che Jaſon portaſſe*
Al vello, ond'ogni uom veſtir ſi ſuole.
Noli vero credere, pellem hanc fuiſſe libellum de ratione auri faciendi, vel pellem , quam vulgo nos *zebellini* vocamus. Hæc enim ſunt meræ fabellæ ingenioſorum.
6 *Cita &c.* ἐπίθετον navis currentis proprium , ut monuimus ex Homero ſuperius, verſiculo *celeri rate maria.*
8 *Diva* eſt Pallas urbium, & arcium patrona, quia ædificiorum inventrix, non quia ex capite Jovis nata, ut putat Servius allatus a Vulpio. Nam ita etiam de Venere diceretur , de qua Ovid. *Avertit vultus, Erycis quæ poſſidet arces*, præterquamquod Pallas non arcium tantum, ſed urbium domina erat , & patrona, ut habemus ex Hom: Παλλάδ' &c. *Palladem patronam urbium incipio canere*; & ex Dem: ὦ Παλλὰς &c. *Pallas urbium domina.* Virg. *Pallas, quas condidit arces ipſa colat*, cujus templum quidem Athenis in arce, cui præerat; T. Liv: *Sacrificio Minervæ præſidi arcis Athenis facto.* Hæc eadem dea & opus navium , & navigationem docuit; Non enim ipſa revera fecit navem, cujus certe faber Argus Areſtorides ejuſdem tamen Deæ conſilio ; Phæd: *Nec fabri-*
9 *caſſet Argus opere Palladio ratem* . *Currum* autem dicit μεταφορικῶς perbelle, hinc Virgilius, *Claſſique immittit habenas* ; unde & Ovidius ibi , *Aurigam video vela dediſſe rati* , ex Plauto , *Æquo ligneo vecti per vias cæruleas* , qui omnes fortaſſe Euripidem imitati ſunt ὄχημα ναΐον , *habitabant currum*, ſcilicet navem, ut ineruditi hominis ſit, huic τρόπῳ, qui laude dignus eſt, quaſi audaciori manus opponere, cum auctoritate græcorum, latinorumque poetarum ſepiatur ; quamquam *currum* proprie dici poteſt, ut ſit res, quæ currit , & volat vento, hinc ſupra, *decurre-*
11 *re puppi.* Leges vero *primam*, ut erat in omnibus MSS Achille teſte, h. e. principem, & quæ primum locum obtinebat dea inter homines inſtituendos a Minerva, vel præcipuam, & peculiarem; Nam Amphitrite uxor Neptuni , quæ pro mari uſurpatur, erat ita rudis, (nemo enim antea navigaverat) ut peculiariter inſtituenda eſſet. Imbuere enim eſt erudire. Cic: *Parentum præceptis imbuti.*

12 *Quæ ſimul* h. e. quæ carina proſcidit roſtro ſuo, quod erat pars in prora exporrectior in cuneum deſinens. *Ventoſum* autem ἀπίθετον maris perpetuum; Virg. *Ventoſa per æquora*. Hor: *Qui mare temperat ventoſum*. Leges vero, ut liquide noſter liber *tortaque*, non *tota* vitioſum, & inſulſum quod erat in aliis MSS; Virg. *Undam ſub vertice torſit*. Lego etiam *incanduit* lectionem omnium MSS Achille teſte h. e. candida facta eſt a *candeo*, de quo mone lexicographos, non *incanuit*, quod commentum doctorum eſt, hinc poeta infra, *Candenti e gurgite vultus*, ita Lucretius allatus ab Achille, *Candenti marmore fluctus*, græcos ſcriptores Anacreonta, & Euripidem imitati.
14 Vocat porro vultus Nereidum feros, h. e. incultos, ut ferus ager, vel crudeles, hinc maris per-
15 petuum ἀπίθετον *ferum*, poeta, *ſola dura, mare ferum*. Deinde τὸ *monſtrum* eſt navis ipſa Argonautarum, quæ nymphis marinis erat res nova inſtar monſtri. Monſtrum enim eſt a *monſtrando*, quia res novæ monſtrantur.
16 *Illa &c.* Corrupti ſunt libri excuſſi, qui habent *illaque atque alia*, vel *illaque hautque alia*, quod ſequutus eſt Vulpius ex Voſſio. Nam omnis vet. ſcrip. Achille teſte *illa, atque alia*, ſpreta ſinalœphe, ut locum habere poſſit hiatus, quo Catullus tantopere delectatur; ut ibi *ebrioſa acina ebrioſioris*; rurſum, *Magna a Cæcilio inchoata mater*. τὸ *atque* autem optimum. Nam non ſolum illa die, ſed etiam deinde alia mortales viderunt nymphas, contra Voſſium aliter temere putan-
18 tem. Cum doctis etiam leges *nutricum tenus*, ut monent omnes libri ſcripti Achille teſte h. e. mammarum tenus, non *jam crurum tenus*, ut vitioſe, & improprium habebat liber Scaligeri fortaſſe a librario docte quidem, ſed fruſtra ſcriptum ex Virgilio, *Et crurum tenus palearia pendent*.
19 *Tum Thetidis &c.* Thetis nympha filia Nerei, quam duxit uxorem Peleus filius Eaci ex Egina
21 Theſſaliæ rex, quorum nuptiæ in hoc carmine a Catullo celebrantur. *Pater* autem *ipſe* cum dicit, intelligit Nereum patrem Thetidos. Ad patrem enim ſpectat onus filias collocandi; poeta, *Pater, quoi tradidit ipſe*, -- *Ipſe pater cum matre &c.* Neque audiendus eſt Vulpius, qui Jovem, quia pater eſt, interpretatur, quaſi Jupiter tantum pater ſit, cum & cæteri dii patres appellentur, hinc Lucilius,

> *Ut nemo ſit noſtrum quin pater optimu' divum,*
> *Ut Netupnu' pater, Liber, Saturnu' pater, Mars,*
> *Janu', Quirinu' pater nomen dicantur ad utrum.*

Adde, quod vitioſiſſime idem repeteret poeta, infra cum ait, *Peleu, quoi. Juppiter ipſe ſuos conceſſit amores*. *Senſit* vero eſt in MSS, non *ſanxit* lectio fictitia Pontani rejicienda.
22 *O nimis &c.* Læta exclamatione ingreditur poeta ad canendas Pelei nuptias, ita Virgilius, *Magnanimi Heroes nati melioribus annis*. *Heroes* autem cum dicit, intelligit Argonautas, felices illos quidem, quibus primo contigit videre marinas nudato corpore nymphas; quo loco noto contra Servium, ethymologoſque, heroes non dici ab ἔρα *terra*; nam ſunt ſemidei ex ſemine cæli. Nec ab aere; nam mortales; non ab ἔρως *amor*, quaſi ab amore hominum, deorumque nati, quod eſt nimis genericum, ſed ab *herus*, quia ex heris h. e. diis, deabuſque. Heros enim deos vocamus; poeta, *Hoſtia cæleſtes pacificaſſet heros*; alibi *Quod temere invitis ſuſcipiatur heris*, rurſum ad Cybelem, *Procul a mea furor ſit, hera, domo*. Ennius *Voſne velit, an me, regnare hera*, de quo quidem verbo *herus*, ut dixi alias, mone lexicographos: *Bona mater* eſt Thetis, quam compellare promittit poeta, ut facit revera ſæpe in hoc poemate, quamque matrem appellat vel futuram matremfamilias, quia in manum mariti, & familiam, & loco hæredis venire debebat, vel cum alluſione ad Achillem, filioſque ab ea naſcituros, quare Ovid. *Concipe, mater eris*; vel &
24 honoris cauſa, ſic Veſta mater, Matuta mater &c. τὸ *vos* porro ajo referri & ad Thetidem *o bona mater*, & ad Pelea, *Teque adeo eximie*. Eſt enim poſitum inter utrumque; vel ad ſolam Thetidem *vos* pro *tu*, ut ſolent poetæ, oratoreſq. Catullus alio loco, *Cæli, Lesbia noſtra*; alibi, *Furi, villula noſtra*, pro *mea*; rurſum, *Quem tu præponere nobis audes*, pro *mihi*; deinde *Attamen in veſtras potuiſti ducere ſedes*, pro *in tuas*; vel ad Thetidem, & tacite ad Achillem. Nam, ſi Thetis mater eſt illis verbis *o bona mater*, ex ea gnatus futurus eſt, igitur recte *Vos ego ſæpe meo vos carmine compellabo*. Compellat enim Thetidem ſæpe, & Achillem, præcipue tamen Pelea infra in cantu Parcharum ad finem, quod contra criticos omnes, & Vulpium dico, qui navem Argo, vel Theſſaliam matrem eſſe voluerunt, in quos non ſolum reclamat τὸ *bona* h. e. proba, vel pulcra, quod & navi, & Theſſaliæ ineptum eſt, ſed etiam totus verſiculus, *Vos ego ſæpe meo vos carmine compellabo*. In toto enim hoc carmine, ſi προοίμιον excipias, numquam navem Argo, numquam Theſſaliam compellit Catullus.
25 *Aucte*, non ſolum quia ipſe mortalis uxorem duxit Thetidem deam immortalem, ſed quia conubii gratia prole augebatur, hinc alio loco poeta de Ptholomæo Berenicem ducente, *novo auctus hy-*
26 *menæo*. Leges autem *Emathiæ*, ut habet vet. ſcrip. non *Theſſaliæ* cum Vulpio; ita infra, *Emathiæ*
27 *tutamen opis, cariſſime nato*. Dicit vero *conceſſit amores*, quia Juppiter amavit & ipſe Thetidem, quam conjugem duxiſſet, ſi ita a Proteo deterritus non fuiſſet.

Ovid. *Thetidi Proteus prædixerat udæ*
> *Concipe, mater eris, juvenis, qui fortibus armis*
> *Acta patris vincet, majorque vocabitur illo.*
> *Ergo ne quicquam mundus Jove majus haberet*
> *Quamvis haud tepidos ſub pectore ſenſerat ignes*
> *Juppiter, æquoreæ Thetidis conubia fugit.*

28 *Tenuit* porro verbum amantium, qui vinculis amoris conſtringuntur. Virg. *Cum me Galatea tenebat*. Tib; *Teneorque catenis*. τὸ *Neptunine* tandem ἀλλώνυμον, quod refertur ad Thetidem, non
29 ad Peleum, ut putat temere Turnebus, ita Virg. *Nerine Galatea*. *Thetys* autem in ſequenti eſt avia Thetidis novæ nuptæ. Illa enim ex Oceano Doridem, Doris ex Nereo Thetidem ſuſtulit.
30 Leges vero *Oceanuſque mari*, ut erat in omnibus MSS, Achille teſte, non *pater* commentum. Hom.
32 Κλῦθι &c. *Audi Neptune terram continens*; poeta, *cingentibus undis*. Leges etiam *advenere*, non *ut venere* cum Vulpio; poeta alibi, *Princeps e vertice Pelii*, -- *Advenit Chiron*; alio loco,

Cum

34 *Cum coniuge, natiſque — Advenit cœlo*; rurſum, *Adveniet fauſto cum ſidere conjux*. τὸ *voltu* tandem
dictum ἀρχαϊκῶς, quod vel tonſores norunt.
35 *Deſeritur &c.* Deſcribit celebritatem nobilium, qui ad Pelei nuptias convenere. Nam alii ex Scy-
36 ro inſula in mari Jonio; alii ex Tempe regiuncula Theſſaliæ; alii ex Lariſſa, de qua T. Liv. *La-
riſſam non illam in Theſſalia nobilem urbem, ſed alteram, quam Cremaſtem vocant*. Leges enim
ſine dubitatione, ut monent libri ſcripti Scaligeri, Marcilii, & noſtri *Graiugenaſque domos, &
mœnia Lariſſæa*, ut vitioſi fuerint libri Achillis, unde fruſtra Victorius nobis obtruderit lectionem
37 non Catulli, ſed ſuam, *Crannoniſque domos*. Leges & *Pharſaliam*, ut habent membranæ Marci-
lio, & Achille teſte, non *Pharſalum* fruſtra fictum a Pontano. Poetarum enim licentiam coerce-
re ridicula res eſt, cum *dicant Earion tamen poeta — Sed græci, quibus eſt nihil negatum, — Et quos
apec apec decet ſonare*.
39 *Humilis*, ἐπίθετον vitis, quæ ſerpit humi; Cic: *Vites, & ea, quæ ſunt humiliora, neque ſe tol-
40 lere altius non poſſunt*. Scribes autem *glæbam* per diphthongum, ut egregie monuit Achilles ex
vetutiſſimis libris ſcriptis, de quo tu mone lexicographos.
43 *Ipſius &c.* Deſcribit apparatum domus Pelei; *receſſit* autem h. e. quæ multos habet receſſus, Leges
45 vero *menſis*, non *menſa*, ita antea, *Candet ebur ſoliis*. Verſiculum porro *Tota domus* Virgilius imi-
tatus eſt ibi, *At domus interior regali ſplendida luxu*. Gaudere autem rerum eſt etiam inanimata-
rum; poeta, *Gaudete voſque Lydiæ lacus undæ*.
47 *Polvinar &c.* Dictum ἀρχαϊκῶς erat lectus genialis, qui ſponſæ ſternebatur in aula, cuique Genius
Deus naturæ præerat, qui a γείνω *genero*, quamquam & Juppiter, & Juno Lucina tori cuſtodes
erant. Cic: *Lectum genialem, quem filiæ nubenti ſtraverat*. Hor: *Lectus genialis in aula eſt*: Juv:
48 *Vetus eſt, ſacri Genium contemnere fulcri*. Sen: *O tori Lucina cuſtos*. *Indo* autem h. e. eburneo ex
49 elephante; Virg. *Indum ebur*. Leges vero, ut erat in veteri libro Scaligeri *conchyli*, & etiam in
aliis pro *conchylii*, ut *conchylis*, quod legebatur, fictitium ſit; & a lexicographis merito expun-
gendum.
50 *Hæc veſtis &c.* ἔκφρασις familiaris Homero in ſcuto Achillis deſcribendo, & Virgilio in ſcuto Æneæ,
& aliis etiam optimis poetis, qui ruborem incutiunt magiſtellis inique vellicantibus poetam no-
ſtrum quaſi verboſum. In hac igitur veſte purpurea intexta erat hiſtoria Ariadnæ proſpicientis The-
ſeum fœdifragum fugientem e litore Diæ, qui nuper ope ejuſdem Ariadnæ filiæ regis Minois Mi-
51 notaurum occiderat, & incolumis redierat. Dicit autem *virtutes heroum*, non εἰρωνικῶς, ut
putat Palladius, nec ἀρχαϊκῶς pro heroibus ipſis, ut Scaliger, ſed revera. Virtus enim accipi-
tur hic pro conſtantia in periculis, ſiniſtraque fortuna, Cic: *Omnia conſecutus es virtute duce*,
quæ quidem ſpectat & ad Theſeum diſcedentem a patria domo, & ſubeuntem labores, peri-
culaque dubii certaminis, & ad Ariadnam verſantem in ſummo rerum diſcrimine ſola, deſerta in
inſula Dia, & ad Bacchum & ipſum intextum in purpura, qui incenſus amore Ariadnam quaſi
per tela, per ignes diu, noctuque quæritabat.
52 *Diæ* ſcilicet Naxi inſulæ in mari Ægeo, de qua Plin: *Naxus, quam Diam, mox Dionyſiada, alii
55 Siciliam minorem appellarunt*. Leges autem locum numquam ſanatum hoc pacto, *Nec dum etiam,
ſeſe, quo ſit, viſit, ſibi credit*. In MSS enim Scaligeri *nec dum etiam ſeſe quo ſit viſet ſivi credet*, unde
cæteri ſcripti codices habebant *Nec dum etiam ſeſeque ſui cui ſe credet*. *Viſet* enim, & *credet*, eſt
pro *viſit*, & *credit*, quod omnes docti fatentur, *e* pro *i* ſæpe in Codice Gallicano, ita *ipſe*, *Luce*,
pro *ipſi* & *Luci*. *Sivi* autem pro *ſibi*, *u* enim pro *b* in eodem Codice ſcriptum fuiſſe, nemo igno-
rat; itaque, ne ſyllaba una mutata, veterem lectionem retineo, cujus ſenſus eſt, *Nec dum etiam
viſit ſeſe, quo ſit* h. e. *quo loco ſit, nec dum etiam ſibi credit*. Subaudias enim iterum in ſecundo
loco *Nec dum etiam*, ut MSS lectio locum habeat, e contra ſpuriæ lectiones tum Voſſii *viſit vi-
ſere*, tum maxime cæterorum *credidit eſſe*, quos ſecutus eſt Vulpius, ne angululum quidem habe-
re poſſint.
56 *Utpote &c.* Ex hoc verſu cognoſcitur clarius optima lectio verſiculi ſuperioris *ſeſe, quo ſit, viſit,
59 ſibi credit*. Somno enim experrecti vix agnoſcunt ſeſe, & quo loco ſint. *Procellæ* autem, quia ver-
ba noſtra a ventis rapi videntur, quoties promiſſis non ſtamus; poeta, *Ne tua dicta vagis nequic-
61 quam credita ventis*. *Saxea* vero dicit non ad ſignificandum pallorem, capillos ſparſos, defixum
aſpectum, ſtuporemque, ut putat Vulpius; nihil enim earum rerum fieri, viderique poterant in
ſaxea effigie, vel ſaxo, ſed ad notandum longum in luctu Ariadnæ ſilentium, quam explicatio-
nem mihi ſuggerit Cicero, ibi, *Niobe fingitur lapidea propter æternum in luctu ſilentium*; Et ſane
rapti quaſi extra ſeſe, ſtupidique tacent, ut ſaxum eſſe videantur. hinc & apud Ovidium Ariad-
na loquitur, *Quamque lapis ſedes, tam lapis ipſa fui*. Ex eo porro *evoe* colligitur, Ariadnam
ore aperto immobilem ſtetiſſe, *Bacchantis* enim *evoe* idem eſt, atque *exclamantis evoe* contra
Parthenium, qui putat eſſe nomen, contraque cæteros, quos ſecutus eſt Vulpius. Bacchari enim
proprie eſt clamare a Βάζω *loquor*, vel potius a Βία *vis*, & ἰάχω *vociferor*, de quo mone lexico-
62 graphos, *evoe* autem vox bacchantium, quam cum pronunciamus, os aperire neceſſe eſt. *Proſpicit*
vero repetitum παθητικῶς, ut alio loco, *complexu matris avellere natam complexu matris &c.*
ad quem verſum reſpexit Virg. *Et magno curarum fluctuat æſtu*.
63 *Non flavo &c.* Exaggerat ſtuporem Ariadnæ, Mitra autem erat tegumentum capitis proprium
64 Trojanorum, Lydorum, aliorumque. Virg. *Habent redimicula mitræ*. Amictus faſciola, qua pectus
65 defendebatur. Prop. *Cepit mihi faſcia pectus*. Strophium autem brevior faſciola, quæ mammas
cohibebat. Leges vero, ut erat in MSS Achille teſte *lactentis* pro *lactentes*, vel *lactenteis* ἀρχαϊκῶς
h. e. quæ incipiunt lac emittere, vel potius quæ ita candidæ ſunt, ut plenæ lactis videantur.
Non enim eſt admittenda lectio *lactantes*, vel *lucentes* Achillis, multo minus *luctantes* Mureti,
quem, ſi bene memini, ſecutus eſt Vulpius. Eſt enim puellæ virginis improprium, habere papil-
67 las intumeſcentes, quæ luctentur, quaſique enitantur ſtrophium repellere. Leges etiam optime
cum Achille ex omnibus MSS *alludebant*, non *allidebat* ſpurium cum Scaligero, Fluctus enim allu-
debant ea vel ad ea, quæ delapſa erant; nam præpoſitio *ad* ineſt in ipſo verbo; hinc in definitio-
ne litoris Jureconſultus ait apud Ciceronem allatum ab eodem Achille *Litus eſt, qua fluctus allu-
dit*;

dit; Quare Prop. *Clauſus ab umbroſo qua alludit pontus*. Ovid. *In alludentibus undis*. Leges tan-
dem jubente omn. vet. ſcrip. Achille teſte *toto ex te pectore, Theſeu, pendebat*, non ut habet
vitioſe liber Scaligeri *toto te pectore, prodebat*. Nam quomodo prodebat h. e. nominabat, ſi tace-
bat ſaxea ut effigies bacchantis evoe? ex quo verbo, inquam, *evoe* fortius etiam colligo, opti-
mam eſſe cæterorum MSS lectionem *pendebat*. Nam revera ab aliquo pendent, qui in eum os aper-
tum tenent. Virg. *Intentique ora tenebant*.
71 *A miſera &c.* Ita in omnibus MSS, Achille teſte *a* ſemper ſine aſpirata, ut vetuſtiſſimi libri fi-
dem faciunt, ut *ah miſeram*, quod eſt in quibuſdam excuſſis, fictitium omnino ſit. Leges & *ex-
ternavit* lectionem MSS, non *extenuavit* commentum nonnullorum.
72 *Erycina* autem Venus, quæ in Erice colebatur, quæque etiam a Romanis, cui Q. Fab. Ma-
ximus ædem vovit, quam dedicavit Porcius Licinius ad Portam Collinam. Ovid. *Avertit vultus
73 Erycis, quæ poſſidet arces*. alibi, *Quid geminas, Erycina, meos in corde dolores?* Leges etiam opti-
me cum Achille *Illa tempeſtate, ferox quo & tempore*. Nam in omnibus MSS *Illa tempeſtate, fe-
roxque & tempore* ἀρχαϊκῶς, hinc, Cic: *Neque fugerim dicere ut Cælius, qua tempeſtate Pœnus in Ita-
liam venit*. Male igitur legit Realinus cum Vulpio *ferox & tempore*. Omittit enim temere τὸ *que*
non omittendum; ut ordo ſit, *Illa tempeſtate, & quo tempore ferox &c.* vel *Illa tempeſtate, &
tempore, quo &c.* poeta alibi *Qua rex tempeſtate*. Cic: *Ejus temporis, quo die*; alibi, *venit tempus,
74 quo tempore*. Deinde τὸ *curvis* ἐπίθετον perpetuum litoris eſt; Hom. Κοῖλον &c. *Concavum in
litus*. Virg. *Litore curvo mœnia prima loco*. alibi, *Sonitum per curva dedere litora*. Hor. *Si præda
curvo litore mergos juveris*. Ovid. *Spatiataque litore curvo*. Lucr. *Litoris incurvi lavit æquor arenam*.
Piræi vero dicit, non quia Theſeus revera ſolverit ex Piræo, qui tunc erat curia, ſed quia fin-
gitur ſolviſſe; nam ætate Catulli Piræus erat reapſe portus; Cic: *E navi egreſſus in Piræum*. Ovid.
75 *Piræaque tuta receſſu Litora*. *Injuſti* porro h. e. ſævi, ita Virg. *injuſta noverca*, vel valde juſti;
in enim aliquando eſt intenſivum ut *increpo, inſono, inijcio*, & alia. Minos enim Athenienſibus
ſævus videbatur. Nam victis onera impoſita a victore, etiamſi juſta ſint, injuſta videntur eſſe;
immo Minos erat ita juſtus, ut a Jove præfectus fuerit judex apud inferos.

Hom: ἔνθ' &c. *Ibi tum Minoa vidi Jovis filium — Aureum ſceptrum geſtantem*.

Prop: *Minos ſedet arbiter Orci,*
Victor erat quamvis, æquus in hoſte fuit.

Dant: *Stavvi Minos orribilmente, e ringhia,*
Eſamina le colpe nell' entrata,
Giudica, e manda ſecondo, che avinghia.

Lego autem contra Voſſium, quem ſecutus eſt Vulpius, *Cortynia tecta*. Ita enim erat in libro
noſtro, & etiam in aliis teſte Parthenio. Quam lectionem veriorem judico, quam *templa*, quod
legitur vitioſe in libro Scaligeri, & aliorum. Nam poeta ſemper uſus eſt hoc verbo, ibi, *Lin-
quentes regia tecta*, alibi, *Sic funeſta domus ingreſſus tecta paterna*, rurſum, *Pharſalia tecta frequen-
tant*, & alias fortaſſe. Cortyna vero urbs olim Cretæ, de qua Hom. Γόρτυνά τε &c. *Cortina-
que bene cincta mœnibus*. Scribitur enim per *c*, non per *g*, ut patet ex Homero.
76 *Nam perhibent &c.* Narrat Catullus hiſtoriam Theſei miſſi ad occidendum Minotaurum. Andro-
geus enim filius Minois miſſus Athenas, cum vinceret in agonibus Athenienſes ipſos, occiſus invi-
dia fuit; quod cum ferre non poſſet Minos pater, bello Athenienſibus illato, eos vicit, victiſ-
que hanc legem impoſuit, ut quotannis ſeptem pueros, puellaſque nobiles edendos mitterent Mi-
notauro. Cum igitur Athenienſes premerentur peſte, & fame, Theſeum filium regis miſere, qui
ope Ariadnæ filiæ Minois monſtrum Minotaurum occidit, liberavitque ſeſe, atque ſuos, hinc poe-
77 ta ait *Quum Androgeona pœnas exſolvere cædis*, qui quidem verſus in omnibus excuſſis, quos jam
ſecutus eſt Vulpius, vitioſus erat. Nam in MSS omnibus Achille, & Scaligero teſte ita legebatur
Quum Androgeneæ pœnas exſolvere cædis, ſubaudi inciperet, vel deberet Hiſtoricorum more,
quo poeta & alibi delectatur, itaque clarior fit ſenſus, & ordo; excipe tamen τὸ *Androgeneæ*
vitioſum pro *Androgeoneæ*. Prop: *Reſtituit patris Androgeona focis*.
78 *Electos* nobilitate, forma, & ſorte, qui quidem ſepteni mittebantur, totidemque puellæ, hinc
recte Iſocrates, quem tamen putat Vulpius aliter ſentire, bis ſeptenos pueros ſcribit fuiſſe. Sub
79 enim puerorum nomine & puellæ veniunt, ut bis ſepteni revera fuerint. *Cecropiam* autem turrim
Athenarum, quæ & pro Athenis vel Athenienſibus uſurpatur. Athenarum vero Apollo tutor erat.
Cic: *Apollinum antiquiſſimus is, quem cuſtodem Athenarum &c.* *Minotauro* porro monſtro ex Paſi-
phae, & tauro nato. Areoſt: *Paſifae nella vacca entrò del legno*.
80 *Anguſta* hæc eſt lectio omnium MSS Voſſio, & Achille teſte, non *angulta* commentum Scaligeri.
Ægeo enim patre Theſei imperante urbs Athenarum erat brevis, & anguſta, ut fidem facit Plu-
tarchus in vita ejuſdem Theſei. Leges & *vexarentur*, ut erat fere in omnibus MSS, præterquam
82 in duobus *verſarentur* vitioſe. *Projicere* autem dicitur fere ſemper de eo, qui projicit ſciens,
prudenſque; Cic: *Rogant, ne me projiciam*, quod tamen verbum in ſacris uſurpabatur, ut corpus
Theſei quaſi diis dicatum eſſe videatur: Virg. *Projicit exta*. Leges vero *neſunera* lectionem mem-
branarum h. e. non funera, vel ſine funere; Ter. Scaurus, *Ne pro non poſitum eſt apud antiquos, ut
neſapus, qui non ſapit*. Eſt enim hæc quaſi quædam ἀνακλητική, quæ revocat, quod dixit *funera*.
Funus enim proprie eſt pompa funebris, hinc Cic: *Si funus id habendum eſt, quo non amici con-
veniunt ad honeſtandas exequias*. Si igitur pueri, puellæque, quæ Minotauro mittebantur, devo-
rarentur ſine pompa funebri, merito ait poeta *neſunera*, ita Manil: *Rapitur ſine funere
funus*.
86 *Virgo* eſt ipſa Ariadna, quæ poſtea una cum Theſeo aufugit. *Cupido* autem h. e. amore accenſo ver-
bum ſpectans ad amatores, & nuptias, ductum a Cupidine; Mart: *Cupido dabit illa marito*; poeta,
87 *Conjugis cupidem novi*. τὸ *ſuavis* vero ἀρχαϊκῶς pro *ſuaves*, ut ſæpiſſime monuimus ſuperius. *Com-
plexu* autem *matris* dicit, quia filii, puellæ præſertim maxime a matre cuſtodiuntur: poeta;
Complexu matris retinentem avellere natam, T. Liv. *Complexu matris abreptam*. Cic. *Ne matris
complexu avellet*; alibi *E complexu matris ereptus filius*. Leges *myrtus* accuſativum ἀρχαϊκὸν pro
mir-

mirtos, ut erat in vet. ſcrip. Eurotas autem flumen Laconiæ proximum Alphæo, ubi myrti, lau-
92 rique. Virg. *Audiit Eurotas, juſſitque ediſcere lauros*. Leges etiam *cuncto* lectionem omnium MSS,
94 non *toto*. *Miſere* tandem, quia amabat. Plaut. *Ut miſer eſt homo, qui amat*.
95 *Sancte puer &c.* ἀποστροφὴ ad Venerem, Cupidinemque, qui Ariadnam erga Theſeum inflam-
marunt. Venus autem, & Cupido curis gaudia miſcent; poeta, *Quæ dulcem curis miſcet amari-
tiem*. Petr. *Amor con tal dolcezza m'unge, e punge*. L. de M. *Volto è il dolce in amaro, e il
96 lieto in pianto*. Leges autem contra vitioſam editionem Aldinam ut erat in MSS *quæque regis Gol-
gos*, quod ad Venerem refertur, ut clare patet ex verbo *jactaſtis*, de qua poeta alibi, *O cæruleo
creata ponto — Quæ ſanctum Idalium, quæque Golgos colis*, ex quo loco leges & contra Scaligerum
Idalium frondoſum, non *frondoſam*.
97 *Qualibet &c.* Non eſt pœna par, quæ audaciæ correctorum reſpondere poſſit; quid tum? In MSS
omnibus Achille teſte legebatur *qualibet* venuſtum, & optimum; alibi poeta, *Qualubet eſſe notus
optas*? quod tamen reſpuerunt docti, ut eorum ſomnia, non Catullum legeremus. Senſus enim
eſt, *ſancte puer, & o Venus qualibet certe ratione jactaſtis fluctibus puellam; & ſane, quantos illa
tulit &c.* poeta alio loco *curarum fluctuat undis*. Cave igitur legas *qualibus* ſpurium, quod Vul-
98 pius ſecutus eſt, & inelegans a nemine fortaſſe aureo Scriptore pluraliter uſurpatum. *Flavo* au-
tem vel pulcro, vel capillis flavis. Hom. παρὰ ξανθὸν &c. *Ad flavum Menelaum*; alibi ξανθὸς
&c. *Flavus Meleager*: poeta, *Ut ſemel es flavo conciliata viro*; alibi, *Devota flavi verticis exu-
100 via*. *Auri* vero cum dicit, comparat auro pallorem, quo vultus Ariadnæ tingebatur. Aurum
enim vere pallidum eſt; poeta, *Aurata pallidior ſtatua*, hinc mala definitio palloris eſt apud
102 Lexicographos verbo *pallor*, in quos reclamat etiam Virgilius, ibi *Pallenteſque violæ*. Leges etiam
oppeteret cum MSS, non *expeteret*, vel *appeteret* cum Mureto, qui hoc loco ſuggerit indigna viro
docto, in quem ajo ſatis eſſe, ut *oppeteret* conveniat verbo *mortem*; ita Virg. *Seu pacem, ſeu
bella geram*; Gerere enim *pacem* inſulſum eſt, at *gerere bella* rectum, ſic Cic: *Sibi Torquem, &
cognomen indidit*. T. Livius, *ſcelus Appii, puellæ formam deplorant*.
103 *Non ingrata &c.* Ordo, lectio, & ſenſus contra Paſſeratium, criticoſque omnes, quos ſe-
cutus eſt Vulpius, talia ſunt, *Promittens divis munuſcula non ingrata tacito labello, ſuccendit
vota*, quorum ſenſus eſt, *tacite promiſit, vovitque divis munuſcula, quæ inquam munuſcula promiſſa,
& vota divis ſuccendit, & adolevit*. h. e. ſacrificavit munera, quæ voverat labello tacito. Lego
enim *ſuccendit* lectionem libri noſtri, & Maffei, & Scaligeri, & cæterorum omnium MSS Achil-
le teſte, non *ſuſpendit* fictam ab interpretibus, ſpuriam, & ineptam, quam arbori infelici ſuſpendi-
to. *Munuſcula*, quia parva quaſi ex peculio dabat; *non ingrata*, quia Dii, quibus munera fue-
runt grata, incolumem dederunt Theſeum; *tamen fruſtra*, quia, licet ipſa ſacrificaverit pro The-
ſeo, tamen ab eo deſerta in litore fuit.
105 *Nam velut &c.* Comparat Theſeum turbini eruenti quercum, vel pinum in ſummo Tauro h. e. in
vertice Tauri Ciliciæ montis, ut nobis deſcribat robur Theſei maximum. Quercus enim difficil-
lime eruitur, hinc Bocca: *Luſca per il primo colpo non cade la quercia*; quam quidem Catullianam
ſimilitudinem imitatus eſt Virgilius,
ibi, *Ac veluti annoſam valido cum robore quercum
Alpini Boreæ &c.*
& L. de M. *Come un antica quercia in alto poſta
Quando è percoſſa dal furor de' venti
Or aſſalita d'una, or d'altra coſta,
Caſcon le foglie, e i ſuoi rami pendonti
Si piegan, ſicchè a terra alcun s'acoſta.*
Areoſt: *Nè ſta ſi duro incontra Borea il pino*.
ex Hom: ὡς &c. *Veluti cum aliqua quercus cecidit*.
alibi *Velut autem cum ex ictu patris Jovis concidit quercus*: Leges &c. *conigeram* in conum deſine
tem, non vero *congeſtam*, vel *cornigeram* contra MSS. Lego etiam *corpore*, ut liquide habeba
libri ſcripti Achillis, & liber Voſſii, & noſter quoque, quod eſt γυῖον Catullianum, præſerti
cum ſupra dixerit poeta *brachia*. Nam non eſt brachium ſine corpore. Translata igitur belle ſi
invicem reſpondent; inelegantes autem, quos ſecutus eſt Vulpius, fecerunt *cortice*, ut erat tamen v
108 tioſe in uno MSS ejuſdem Achillis. Leges etiam lectionem omnium MSS allatam ab Achille *radi
bus exturbata*, non *radicitus* cum Vulpio, nec *extirpata* cum aliis utrumque fictitium, & vitioſu
109 Leges etiam *comminus obvia frangens* cum optimo libro Scaligeri; nam in aliis MSS allatis ab Achi
lateque cum ejus obvia frangens, in noſtro *lateque omeius obvia frangens*.
110 *Proſternit &c.* Ita in libro Scaligeri *proſternit*, & in noſtro, & aliis recte. Quemadmodum eni
112 ſuperius *eruit*, *cadit*, ita hic *proſternit*, non *proſtravit* vitioſum, quod ſecutus eſt Vulpius. Leges
ſoſpes, ut erat in MSS omnibus, & in libro Scaligeri, non *victor* vitioſum, quod retinuit teme
113 Voſſius. *Errabunda* autem dicit, & quia errant, vaganturque, & quia errare faciunt, & agunt e
rantem. *Filo* vero, quod acceperat ab Ariadna ad ſignandas labyrinti vias, & fallendum errore
earum.
116 *Sed quid ego &c.* Sibi calcar addit poeta ad finem imponendum hiſtoriæ Ariadnæ, ut ad nuptia
Pelei quamprimum redire poſſit, tamen dulcedine hiſtoriæ abreptus eodem hæret veſtigio. Leg
autem *in primo* rectam lectionem omnium MSS Achille teſte; nam *a primo* licet uſitatior, ficti
tia eſt; & nullo in libro ſcripto, quam tamen injuria docti, & Vulpius ſecuti ſunt; non ne
118 principio carminis digreſſus eſt poeta? igitur recte *in primo*. Leges etiam, ut habebant duo li
ejuſdem Achillis, & etiam noſter, *conſanguineæ complexum*, in quo poeta diſcedit ab opinio
cæterorum ſcriptorum poetica licentia, qua uſus eſt & in nuptiis ipſis Pelei, deſcribendaque
vigatione Argonautarum. Vitioſus enim eſt alter liber Achillis, qui habebat *conſanguineum co
plexu*; Nam liquida *m* tranſiit a verbo *complexu* ad *conſanguineum* manu librariorum.
119 *Quæ miſera &c.* Totus hic verſiculus in excuſſis pene delendus, quia non Catulli, ſed audacu
rum eſt, quos ſolito ſecutus eſt Vulpius. Nam omnis vet. ſcrip. Achille, & Scaligero teſte
concep

concepta erat, *ignata deperdita leta*, in aliis *læta*, excipe tamen librum ejuſdem Scaligeri, in
quo *ingrata*, in altero *ingnara* utrumque vitioſum, & in altero Faerni *ignata fleret*, at in noſtro
flevet, unde porro ortæ ſexcentæ lectiones alia *gnati*, alia *ingrato lecto*, alia *ignaro lecto*, alia
ingrata telæ, alia *ab gnata luctu*, alia alia fictitia, ideoque non attendenda, quia diſcedunt a
MSS libris, quos ego ſemper amandos, & colendos putavi hoc pacto *Qua miſera in gnata flevit*
deperdita, læta -- Omnibus his &c. Explico, *In gnata* h. e. in conſideratione vicis, & fati gnatæ
nempe Ariadnæ, quæ cum Theſeo ab ejus amplexu aufugerat. Fingit enim Catullus, Ariadnam
tantum non & Phædram aufugiſſe, ut patet ex illis verbis, *Ut conſanguineæ complexum*, igitur
recte *in gnata*, cum in MSS fere omnibus *ignata*; quo verbo utitur ſæpe poeta, ibi *Gnate mihi*
longa &c. alibi, *Lumina ſunt gnati nondum ſaturata figura*; perge, *flevit*; ita enim erat, ut
dixi, in libro Faerni, in aliis lacuna, quam implevit Scaliger infaceto, & fictitio verbo *vixit*,
quod certe importat longum tempus, cum revera Ariadna nuper diſceſſiſſet. *Deperdita* h. e. quaſi
ſine mente in aliis rebus, tota tamen in gnata defixa, Prop: *nondum ſenſus deperditus omnes*. τὸ
læta tandem refertur ad Ariadnam, quæ læta, & hilaris liquerat parentes, ſororemque abrepta
120 Theſei amore. Leges etiam *præoptarit*, ut infra *liquerit*. Nam in libro Scaligeri *præoptavit*, in aliis
121 *portaret*. *Praferret* igitur, quod legit Vulpius, fictitium eſt, quia nullo in MSS. Leges & *ratis*,
non *rati*; poeta enim tranſit ad univerſaliora nempe ad ratem, & conjugem. Cic: *Tanquam ra-*
122 *tis mea vehitur oratio*. Leges & *triſti*, non *dulci*, quod eſt adulterinum, cum τὸ *triſti* ſit in omni-
bus MSS. Somnus enim erat triſtis, quia fallere debebat miſeram virginem, eamque triſtem, &
afflictiſſimam reddere; ita & *devinctam* in omn. vet. ſcrip. non *devictam*. Somnus enim ligat
homines, oculoſque. Lucr. *Devinxit membra labore ſomnus*. Cic: *Arctior, quam ſolebat, ſomnus*
complexus eſt.
124 *Ardenti* h. e. amore cupido. Nam amabat adhuc Theſeum Ariadna; poeta, *Quum tantum arde-*
rem, quantum Trinacria rupes, hinc Amor aridus eſt, Prop. *Aridus argutum ſternuit omen amor.*
125 Leges autem recte cum libro ſcripto Scaligeri *clarificas* h. e. claras, non *clariſonas*, ut mallebat
Marcilius, & alii, qui fruſtra afferunt Propertium contra auctoritatem MSS. Lego etiam contra
126 doctos, criticoſque, quos ſecutus eſt Vulpius, *triſtis ἀρχαικῶς*, pro *triſtes*, ut erat in MSS omnibus
Achille teſte, & etiam in noſtro diſertim, ut *triſtem*, quod erat in excuſſis, fictitium ſit. Vocat
enim montes ipſos triſtes propter caſum infelicem Ariadnæ, cui opem ferre non poterant, quemad-
modum vocat ſuperius triſtem ſomnum ob eandem rationem *triſti devinctam lumina ſomno*; licet
enim ſomnus ſemper dulcis eſt, tamen tum triſtis fuit, quia claudere debebat oculos infelicis A-
riadnæ, quod contra Marcilium eſt eo loco *dulci* temere legentem.
127 *Unde aciem &c.* Fallitur Vulpius, qui putat verbo *aciem* ſubintelligi *oculorum*, fruſtra; Nam acies
eſt pupula oculi; Cic: *Acies ipſa, qua cernimus, quæ pupula vocatur*, hinc poeta alio loco, *Cupit*
129 *ipſa pupula dirigere aciem*; Tegmina autem ſunt cothurni, ut ait optime Scaliger, qui attulit bel-
131 le exemplum Virgilii, *ſuras vincire cothurno*. *Frigidulos* vero ſingultus ciebat, quia jam jam mo-
132 ritura erat, quare Statius, *In limine vitæ ſingultant animas*. Leges porro *avectam* lectionem om-
nium MSS Achille, & Scaligero teſte, non *abductam* ſpurium. Leges & *ab oris*, non *ab aris*
135 commentum Voſſii. *Devota* autem h. e. eſecranda; Ovid. *Vivite devoto femina, vir-*
que toro.
136 *Nulla ne &c.* Acrius inſurgit Ariadna in perfidiam Theſei, ita Cic: *Tibi nulla lex fuit? nulla*
137 *religio?* Leges autem *præſto*, ut volunt membranæ, non *prædo* ineptum, quod docti merito repudia-
138 runt. Leges etiam, ut erat in omnibus MSS nullo excepto Achille, & Scaligero teſte, *noſtri vel-*
let miteſcere pectus, ſcilicet tuum noſtri cauſa, ut explicat belle Voſſius. *Cauſa* enim ſæpe omit-
titur in oratione; Tac: *magis uſurpandi juris, quam unius culpa foret*. Non enim audienda eſt fi-
ctitia Scaligeri lectio *moſtri*, pro *monſtri*, quæ explicari nequit niſi per fas, nefaſque, cum
jam *noſtri* optime currat; multo minus *miſereſcere*, quam omnes norunt eſſe adul-
terinam.
139 *At non hac &c.* Huc reſpexit L. de M. *Dunque ſon queſte le promeſſe Amore?* Leges autem contra
Achillem, ut optime digeſſit Scaliger, *Nobis promiſſa dediſti voce, mihi non hoc miſera &c.* Nam
in MSS omnibus *vobis* vitioſum, pro *nobis*, *u*, & *n* invicem ſe commutantes, & *miſeræ*, non
140 *miſeram*, vel *blanda* in nullo. *Miſera* vero, quia amabat. Plau: *Ut miſer eſt homo, qui amat*;
142 alibi, *miſeriorem, quam te, ex amore vidi neminem*. Leges porro, ut erat in libro Scaligeri, &
noſtro, & fortaſſe etiam in aliis, *contra* recte, pro *e contrario*, non *cuncta*, quod inelegans eſt,
& ineptum. Nam Theſeus promiſit Ariadnæ unam tantum rem nempe connubia, vel quod idem
eſt, hymenæos, τὸ *cuncta* autem comprendit plures res, ut ſpurium eſſe videatur; *φέρειν* vero
ſumpta eſt a græcis; Hom. *ἔπος &c.* *verbum ferant rapientes turbines*.
143 *Tum jam nulla &c.* *παραίνεσις* qua Ariadna a Theſeo illuſa monet feminas omnes, ne viris fa-
cile credant, quem locum imitatus eſt Ovidius, *Nunc quoque nulla viro, clamabo, femina credat:*
& etiam Areoſtus, quem, niſi fallor, vidit & Vulpius,
ibi, Donne, *alcuna di voi mai più non ſia,*
Che a parole d'amante abbia a dar fede,
L'amante per aver quel che deſia,
Senza curar, che dio tutto ode, e vede,
Avviluppa promeſſe, e giuramenti,
Che tutti ſpargon poi per l'aria i venti.
Homines tamen potiori jure queri poſſunt de perfidia feminarum, in quas omnes exclamant; Prop:
Nulla diu femina pondus habet. Virg. *Varium, & mutabile ſemper femina*. Plaut: *Quaſi dicas,*
nullam mulierem eſſe bonam; poeta, *Quamvis multivola eſt mulier.*
Dant. *Per lei aſſai di lieve ſi comprende,*
Quanto in femina fuoco d'amor dura,
Se l'occhio, o il fatto ſpeſſo nol raccende.
Petr. *Femina é coſa mobil per natura,*

Ond

Ond'io ſo ben, che un amoroſo ſtato
In cor di donna picciol tempo dura.

Propertius tamen litem componit, ibi, *Nemo eſt in amore fidelis*. Leges autem contra omnes li-
bros excuſſos, ut habent omnes libri ſcripti *tum jam*, non cum Voſſio, & Achille *jam jam*, vel
nunc jam, quæ inſulſa ſunt. Nam *jam jam* valet in ira, & minis, ut vidit idem Achilles, &
Voſſius exemplo Virgilii, & Auct. inc. in Ciri, hic autem Ariadna hortatur feminas tantum, ne-
mini minatur; *nunc* vero, quod legebatur, ferendum non eſt, quia ſine ſale, at in Ovidio ci-
tato idoneum, quia reſpexit ad hunc locum, quaſi dixiſſet, non ſolum Ariadnæ ætate, ſed etiam
nunc hominibus credendum non eſſe; *tum* igitur legendum, quod idem eſt, ac *præterea*; Ter:
Tum autem hoc timet, ne deſeras ſe; alibi, *quid tum poſtea?*
144 *Speret* h. e. putet, ut alio loco, *Speret nec linguam eſſe, neque auriculas*. Cic. *Plancus, quem*
145 *ſpero optimum eſſe*, ut mirari deſinat Vulpius, poetam noſtrum ita locutum. Leges autem, ut ju-
bent MSS Achille teſte, *Quis cum aliquid*, ut τὸ *quis* ſit ἀρχαῖον pro *queis*, vel *quibus* ſubaudi
ſermonibus. Nam *qui dum* lectio eſt fictitia, & omittenda, præſertim cum *qui* a nullo regitur
verbo. *Apiſci* vero h. e. adipiſci ab *apiſcor*; Cic. *Occultandi ſui cauſa, an maris apiſcendi*. Plaut.
Sine me hominem apiſci; ex quo poetæ noſtri loco tacite colligo, Ariadnam fortaſſe vitiatam a
Theſeo fuiſſe contra opinionem Homeri
ibi Κρήτῃ &c. *Filiam Minois, quam Theſeus*
Ex Creta duxit quidem, ſed non potitus fuit,
147 *Cupidæ* tandem h. e. amore accenſæ dictum a Cupido, ita ſuperius *cupiens animus*. *Germanum* au-
150 tem h. e. fratrem Minotaurum, quem Theſeus interfecerat ope ejuſdem Ariadnæ,
151 *Deeſſem* erat in omnibus MSS, *deeſſe* in nullo, ut fidem facit Achilles. *Dilaceranda* autem cum
152 dicit, narrat tacite morem antiquorum, qui enixe curabant, ne cadavera a feris dilacerarentur;
hinc, quoties inſepultos offendebant, terram ſuper jaciebant; Hor: *At tu nauta vagæ ne parce ma-
lignus arenæ, Oſſibus, & capiti inhumato particulam dare*. Virg. *At tu mihi terram inice*; quare
153 ait ſtatim Catullus, *nec injecta tumulabor mortua terra*, licet in MSS omnibus *intacta* vitioſum,
quod tamen defendi poteſt; nam tangitur, quoties jacitur; qui quidem mos religioſus pervenit
ad nos,
Areoſt. *Io voglio andar acciò non ſtia inſepolto*
In mezzo alla campagna a ritrovarlo,
E forſe dio vorrà, che io vada ocolto.
154 *Quanam &c.* Perſtat in perſequenda Theſei perfidia; poeta alio loco, *Num te læna montibus li-*
155 *byſſinis?* Prop. *Num te conceptam ſæva læna tulit?* τὸ *expuit* autem verbum maris irati proprium;
Hom. ἀπέπτυσε &c. *expuit autem maris ſpumam*; alibi σε &c. *te peperit mare*. Tib. *Num vaſti ge-*
156 *nuerunt æquora ponti?* Leges vero, ut volunt omnes libri ſcripti, *ſcylla rapax*, non *vorax* commen-
tum cinædorum. Scyrtis porro locus arenoſus in mari; Scylla filia Phorcæ in ſcopulum periculo-
ſum mutata Circes veneficio; Charybdis femina vorax, quæ, cum boves Jovis devoraſſet, in ſco-
pulum verſa eſt contra Scyllam. Virg. *Quid ſyrtes, aut ſcylla mihi, quid vaſta Charybdis profuit?*
159 *Priſci* tandem *parentis* cum dicit, intelligit Minoa, ut docuit etiam Muretus, non Ægeum, ut
putat Vulpius, & alii. Ægeus enim non ita priſcus, nec ſævus erat, ut ejus præcepta horrere debe-
ret Theſeus, e contra Minos ſeverus in Athenienſes, quem alibi vocat injuſtum, *Injuſti regis Cor-
tinia tecta*, cujuſque præcepta inflicta eiſdem Athenienſibus de danda dape Minotauro merito hor-
rere debebat Theſeus; adde huc verſiculum ſequentem *Attamen in voſtras potuiſti ducere ſedes*. Nam,
ſi Ariadna duci volebat Athenas ad Ægæi ſedes, certe Theſeus non horrebat ipſum
Ægæum;
164 *Sed quid ego &c.* ἐπανόρθωσις, qua redit ad ſeſe Ariadna, cum eſſet inops mentis. Leges au-
tem *conqueror*, ut erat in noſtro MSS, & aliis, exceptis duobus Achillis, in quibus *conquerar* vi-
tioſum, ita Virg. *Quid loquor, aut ubi ſum?* *Ignaris* vero h. e. non gnaris, nec ſcientibus, ut ex-
plicat poeta, cum ait, *Nec miſſas audire queunt, nec reddere voces*. Non enim interpreteris ſto-
165 lidas cum Achille, quem ſecutus eſt Vulpius. Leges etiam *extenuata malo* lectionem omnium MSS
Achille teſte, & etiam libri noſtri, ita ut *externata*, quod legebatur, quodque legit & Vulpius,
adulterinum omnino ſit. Queritur porro Ariadna, auras neque audire vocem, neque reddere poſ-
ſe. Contrarium enim cum accidit, maxime ſolamur. Virg. *Datur ora tueri -- Nate, tua, & miſ-
ſas audire, & reddere voces*. Hor. *O deorum ſi quis hæc audis, Utinam interrerem nuda leones*. Plaut.
Qui aut nocti, aut diei miſerias narrant ſuas. Petr. *Aer ſacro ſereno -- Date udienza inſieme-- Al-*
169 *le dolenti mie parole eſtreme*. Leges quoque *ſic nimis*, ut erat in MSS: τὸ enim *ſic* eſt κατάφασις
170 eorum, quæ dixit ſuperius, nullum nempe mortalem apparere. Leges & *auris* ita in MSS ἀρχαϊκῶς
pro *aures*, non *auras* ineptum, ut ſenſus ſit, *Fors invidit aures hominum queſtibus noſtris* h. e.
Fors invida perfecit, ne aures audiant queſtus noſtros,
171 *Juppiter* ἐκφώνησις παθητική ut apud Terentium *Jupiter, tantam eſſe in animo inſcitiam!* Leges
autem, ut erat in omni vet. ſcrip. Achille teſte, *Utinam ne tempore primo*, ita Ennius, *Utinam
ne in nemore Pelio ſecuribus -- Caſa cecidiſſet abiegna ad terram trabes*. Lectio enim *nec tempore*
174 *primo* corruptorum eſt. *Religaſſet* vero h. e. ligaſſet. Hor: *Sine jactatam religat udo -- litore na-
vim*. Ovid. *Nox erat, querno religat in ſtipite funem.- Lux aderat, querno ſolvunt a ſtipite funem*;
Enumerat enim Ariadna omnia, quæ adventu Theſei facta ſunt, nullum verbum de ejus abitu fa-
cit, ut vident probe vel ſemidocti, de quo mone lexicographos, ut verbo *religo* ſtatim peccatum
abluant, fateanturque, *religare* numquam pro *ſolvere* uſurpari. Leges etiam *in Cretam*, ut volunt
membranæ, pro *in Creta*, quod familiare eſt Comicis, & etiam oratoribus, unde tamen motum
Theſei ad Cretam iidem lexicographi videre poſſunt, non quaſi ſolviſſet Cretam verſus, ut puta-
vit invenuſte Parthenius, ſed ita, ut ſenſus ſit, *profectus in Cretam religaſſet ibi funem*, niſi forte
ineptum poetam faciamus, qui prius loquatur de adventu in Cretam illis verbis, *tetigiſſent litora
puppes*, deinde de diſceſſu Athenis in Cretam, ut merito tollant equites, pediteſque
cachinnum.

Con-

176 *Conſilium* erat in omnibus MSS Achille teſte, ut fictitia ſit lectio Scaligeri, quam ſecutus eſt Vul-
pius, *Conſilia in noſtris requieſſet &c.* in aliis *requiſiſſet*, vel *reliquiſſet*, *re* vitio repetito ex ultimis
verbis *noſtris*, in meo *quiſiſſet*, & in uno MSS Achillis *queſiſſet*, quam optimam lectionem inter-
pretes inique ſpreverunt, ut adulterinam amplecterentur; poeta alio loco, *Ut meditarier quærunt.*
177 Quærere enim conſilium eſt malum στρατήγημα ſtruere elegans, & loco idoneum. Ibi autem *quo
me referam*, videtur imitatus Euripidem allatum ab Achille νῦν ποῖ τράπωμαι, πότερα πρὸς πατρὸς δόμους
Nunc quo me vertam? an ad patris domum? ad quem reſpexit etiam Ennius apud Ciceronem *Quo
nunc me vertam? quod iter incipiam ingredi? Domum paternam ne &c.*
178 *Idomeneoſne &c.* In MSS omnibus Achille teſte *Idmoneos* optimum, unde lego *Idomeneos* ἰδιωτικῶς
pro *Idomenei*, græce Ἰδομενεὺς, εος vel dictum adjective, ut *Achilleos*, & alia hujuſmodi. Intelli-
git enim poeta montes Idomenei nepotis Minois Cretenſium regis; quam lectionem ex eo veriſ-
ſimam puto, quia Ariadna confugere volebat ad parentes, & conſanguineos, hinc ait ſtatim *an
patris &c.* tum *Conjugis an fido*, ut ſatis conſtet, lectiones Scaligeri *Iſthmon*, Voſſi *Idomenioſque*
quam ſecutus eſt Vulpius, & *Idmneos* vel *Idomeneis* vel *Idæos* cæterorum nullas eſſe, quia inſulſæ,
& contra MSS veſtigia. Quod ſi non eſt vitioſa priſca ſcriptura Scaligeri *Iſtoneoſne*, legas *iſton'*,
eoſne, pro *iſtoſne*, *eoſne*, ut alibi poeta *viden'*, pro *videſne*, & Virg. *Juſtitiæne prius mirer, belline
labores?* non *Iſthmon*, quod male eſt. Nam in Creta Iſthmi ſunt tantum fluminum, quos non ſolum videre,
ſed ne cogitare quidem poterat Ariadna; quibus tamen omnibus lectionibus reclamat apertum A-
riadnæ conſilium, quæ conſanguineos implorare volebat, igitur perbelle *Idomeneos*, ubi duæ vocales
in unam coaleſcunt. *Montis* autem pro *montes*; *a* vero ſine aſpirata, ut præferunt veterum monu-
179 menta, interjectio dolentis; Leges tandem contra Voſſium recte cum Scaligero *diſcernens pontum
truculentum ubi dividit æquor*. Nam in MSS *diſcedens*, vel *diſcurrens pontum turbulentum*, vel
truculentum ubi dividit æquor.
181 *Reſperſum* verbum aptum natum, quoties de ſanguine ſermo eſt. T. Liv. *Reſperſa fando, nefando-
183 que ſanguine aræ*; alibi, *cæde reſperſus*; poeta infra, *reſpergas ſanguine dextram*. Leges autem cum
criticis *lentos*; Nam in MSS *ventos*, vel *vetitos* vitioſa. Virg. *Lentandus remus in unda*; quare
Turnebus male explicat Horatium ibi *lentis adhærens brachiis* ſcilicet *hederæ*. Lentus enim eſt
184 flexibilis, non piger; hinc Ovid. *Vos quoque flexibiles hederæ*. Leges etiam contra Vulpium, ut
volunt membranæ Marcilio teſte *Præterea litus, nullo ſola inſula tecto*, quod immitatus eſt Ovi-
186 dius *Quod videant oculi nil niſi litus habent*. Leges & *nulla ſpes*, *a* in *nulla* producta ob duas
187 conſonantes ſequentes, alibi *Omnia ſunt deſerta*, alio loco, *omnia ſunt ingrata*. τὸ *Oſtentant* au-
tem Virgilius imitatus eſt, *Præſentemque viris oſtentant omnia mortem*.
188 *Non tamen &c.* Iram colligit Ariadna, & pœnas poſcit in Theſeum factis dignam a diis immorta-
190 libus. Leges *poſtremo* cum MSS, non *ſuprema* cum Douſa. *Quare* autem cum dicit, Furias inferna-
192 les appellat contra Theſeum. Eumenides enim filiæ Acherontis, & Noctis, cinctæ capillos ſerpen-
tibus, Hor. *Intorti capillis Eumenidum recreantur angues*; Seneca ad eaſdem, *Adeſte, adeſte ſcele-
ris ultrices deæ*, quas eleganter deſcribit Dantes,
ibi, *Ove in un punto vidi dritte ratto*
Tre furie infernal di ſangue tinte,
Che membra feminili avieno all'atto.
E con Idre verdiſſime eran cinte
Serpentelli, e ceraſte avien per crine,
Onde le fiere tempie eran avvinte.
E quei, che ben conobbe le meſchine
Della regina dell'eterno pianto,
Guarda, mi diſſe, le feroci Erine.
Queſta è Megera dal ſiniſtro canto,
Quella, che piagne dal deſtro è Aletto,
Teſifone è nel mezzo, e tacque a tanto.
196 Lego vero lectionem omnium MSS Achille teſte *ve miſera*, non ve *miſera* cum Vulpio; *Ve* enim
vel *væ* eſt interjectio dolentis, de quo mone lexicographos. Leges & *extremis* contra Vulpium eun-
dem non *eximis*. Cum faſtidio enim repeteret infra poeta *pectore ab imo*; alibi, *Extremo tempore ſæ-
204 va fors*; ſupra, *Extremis mæſtam dixiſſe querelis*. Leges & *invicto* lectionem omnium MSS exceptis
duobus, in quibus *invito* vitioſum. τὸ *invicto* enim eſt ἐπίθετον perpetuum Jovis. Hor. *Uxor in-
victi Jovis eſſe neſcis?* Ovid. *Invicto nil Jove majus erat*; alibi, *Invicto ſunt data templa Jovi*; no-
207 ta T. Livium ad verba *annuit invicto numine*, ibi, *Annuite numen veſtrum invictum*. Spuriam quo
que lectionem excuſſorum *mentis* vel *mentem*, quos ſecutus eſt Vulpius, abluo, & retineo veram
illam omnium MSS Achille teſte *mente*, *e* longa gratia cæſuræ, ut ſolet Virgilius, Tibullus Luca-
nus, & Ovidius ibi, *Terra ferax Cerere, multoque feracior uvis*. τὸ *caligine* autem dictum με-
ταφορικῶς, ita Virg. *Involvitque domum caligine cæca*, unde etiam itali, Petr. *Ho de gravi pen-
ſier ſi folta nebbia, -- Qual ſi leva talor da queſte valli*.
208 *Pectore oblito* h. e. quod oblitus eſt; poeta alibi, *Quod miſera oblita &c.* ut fruſtra laboret Vulpius
211 cum Burmano. Legas autem, ut volunt recte omnes libri ſcripti Achille teſte, *ſoſpitem erectum* h.e.
alacrem, & ſuperbientem, hinc infra *ferox Theſeus*, liquida in *ſoſpitem* correpta, ut alio loco *&
earum omnia &c.* ita Lucr. *Corporum in plumbo eſt &c.* ita Ennius, & alii. Cave enim faveas Voſ-
ſianæ lectioni, quam amplexus eſt Vulpius *Erechteum* h. e. Athenarum; nam merum commentum
eſt aberrans a ſcriptis libris, præſertim Maffei, ubi erat tamen vitioſum *ſoſpitem & ereptum*. An-
tea enim erat projectus Theſeus ibi, *proiicere optavit corpus*, nunc victoria erigitur, *ſoſpitem*, &
erectum.
212 *Namque ferunt &c.* Narrat poeta mandata patris Ægei Theſeo inculcata. Leges autem *claſſi*, ut
erat in omnibus MSS, non *caſta*, ut corrupit Pontanus. *Claſſi* enim eſt pro *claſſe*, ita alio loco
poeta *per medium claſſi barbara navit Athon*, de quo mone lexicographos. *Diva* vero h. e. Miner-
213 væ præſidis Athenarum; T. Liv. *Sacrificio Minervæ præſidi arcis Athenarum facto*. Leges & *lin-*

217 *quentem gnatum* ita in omn. MSS, non *linqueret & gnatum* fictitia. *Reddito* h. e. edite nuper
219 in lucem, vitamque; *languida* ob ſenectutem, fletum, dolorem, & curioſum intuitum, en Vir-
225 gilius *Expleri mentem nequit, ardeſcitque tuendo.* *Vago* autem h. e. naviganti, vel iter facienti, non
erranti, ut explicat Vulpius, itaque intelligendus eſt & alibi Catullus, hinc alio loco *Ad ſe*
226 *quiſque vago pede diſcedebant.* *Incendia* vero ſpectat ad amorem, quo Ægeus Theſeum proſequeba-
tur; poeta, *Quum tantum arderem &c.* alibi *acrior ignis ardeat medullis*; rurſum, *Toque inſen-
ſus amore*; alio loco *Tum Thetidis Peleus incenſus fertur amore*.
227 *Dicet* ita in noſtro libro, & in duobus Achillis, non *dicat*, vel *decet* vitioſa. Dicare autem hic
eſt nunciare, ſignificare, ut apud Nonium allatum a lexicographis, non dictum ſimpliciter pro com-
poſito *indicare*, ut putat Vulpius. *Ibera* autem pontica, non hiſpana; ut egregie Servius apud Vir-
gilium ibi *ferrugine clarus ibera*; quamquam Cato de Hiſpania loquens *Sunt in his regionibus fer-
rariæ argentifodinæ pulcherrimæ*; de Ferrugine vero ita idem Servius *ferrugo eſt coloris genus, qui
color vicinus purpuræ ſubnigræ, & ibera pontica, non hiſpana.* Ferrugo igitur eſt πορφύρα μέλαινα
228 *purpura nigra*, quo colore tincta erant vela navis Theſei. Leges vero *Itoni*, ut erat in libro no-
ſtro, & duobus Achillis, & etiam in aliis, non *Itonis* cum Mureto, quod ineptum eſt. Incola au-
tem Itoni erat Pallas, quæ incolebat Itonum oppidum, vel Itonum montem Theſſaliæ dictum
ab Itono filio Amphictyonis, quæque patrona erat Athenienſium, Ovid. *Pallada Cecropiæ, Minoja Creta
Dianam - Vulcanum tellus Hypſipilea colit.* Leges & *fanti*, non *fancte*, ut erat temere in qui-
buſdam excuſſis, niſi forte montes feminas facias ex Horatio, *Parturient montes, naſcetur ridicu-
lus mus.*
229 *Quæ noſtrum genus &c.* Hunc verſum corrumpunt Voſſius, & Vulpius legentes *erechtei*, quod ne
ſomniavit quidem Catullus; Nam in MSS omnibus Achille, & Scaligero teſte, & etiam in noſtro
diſertim legebatur *Quæ noſtrum genus, has ſedes defendere freti annuit*, unde melior Achillis lectio
Scaligeri lectione *Quæ noſtrum genus, has ſedes defendere fretis annuit*, hæc omnia quaſi inter πα-
ρένθεσιν dicta. *Has* enim leges elegantius, quam *ac* contra Codices, & *fretis*, non *fueta*, quod
236 fictitium eſt. Lego etiam contra omnes libros excuſſos, criticoſque verſiculum, quem citat Nonius,
Lucida qua ſplendent ſummi carchesia mali; primo quia facit ad rem, deinde quia Nonius hoc non
dixiſſet, ſi codice fultus non fuiſſet, tertio quia in omnibus MSS Achille, Mureto, Scaligero, &
Faerno teſtibus, poſt verſum *Candidaque intorti* tantum eſt ſpatii, quantum uni verſiculo ſatis eſ-
ſet, tandem quia in noſtro libro liquide legitur *mali*, cæteris omiſſis, ut lacuna eſſe videatur;
neque obſtat Iſidorus, qui hunc verſum tribuit Helvio Cinnæ. Nam cæcutit eo pacto, quo cum
eidem tribuit verſum *non tereti strophio*, imo totum hoc carmen, quæ Catulliana ſunt. Leges tan-
238 dem *ætas* h. e. tempus, vel dies, non *fors*, quod eſt fictitium contra membranas. *Siſtet* autem h. e.
repræſentet, & incolumem reddat, non ſtatuet, ut credit Vulpius. Verbum enim ſumptum eſt a
juditiis, hinc *ſiſtere vadimonium* h. e. ſe in judicio ſiſtere, Cic. *Ut te, ubicumque erimus, ſiſtas*, h. e.
adſis.
229 *Hæc mandata* a Patre Ægeo inculcata ex animo Theſei effluxere, tum ob conſcientiæ ſtimulos;
Eumenides enim ab Ariadna citatæ animum alicujus delicti conſcium repræſentant, Cic: *Te con-
ſcientiæ ſtimulant maleficiorum tuorum, ut Furiæ &c.* tum ob victoriam, propter quam ferox erat,
tum ob maris tempeſtatem, quam paſſus eſt ibi, *Quo tum & tellus, atque horrida contremuerunt
240 æquora.* Porro *ceu pulſæ* cum dicit, comparat mandata, quæ evanuerunt, nubibus a vento pulſis,
fugatiſque,

Petr: *Nè mi naſcoſe il ciel ſi folta nebbia,*
Che ſopragiunta dal furor de venti,
Non fugiſſe dai poggi, e dalle valli.

242 *Proſpectum* vero *petere* idem eſt ac proſpectare, vel proſpicere, Virg. *Proſpectum pelago petit.* Le-
244 ges autem *inflati*, ut erat in libro Maffei, & etiam in noſtro, non *inflanti*, quod erat vitioſum
in aliis, multo minus *infecti* interpolatum a Sabellico. Dicit tandem *lintea veli*, quia differunt
inter ſe. Nam ex linteo conſtat velum, quod eſt quaſi totum ex parte, hinc *velum a vexillum*
245 græce σημεῖον. *Scopulorum* autem ſcilicet promontorii Sunii Atticæ terræ vulgo *Capo delle Colonne*,
ut Realinus animadvertit ex Papinio,

ibi, *Sunion unde vagi caſurum in nomina ponti*
Creſſia decepit falſo ratis Ægea velo.

247 *Sic funeſta &c.* In MSS omnibus Achille teſte *ingreſsus tecta, paterna* ſcilicet *morte*, ubi inter-
248 punges optime cum Voſſio, non *paternæ* ſpurium. Leges autem *morte*, non *marte* commentum
250 Marcilii, & *minoidi* cum Achille, non *minoida* vitioſum. Leges *quæ tamen adſpectans* in MSS
omnibus, non *quo tum proſpectans* fictitia. Videbat enim Ariadna navem cedentem h. e. abeun-
251 tem, vel videre ſibi videbatur, Prop. *Cedente carina.* Ovid. *Cedendo victor abibis.* Verſiculum tan-
dem ſequentem Virgilius pene imitatus eſt *At regina gravi jamdudum ſaucia cura.*
252 *At pater &c.* Deſcribit hic poeta partem alteram purpuræ lecti genialis Thetidos, ubi contextus
erat Bacchus dictus & Jacchus ab ἰαχῶ *clamo*, qui cum Satyris volitabat ad Ariadnam; *florens*
autem, quia floribus cinctus erat præcipue hedera, quæ ſemper viret, floretque, hinc Bacchas ita
deſcribit Ovidius, *Vite caput tegitur, lateri cervina ſiniſtro Vellera dependent*; alibi *hedera eſt ca-
riſſima Baccho.* vel dictus, quia juvenis, ut ſemper florere videatur. Spuria vero eſt lectio fere in
omnibus excuſſis, ubi legitur *at parte ex alia*; Nam omnis vet. ſcrip. habebat *At pater ex alia*
Achille, Scaligero, & Voſſio teſtibus, quod ſane elegantius eſt, & accomodatius. Nam, licet dii
omnes vocantur patres, hinc Lucillius

ibi, *Ut nemo ſit noſtrum, quin pater optimu' divum,*
Ut Neptunu' pater, Liber, Saturnu' pater, Mars,
Janu', Quirinu' pater nomen dicantur ad utrum,

tamen Bacchus præcipue pater vocatur a poetis; Hor: *Hercules, & Liber pater*; dictus enim eſt
Liber a liberis h. e. filiis, ut nomen patris ſibi ſuo jure quodammodo vindicet. *Ex alia* porro
abſolute poſitum; nam facile ſubintelligitur *parte*, quod familiare eſt poetis, & oratoribus; Cic:
licet

licet utrique primas, (ſubaudi partes) *priores tamen deferunt Lelio*. *Nyſigenis* tandem, quia nati,
& educati in urbe Nyſa, ubi natus, & altus fuit a Nymphis Bacchus; Hom. Νύσσης &c. *Nyſſa in vallibus*
254 *Te quærens* dicit, quia Ariadna, poſtquam deſerta fuit a Theſeo, Baccho nupſit, a quo tamen
& ipſo ſola relicta, quæ lugens in litore in cælum tranſlata fuit una cum ejus corona, quæ
Gnoſſia dicitur a Venere donata, Ovid. *Ille obiit, eadem crimina Bacchus habet*; alibi, *Gnoſſida*
256 *Theſeo crimine facta dea eſt*. Porro *evoe bacchantes evoe* idem eſt ac clamantes evoe vocem Bac-
chantium. Hor: *Evoe parce Liber*. Bacchari enim proprie eſt clamare a βάζω *loquor*, hinc Bac-
chus, de quo, ut ſuperius dixi, mone lexicographos. *Inflectentes* autem h. e. quatientes; poeta
ſuperius *Capita manades vi jaciunt heredigera*. Tib: *Jactavit fuſas & caput ante comas*; *thyrſos*
258 hedera involutos. Hor. *Parce gravi metuende thyrſo*. Deinde leges *divolſo* ex vet. ſcrip., non *di-*
vulſo. Leges etiam cum optimo codice Scaligeri, & noſtro *raptabant* verbum, quod importat *rap-*
tim devorare bacchantibus idoneum. Plin. *Semine raptim avium fame devorato*, & Mart. *Qua de*
ſtygio rapuiſti, Cinname, lecto. Non enim legas cum Voſſio *jactabant* lectionem ſi non fictitiam,
259 ſaltem vitioſam. *Serpentibus* poſtremo, quia Bacchæ, & Sileni ſerpentibus caput cingebantur,
hinc Horatius ad Bacchum, *Coerces viperino Biſtonidum crines*.
261 *Orgia &c*. Sacra erant apud græcos ad Deos quoſvis ſpectantia, κατ' ἐξοχὴν tamen ad Bacchum,
quæ in ciſtis tertio quoque anno peragebantur, hinc Virg. *Audita trieterica Baccho orgia*, quibuſ-
262 que profani homines adeſſe non poterant. Leges autem *alia*, ut eſt in MSS Scaligeri, & noſtro,
non *alii* interpolatum a corruptoribus. Thyaſus enim conſtabat ex Satyris, Silenis, & Bacchis,
quæ dicebantur Mænades, Dyades, Mimallonideſque; *proceris* vero *palmis* h. e. manibus expanſis;
poeta alibi, *Quatienſque terga tauri teneris cava digitis*, *Ære* tandem h. e. tuba, en poeta ſu-
perius *Tympanum, tubam Cybeles initia*. Sacra enim Bacchi eadem erant, ac Cybeles, ut faten-
tur omnes docti, qui tamen falluntur putantes, tubam in ſacris Cybeles in uſu non fuiſſe, ut pa-
tet ex hoc loco, & ſuperius ad carmen *ſuper alta vectus &c*.
264 *Multi* erat in omnibus MSS Achille, & Scaligero teſte, ut *multis*, vel *multa*, quæ legebantur in
excuſſis, ſpuria omnino ſint; Intelligit enim poeta Satyros, & Silenos, de quibus ſuperius *Cum*
tyaſo ſatyrorum; commentum etiam eſt *verſus raucisonis efflabant cornua bombis*. Nam omnes mem-
branæ habent *raucisonos bombos* rectius; dicitur enim *efflare halitum* apud Ciceronem, igitur re-
cte & hic *efflare bombos* h. e. ſonos; *cornua* autem in eodem caſu; nam ſi efflant cornua, & bom-
bos, ſi bombos, & cornua. Neque legas *inflabant*, neque cum Voſſio, quem ſecutus eſt Vulpius,
efflebant, quod neque eſt in libris ſcriptis, nec ſatis commode explicatur. *Barbara* autem h. e.
Phrygia; Phryges enim a græcis barbari vocabantur.
265 *Talibus &c*. Hactenus Catullus narravit ea, quæ acu texta erant in purpura lecti, nunc ad propoſitum re-
dit. Ait enim principio, pubem Theſſalam intentam fuiſſe in purpuram examinandam, hic vero
fingit, eandem pubem abire, locumque dare diis, cujus abitum comparat undis maris, quæ a vento
impulſæ ſe ſe invicem agunt. Leges autem *decedere*, non *dein cedere* cum Achille, *Horrificans* vero
269 h. e. ita criſpans, ut horrorem quodammodo incutiat; *proclivas* autem ἀρχαϊκῶς pro *proclives* erat in
271 MSS. *Aurora* porro non eſt dicta ab *auro*, vel ab *aura*, vel ab αὔρα, ut putant lexicographi, ethymo-
272 logique, ſed ab *aureis Horis*, quaſi ſit ipſæ quatuor deæ Horæ, quæq. ſolis miniſtræ, hinc Ovid. *Jun-*
gere equos Titan velocibus imperat Horis, quæque vocantur aureæ, quia perculſæ a colore Solis, cujus per
petuum ἐπίθετον aureus eſt; Catullus, *Sed ubi oris aurei Sol*, eademque ratione dicta fortaſſe potius
aurora eſt ab ore aureo, quaſi ſit os ſolis aureum, quod primum hominibus ſe oſtendit, Virg. *Sol aureus*
extulit os.
273 *Qua tarde &c*. Ad hunc verſum, & qui ſequuntur, reſpexit Areoſtus,
ibi, *Qual vener ſuol nel ſalſo lito l'onda*
Moſſa dall'auſtro, che a principio ſcerza,
Che maggior della prima é la ſeconda,
E con più forza poi ſegue la terza,
Et ogni volta poi l'umore abonda,
E nell'arena più ſtende la ſferza.
Nam & in membranis omnibus Marcilio
274 Leges autem cum optimo libro ſcripto Scaligeri *leni reſonant*. teſte *leni reſonant*, ut cæteras lectiones criticorum, quos ſecutus eſt Vulpius, *leni & reſonant*, vel *le-*
vique ſonant, vel *leviterque ſonant*, leves, & fictitias exſibiles. *Cachinni* vero de ſonitu undarum di-
cuntur, non quia undæ diffundantur in longum, ut hominis os, ut ſcribit Muretus, qui ad chechin-
num movet ſeveriores, ſed quem edunt & ad litus & a litore longe, hinc ait *plangere*. Plangunt enim un-
276 dæ ſe ſe invicem in alto, Attius allatus ab Achille *Unda ſonando cum ſtrepitu clangentes cachinnat*. porro
277 *luce* h. e. aurora, vel Sole; Virg. *Claraque in luce refulgent*; *veſtibuli* autem dictum per ὑπαλλαγὴν, pro
278 *veſtibulum regiorum tectorum*. Leges vero *ad ſe*, ut erat fere in omnibus MSS, non *a ſe*, quod erat vi-
tioſum in uno. *Ad ſe* enim elegantiſſimum eſt h. e. domum, apud ſe; poeta alio loco, *Cenabis bene mi,*
Fabulle, apud me. Cic: *Fuit ad me ſane diu*.
279 *Quorum poſt abitum &c*. Poſtquam abiit Theſſala pubes, princeps h. e. prior advenit ad nuptias Chiron
Centaurus filius Saturni, attulitque floreas coronas, quia, ajo, flores ſpectant ad nuptias. Plaut. *Coro-*
281 *na florea imponentur in focolari -- Ut fortunatas faciant gnatæ nuptias*. Juv. *Necte coronam poſtibus*. Leges
284 autem *quotcumque* cum Vulpio, quem puto non temere, ſed cum MSS ita mavelle. Leges contra eundem
virum doctum, ut vult ratio, & liber noſter ſcriptus, & alii, *Hos indiſtinctos plexis tulit ipſe corollis*, non
indiſtinctis plexos &c. Nam τὸ *indiſtinctos* pertinet ad colores, *plexis* ad corollas, poeta alio loco *diſtin-*
285 *ctos educit verna colores*; Lucret. *Caput plexis redimire corollis*. Leges etiam *Quod permulſa*, quod pro
qua re, vel *quam ob rem*, nempe flores, Ter. *Metuo, ne morbus aggraveſcat*; *quod te, Eſculapi, ne*
quid hujus ſit, oro. Delendum enim eſt *queis*, quod legebatur, quod Vulpius ſecutus eſt, quod nullo
eſt in MSS; nam omn. vet. ſcrip. *quod* habebat, duo tamen libri Achillis *quot* ἀρχαϊκῶς pro *quod* ut *haut*
pro *haud* ſæpe apud veteres poetas, hinc Faernus mallebat *quo* fruſtra; nam *quod* omnino rectum eſt.
Riſit tandem eleganter dictum ad inanimata; Hor. *Ridet argento domus*, quod itali imitati ſunt, Petr.
Ridono i prati, e il ciel ſi raſſerena; omnes tamen a græcis, Heſi: γελᾷ δέ τε δώματα πατρὸς Ζηνὸς,
rident autem ædes patris Jovis.
286 *Confeſtim &c*. Secundus fuit Peneos ἀρχαϊκῶς pro *Peneus* filius oceani, flumen Theſſaliæ, quod

 oritur

oritur ex Pindo, alluit Lariſſam, curritque per planitiem Tempe amœniſſimam, quam laudat Virgi-
lius, *Spelunca, vivique lacus, & frigida Tempe*, quamque deſcribit diſertim Laur. de Medicis,
ibi, *Peneo è il fiume, e il paeſe, che ride*
D'intorno, è detto Tempe, una pianura,
La quale il fiume egualmente divide.
Cinge una ſelva ombroſa, non oſcura
Il loco, piena di ſilveſtre fere,
Non inimiche alla noſtra natura,
Vari color di fior ſi può vedere,
Si vaghi, che convien, che ſi ritarde
Il paſſo vinto dal novel piacere.
Quivi non ſon le notti pigre, o tarde,
Nè il freddo verno il verde aſconde, e gela,
Ove le frondi tenere ritarde.
Nè l'aer nubiloſo ivi congela
Il frigido Aquilon, nè le corrente
Acque ritarda il giaccio, e i peſci vela,
Del Sirio Can la rabbia non ſi ſente,
Nè par, che a terra i fior languenti pieghi
L'arida arena, anela, e ſitiente,
Nè ſi fende la terra, acciò, che i prieghi
Suoi vengano all'orecchie di Giunone,
Che l'acque deſiate più non nieghi,
Eterna primavera, una ſtagione
Sempre è ne' luoghi deſioſi, e belli,
Nè per voglier di cielo han mutazione,

Leges autem *adeſt* lectionem omn. MSS Achille teſte non *adit*, vel *adeunt*, quod tamen erat vitioſum
in uno. Leges & *viridantia*, non *undantia* cum Achille. Nam in MSS *ut viridantia*, *ut* additum
ab inepto librario ex fuſca lectione *adeunt*, & Virgilius ibi *nudantem buxo* citatus a viro docto habet ſuam
288 elegantiam propter τὸ *buxo*, e contra in Catullo inlepidum eſt, quia nimis abſolutum. Ventum tan-
dem eſt ad eum locum, ubi Scaliger triumphat lectione commentitia ſua *Minyaſin linquens doris celebran-
da choreis -- Cranona erit namque &c.* injuria. Nam reclamat ſyllaba brevis prima in *Minyaſin*, recla-
mat Catullus, quem cogit græciſſare, reclamant MSS, ideoque merito fuganda tanquam cornicula ad
gregem ſuum. Guarinus legit non *vacuus* fruſtra, quem tamen fere omnes ſecuti ſunt; alii *Mnioſium*,
Minoſium, *Nereidum*, *Cloris*, *Nonacriis*, *aeriæ*, alii alia, quia fictitia cum Scaligero exſibilanda,
Nam in omnibus MSS Achille, eodemque Scaligero, & Marcilio teſtibus, ita legebatur,

Minoſim linquens Doris celebranda choreis
Nonacrios. Namque ille tulit &c.

In aliis tamen *Nonacrias*, & *non acies*, ut in libro Maffei, & in noſtro *Venoſy Doris choreis nonacrios.
Nam quæ ille tulit &c.* unde & hunc locum nunquam ſanatum, ſuperis bene juvantibus, reſtituo hoc pacto,

Vinoſus linquens Doris celebranda choreis
Nonacrios, Nam, quę ille tulit &c.

Vinoſus, ita alibi in MSS erat *Nereus*, & tamen vera lectio *Heroum*; Vinoſus autem h. e. vini cupidus. Hor.
Vinoſus Homerus. Peneus enim erat ſane vini cupidus, quia in aqua degens, ibatque ad nuptiale con-
vivium, ubi dapes, & vina electiſſima; poeta infra, *Conſtructa ſunt dape menſæ*, niſi forte legamus
Venoſus h. e. plenus venis, ac rivis... Porro *Doris choreis* cum dicit, alludit ad Doricas puellas, quæ in
289 phænomeridibus ſaltabant, ut ait optime Scaliger. *Nonacrios* recte ſubaudi κατὰ, vel *in mores* h. e. Ar-
cadico more, cum cantu. Nam ubi ſaltus, & cantus. Virg. *Cantare periti Arcades*. Perge *Nam, quæ il-
le tulit &c.* nihil muto; Nam nihil melius ſcribi poteſt, quod tamen critici, quos Vulpius ſecutus eſt, ſo-
lito reſpuerunt, præſertim Scaliger legens, quæ ſomniavit noctu, *Crannona erit namque tulit*, contra
quem audi σύνταξιν verſiculorum, *Nam, quæ ille tulit fagos, platanos, cupreſſus, hæc circum ſedes
locavit, ut &c.* τὸ *Nam* inſeruit tranſitioni, ut apud Cic. *Nam, quod negas, te dubitare, non video
&c.* alibi, *nam quod purgas &c.* Poſtquam enim Catullus nonnihil immoratus eſt in laudanda Tempe
planitie, pergit porro, & tranſit ad ea enarranda, quæ Peneus ad nuptias attulerat; ex qua nitidiſſi-
291 ma explicatione videte frontem criticorum, qui libros ſcriptos pili faciunt. Leges etiam *nutanti* opti-
mum; nutare enim eſt moveri ſpectans ad ramos, & brachia, hinc alio loco, *nutantibus aera pennis*,
quod hoc unum fugat fictitia doctorum, præſertim *lætanti* commentum Voſſii, quem ſecutus eſt Vulpius.
Leges etiam *lentaque*, ut fidem facit fere omnis vet. ſcrip. Marcilio teſte, non *læta* vitioſum, & *fleta* ſpu-
rium, quod Vulpius ſecutus eſt; præterquamquod *fleta* pro *flente* inelegans eſt dignum Apulejo, non
Catullo nitidiſſimo. Soror enim lenta Phaetontis eſt una ex Heliadum, quæ, cum extinctum a fulmi-
ne patris Jovis fratrem lugerent, converſæ ſunt in populos arbores, vel, ut ait Virgilius, in alnos, ex
292 quibus guttæ, quæ porro in electrum dureſcunt, continuo fluunt. Leges & *cupreſſu*, non *cypariſſo* fictum
ab eruditis. Cur vero attulit has arbores Peneus? quia platanus, fagus, laurus, & cupreſſus erant læ-
ta, & ſpectabant ad nuptias; Hor. *Platanuſque cælebs*; Dictus enim cælebs, non quia vitibus non ma-
ritetur, ut putat Vulpius, & fortaſſe etiam interpretes Horatiani (nam cælibes vocari poſſent ſexcentæ
aliæ arbores, quæ vitibus non maritantur), ſed quia, ut dixi, ſpectat ad nuptias, virgineſque, hinc
& Ovidius vocavit laurum innubam ibi, *Fagus, & innuba laurus*, *Et platanus genialis* h. e. ad lectum
genialem pertinens. Prop. *Si quos habet arbor amores -- Fagus*. Virg. *Laurus erat tecti medio*. Cupreſſus
tandem in rebus lætis adhibebatur, ut fidem facit Plinius loco neſcio quo, & Virgilius ibi, *Læta cupreſſus*.
293 *Hæc &c.* h. e. hæc contexta, non hæc Doris, ut explicat Vulpius nimis poetice. Doris enim neque lo-
cum hic habet, neque rem. *Circum ſedes*, quia lectus ſponſæ erat in ſedibus mediis; poeta, *Pulvinar
geniale locatur ſedibus in mediis*; hinc etiam Virgilius citatus, *Laurus erat tecti medio*.
295 *Poſt hunc &c.* Tertius venit Prometheus, qui præſeferebat adhuc veſtigia veteris pænę, quia ol m, igne
ſolis furtim ablato, catena ſilici obligatus fuit ad montem Caucaſum, cujus cor a vulture devoraretur.
299 *Inde &c.* Porro advenit Juppiter ad nuptias una cum conjuge Junone, & filiis, excepto Phœbo, & Dia-
303 na, unigena dicta, quia uno, eodemque partu cum Phœbo nata, de quo mone lexicographos. Nota au-
tem *cultricem*; Cultrix enim abſolute ſemper eſt montium cultrix, ut apud Virgilium, *Mater cul-*

trix

trix Cybele, de quo mone lexicographos. Leges vero lectionem omnium MSS, quam fatentur critici ad
unum omnes *i tri* vetuſtum pro *ydri*, vel *hydri*; ſpuriæ enim ſunt cæteræ lectiones doctorum *Idæ*, vel *udis*,
vel *Ityni*, vel *Itonis*, ut inlepide Pallas intelligatur, quæ non erat ſoror Apollinis, ut vidit optime
& Muretus ex verſu *Pelea nam tecum pariter ſoror aſpernata eſt* merito contra Petrum Victorium, quem
ſecuti ſunt & lexicographi noſtri verbo *unigena* moniti, multumque monendi, ne obtrudant hæc ridi-
cula ſemidoctis, neve deſinant, quæ perfecta, & abſoluta venditare ſolent, ſeveriori trutina exami-
nare. Neque legas *in montibus* cum Mureto (τὸ *in* enim nullo eſt in MSS) ſed *montibus*, ut apud Per-
ſium allatum ab Achille *illis relinque*; poeta de Diana, *Montium domina*, Idæ tamen in Creta, ubi
erat ejus domicilium; Ovid. *Minoja Creta Dianam colit*. Lectio autem hæc *hydri*, quæ veriſſima eſt,
non Davum, ſed Oedipum deſiderat. Scaliger explicat montes Delphicos propter Pythonem ſerpentem
ibi ab Apolline ſagittis confixum; Sed hæc & longe petita ſunt, & nullum habent locum. Nam ſermo
eſt de Diana, non de Apolline, itaque cadit & Vulpius explicans montem Cariæ, in quo plura op-
pida Phœbo, & Dianæ conſacrata, immo ruit per caputque, pedeſque. Nam num, quia oppida Dianæ
dicata ſunt, cultrix eſt illius montis ipſa Diana? minime. Achilles legit *hydræ*, fruſtra; Nam recla-
mant MSS. quid tum? puto Catullum dedita opera ſcripſiſſe *hydri* h. e. cultricem Aquarii, qui dicitur
Hydrochous, & Hydrus, vel cultricem fontium, amnium, & aquarum ab ὕδωρ *aqua*, poeta de Dia-
na, *Montium domina, amniumque ſonantum*, ut optime Marcilius philoſophatus eſſe videatur, prop-
ter pluviam Apollinem, & Dianam h. e. ſolem, & lunam illis nuptialibus diebus latitaviſſe, ut nuptias
Pelei, Thetidoſque aſpernati eſſe videantur. Quod ſi Homerus, & Æſchylus Phœbum, & Dianam nup-
tiis hiſce interfuiſſe dicunt, hoc freti poetica licentia faciunt, vel ſi revera interfuerunt, tamen Catul-
lus ποιητικῶς ſumpta occaſione a pluvia merito neque Apollinem, neque Dianam interfuiſſe dicit.
304 *Qui poſtquam &c.* Simul ac ſuperi ad menſam accubuere, Parcæ cæperunt canere felicia omina Peleo,
308 Thetidique. Solent enim Parcæ nentes canere, Ovid. *Parcæ fatalia nentes bis cecinere tibi*; Tib. *Hunc
cecinere diem ſtamina nentes Parcæ*. Leges & cum viris doctis *quercus* lectionem omnium MSS criticis
omnibus teſtibus, in quibuſdam tamen *queſtus* vitioſum, unde *veſtis* fictitium. Parcæ enim veſtieban-
tur quercu, quia & erat fatidica, & diu vivit, Virg. *annoſa quercus*, Parcæ autem fatum denuntiant,
& ſunt decrepitæ, de quibus poeta *His corpus tremulum &c.* ut quercus Parcis conveniat neceſſe ſit. Le-
ges etiam, ut erat in om. vet. ſcrip. Achille teſte, *Tyrios intinxerat*, non *intexerat*, vel *ineinxerat*, non
Tyro, vel *talos*, quæ adulterina Vulpius ſecutus eſt. Proverbio enim celebrantur purpuræ, quæ in ma-
ri Tyrio capiuntur; Mart. *Tyron epotavere lacernæ*. Virg. *Tyrio conſpectus in oſtro*.
310 *At roſeo &c.* Hunc quoque verſum corrumpunt Guarinus, & Voſſius, ille *roſea niveo*, hic *ambroſio* com-
mentitia omnia, & inania. Nam in omn. MSS Achille teſte *roſeo nivea*, Nam Parcæ roſeis corollis ca-
put cingebantur, & albis veſtibus induebantur, en Plato de Parcis loquens θυγατέρας &c. *Filias Fati
albis veſtibus coronas capite habentes*.
312 *Læva colum &c.* ὑποτύπωσις elegantiſſima nentium Parcarum, quæ Xeuxidis tabulas vincere poſſet.
315 Leges autem audacter *amictum* lectionem omnium fere MSS, porro & *libratum*, non *vibratum* fictitium.
317 *Morſa* porro h. e. morſu decerpta, de quo fruſtra Vulpius monet lexicographos. Spuria etiam eſt, &
318 inelegans lectio, quam legit idem vir doctus *in leni*, cum in MSS ſit *in levi* rectum, & idoneum. Nam
319 filum revera erat leve, & politum ex eo *æquabat opus dens*; *Candentis* autem non felicis, ut ajebat
idem Vulpius, ſed revera candidæ; neque obſtat Horatius allatus ab eodem *Sororum fila trium patiun-
tur atra*. Nam ibi *atra* eſt pro *ſæva*, ita Lyricus alio loco *atras viperas* dixit. Quomodo enim ad felicia,
quæ hominibus aliquando occurrunt, fila nigra accomodari poſſent? utcumque ſit, certe lana hæc,
320 quæ nebatur pro dea, ſemideoque, candida erat ad portendendam felicitatem. Dein *cuſtodibant* ἀρ-
321 χαϊκῶς pro *cuſtodiebant*, ita alibi *audibant* pro *audiebant*, de quo mone lexicographos. Leges & *pellentes
vellera* ut erat in noſtro, & aliis, h. e. agitantes vellera, ut ſolent femellæ, quæ percutiunt vellera,
antequam colo eadem involvunt; Ter. *Tune has pepuliſti fores*? Lectio enim Achillis *pectentes*, & Faerni
nera repudianda eſt, quia contraria MSS, multo magis pellenda explicatio Vulpii, quaſi *pellentes* ſit
idem ac hortantes vellera, ut currant. Nam hic iterum incipiunt Parcæ, expleta una colo, ibi *la-
322 neaque aridulis hærebant morſa labellis*, in altera nova colo laborare. Neque legas cum Voſſio *diviſo* ine-
323 leganter. Nam in MSS *divine*, hinc infra *divino cecinerunt omine Parcæ*. Parcæ enim divinant futura.
Rectum tandem eſt *perfidiæ*; nam in MSS *perflabant*, & in noſtro *perfidant*, unde docti *perfidiæ*.
324 *O decus &c.* Sermo eſt ad Peleum, ejuſque laudes. Lego autem, ut erat in omnibus MSS Achille teſte, *&
magnis*, quod omiſerunt inique libri excuſſi. Peleus enim erat decus eximium nobilitate, & augens
325 virtutibus, Hor. *Grande decus, columenque*. Tranſeo ad criticorum ſomnia, quibus plenus eſt Catullus,
Emathiæ columen Peleu clariſſime nato. Hic enim verſus, ſi τὸ *Emathiæ*, *&* *nato* excipias, nullo eſt in
MSS, quem tu remigio, veloque fuge ſpurium, & inſulſum. In noſtro enim libro, & in optimo Maf-
fei erat *Emathiæ tutamen opis*, in cæteris *Emathiæ tutamen*, ita etiam erat in omnibus MSS Achille
teſte *cariſſime nato*, non *clariſſime* commentum doctorum, quos Vulpius ſecutus eſt. *Opis* vero ajo idem
eſſe, ac *divitis*, & *opulentæ*, cujus contrarium *inops*, ut docet Feſtus; Cave enim cane pejus Voſſium,
quem, niſi fallor, idem Vulpius ſecutus eſt, putantem, *opis* eſſe deam Opem nempe terram, quod
ſane ridicula res eſt. Tandem *cariſſime nato*, quia Peleus carus quidem erat, ſed cariſſimus nato, quia
328 procreavit Achillem pene divinum hominem: *Currite* tandem, quia, quoties currunt fuſi, vivimus,
quoque velocius, eo fortunatius. Virg. *Dixerunt currite fuſis — Concordes Parcæ*; Leges autem *ſubtemina*
ſemper, non *ſubtegmina*, ut docuit erudite Achilles. Nam componitur ex *ſub*, & *flamen*. Subtemen
vero eſt, quod e colo detrahitur, Ter. *Anus ſubtemen nebat*, differt tamen a ſtamine, quia mollius, &
ſubtilius, hinc ait ſuperius, *mollia lanæ vellera*.
329 *Adveniet &c.* Hinc incipiunt Parcæ omina felicia canere Peleo, Thetidique; *ſidere* autem h. e. Heſpero,
330 vel ſtella Veneris, ſponſis cariſſima, cujus adventu nuptiæ celebrabantur; poeta, *Heſpere, qui deſpon-
331 ſa tua firmas conubia flamma*, Lego autem ut erat in omnibus MSS Achille teſte, & etiam in noſtro,
Quæ tibi flexanimum mentis perfundat amorem. Interpolatitia enim eſt lectio, quam tamen Vulpius,
ſecutus eſt, *flexanimo mentem perfundat amore*. Itaque *animum mentis*, h. e. meliorem animi partem,
ut alio loco vice verſa, *mens animi*; Plaut. *Nubila mentem animi habeo*; *perfundat* vero tranſlate dictum
333 a rebus liquidis; hinc Virg. *Longumque bibebat amorem*. Porro *levia* cum dicit, tangit conjugum luſus;
Prop. *Quam vario amplexu mutamus brachia*,

Nulla

335 *Nulla domus &c.* Hic verſus, & duo ſequentes omnino Catulliani ſunt, quia leguntur in libro ſcript.
Maffei Achille teſte, & in duobus Bibliot. Saibantium Veronæ, ut fidem facit Vulpius, & etiam in no-
ſtro, ut Scaliger, qui illos tres verſus reiicit, Marullianoſque facit, impie Catullum caſtrare videatur.
339 *Naſcitur &c.* Prolem ſponſis precantur. *Pectore* autem, quia vulnera pectore accepta fortis eſt; contra
340 vilis, quæ tergo accipiuntur. Ovid. *Diffugiunt hoſtes, inhoneſtaque vulnera Tergo accipiunt. Pravor-*
342 *tet* h. e. præcedet, ſuperabitque, Virg. *Curſuque pedum prævertere ventos*, quibus verbis Poeta noſter
345 laudat Achillis celeritatem, qui & ab Homero vocatur πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς *pedibus velox Achilles.*
Leges autem *rivi*, Nam in noſtro *tine*, & in optimo Maffei *tenen*, quanquam in aliis *teucri* vitioſum.
346 *Longinquo* h. e. in decimum annum producto. Dicitur enim non ſolum de loco, ſed etiam de tempore,
347 ut apud Ciceronem, Livium, & alios. *Tertius* tandem *hæres* eſt Agamemnon dux Græcorum filius
Atrei, & nepos Pelopis periuri, quia fidem datam Myrtillo aurigæ fefellit, nec dimidium regni de-
dit, immo perfide interfecit; dicit autem *tertius*, non quia Pelops tres habuerit, vel inſtituerit hære-
des, ſed quia Pelopis bona tertia tandem vice pervenerunt ad Agamemnona, ut habemus ex Homero
ibi, πέλοψ δῶκ' Ἀτρέϊ. *Pelops dedit Atreo, Atreus moriens reliquit Thyeſti, Deinde Thyeſtes Agamemno-
ni reliquit.*
350 *Matres* nempe feminæ Trojanæ a rebus geſtis filiorum occaſionem ſument collaudandarum, & rerum ge-
351 ſtarum Achillis. Noto autem, vellicoque criticos omnes, præſertim Scaligerum, cujus lectionem fi-
ctitiam ſemidoctiores ſecuti ſunt illam, *quam cinere incanos &c.* Nam omn. lib. ſcript. eodem Scaligero,
Marcilio, & Voſſio teſtibus habebant, *Quum in cinerem canos &c.* quamquam in aliis allatis ab Achil-
le, *Cum in civium canos*, vel, *Quum incurvum canos* vitioſa quidem, ſed quæ optimam cæterorum
MSS lectionem confirmant, quam etiam Vulpius ſecutus eſt, a quo tamen in explicando diſcedo.
Non enim ſolum intelligas crines fædatos, ſed crines tonſos, & igne diſſolutos in cinerem. Solebant,
enim græci in funere tondere crines, quos in ignem conjiciebant, ut colligo ex Hom. ibi, κειράμενοι χαίτας
352 *Tonderumque crines*, Leges & *putrida*, non *putida*, quod erat vitio in uno MSS; in aliis enim liquide
putrida pugnis nempe, quibus affectæ fuerunt alias in funere parentum, vel *putrida*, quæ facili ſe-
nectute putreſcunt. *Infirmis* autem non ipſo planctu infirmis, ut ait Achilles, ſed ſenectute. Senes
enim præſertim feminæ infirmæ ſunt, & imbecilles; poeta de Parcis, *Infirmo quatientes corpora motu.*
τὸ *variabunt* vero Plautinum eſt, *Variabo virgis, loriſque.*
354 *Namque velut &c.* Perſtat poeta in laudanda Achillis fortitudine, quem comparat colono ariſtas deme-
tenti. Leges autem cum Achille, & Scaligero *præcernens*, quod erat fere in omnibus MSS, deque quo
mone lexicographos, & *proſternens*, quod erat fictitium in quibuſdam excuſſis, quodque Vulpius ſe-
cutus eſt, reiicies, quia in nullo legitur libro ſcripto; porro leges & *cultor* lectionem omnium MSS,
non *meſſor* libri nullius, quod & hoc ſpurium idem Vulpius ſecutus eſt.
358 *Teſtis erit &c.* Teſtem vocat Scamandrum flumen ad Helleſpontum, quem dii vocant Xantum, Hom.
361 Ξάνθον &c. *Xantum vocant Dii, homines Scamandrum. Quoius* vero eſt ἀρχαῖον pro *cujus*. *Tepefa-
ciet* tandem ob tepidam ſanguinis copiam.
363 *Denique &c.* Appellat teſtem & Polyxenam filiam Priami, & Hecubæ, quam ad ſepulcrum Achillis
Pyrrhus ſub ſpecie matrimonii obtruncavit, ut eadem Polyxena tanquam præda reddita eſſe videatur
365 Achilli mortuo. Lego autem ut erat fere in omnibus MSS Marcilio teſte *perculſa* non *percuſſa*, ut erat
in quibuſdam vulgatis. *Solvere* vero *vincla* eſt diruere compagines tanquam vincla murorum. *Neptunia*
autem dicit, quia Troja ab Apolline, & Neptuno ædificata primo ab Hercule, deinde ab Agamemno-
366 ne capta, incenſaque fuit; Leges recte cum eruditis *madeſient*; nam in MSS *madeſcent* vitioſum. *An-*
370 *cipiti* h. e. utrinque acuto; eſt enim *ab an*, & *capere*; nam ferrum utrinque acutum utrinque capi po-
371 teſt. *Proiiciet* tandem non tanquam rem minimi pretii, ut explicat Vulpius, ſed rem Achilli quaſi
ſacram, dicatamque. Proiicere enim eſt aliquando ſacrificantium, poeta, *Proicere optavit corpus &c.*
373 *Quare agite &c.* Formula hortantis, lætantiſque, ut alio loco, *Quare age, huc aditum ferens perge.*
Tibul. *Dum fata ſinunt, jungamus amores. Filo*, quo circundabat collum ſponſæ nutrix, ut inde col-
ligeret, utrum tacta fuerit a marito, nec ne. Nam venæ colli in Veneris pugna tum morſiunculis
amatoriis, tum vi coitus dilatantur.
383 *Talia &c.* Hic cantus Parcarum finem habet; τὸ *Pelei* autem ἑλληνικὸν, pro *Peleo* τῷ Πηλεῖ. Leges ve-
384 ro optime cum optimo libro ſcripto Scaligeri, & noſtro, *omine*, non *pectore* puto fictitium; ita ſupe-
385 rius *divino fuderunt carmine fata.* τὸ *ante* autem eſt pro *olim*, Ovid. *Ante mare, & tellus &c.* de quo
mone lexicographos. *Caſtas* porro h. e. pudicas. Nam ſermo eſt de nuptiis. Hor. *Nullis polluitur caſta
domus ſtupris.*
386 *Heroum* hæc eſt vera lectio Sigicelli. Nam in MSS *Nereus*, in aliis *Hereus*, & Marcilio teſte in quibuſ-
dam *Heroum*, ut *ſæpius* fictitium ſit, & *Nereus* ineptum. Nam de Nereo nullum uſpiam verbum, quod
tamen fecit poeta de Jove, de Junone, de Baccho, deque his, quos ſupra convivas nominavit; deinde
ſermo eſt de cœlicolis, inter quos non eſt annumerandus Nereus, qui in aqua vivit, regnatque; huc
adde ſenſum, & σύνταξιν inſulſum utrumque, & implicatum. *Catu* autem ἀρχαῖον pro *catui*, de
387 quo mone lexicographos.
388 *Templo in fulg.* ἀρχαῖον, quod habet omnis vetus ſcript. Achille teſte; *Fulgente* autem auro, hinc ful-
gor eſt flamma coruſcans, quare Cicero, *Jove fulgente &c.* & alio loco, *qui fulgent purpura*, ſpectat ta-
men fulgor, & ad argentum, ut habemus ex Lucretio, *Domus argento fulget*, & ad chalybem, Hor. *Jam*
390 *fulgor armorum terret equos.* Leges vero cum omnibus MSS *centum* non *cretum* ſpurium, Virg. *Centum
quadrijugos agitabo ad flumina currus.* Leges & *procurrere*, ut erat in optimo MSS Scaligeri, hinc
& in Maffei libro *procumbere*, Græci autem curru delectabantur. Ho. Τηλέμαχος &c. *Telemachus conſcen-
dit currum*; Hor. ad Paridem, *Pallas currum, & rabiem parat.*
391 *Sæpe vagus*, quia peragravit Bacchus totum pene orbem; poeta ſuperius, *Vago pede diſcedebant*; Leges
394 autem *tota*; Virg. *Totaque ex urbe ſequentur*; *læti fumantibus*, non *lacti ſpumantibus* commentum Voſſi;
396 Hor. *Vetus ara fumat odore.* Hera vero Tritonis erat Pallas, quia nata, & alta ad flumen Tritonem, ut
ait Diodorus, hinc dicta Tritonia, Hom. Θάρσει &c. *Confide Tritonia.* Rhamnuſia tandem dea Victoriæ,
405 ut habemus ab Auſonio, quem vide. Leges vero *parentes*, ut erat in libro ſcripto Scaligeri, & noſtro,
fortaſſe in aliis, non *penates* contra MSS. Dii igitur parentes ſunt Lares ipſi, Penateſque, qui Dii
409 Patrii vocantur. Tandem *contingi* eſt a *tingo*, non a *tango*, de quo mone lexicographos, *lumine* autem
h. e. oculis, vel ſole, & luce.

A D

Etſi me adſiduo confectum cura dolore
  Sevocat a doctis, Hortale, virginibus,
Nec potis eſt dulcis Muſarum expromere fetus
  Mens animi, tantis fluctuat ipſa malis.
Namque mei nuper lethæo gurgite fratris
  Pallidulum manans alluit unda pedem,
Troja Rhæteo quem ſubter litore tellus
  Ereptum noſtris obterit ex oculis.
Ergo ego te audiero nunquam tua dicta loquentem?
  Nunquam ego te vita, frater, amabilior
Aſpiciam poſthac? at certe ſemper amabo,
  Semper mæſta tua carmina morte legam,
Qualia ſub denſis ramorum concinit umbris
  Daulias abſumti fata gemens Ityli.
Sed tamen in tantis mœroribus, Hortale, mitto
  Hæc excerpta tibi carmina Battiadæ.
Ne tua dicta vagis nequicquam credita ventis
  Effluxiſſe meo forte putes animo.
Ut miſſum ſponſi furtivo munere malum
  Procurrit caſto virginis e gremio,
Quod miſeræ oblitæ molli ſub veſte locatum,
  Dum adventu matris proſilit, excutitur,
Atque illud prono præceps agitur decurſu,
  Hinc manat triſti conſcius ore rubor.

COMA BERENICES

Omnia qui magni deſpexit lumina mundi,
  Qui ſtellarum ortus comperit, atque abitus,
Flammeus ut rapidi ſolis nitor obſcuretur,
  Ut cedant certis ſidera temporibus,
Ut Triviam furtim ſub Latmia ſaxa relegans
  Dulcis amor gyro devocet aerio.
Idem me ille Conon cœleſti munere vidit
  E Bereniceo vertice cæſariem
Fulgentem clare, quam multis illa deorum,
  Levia protendens brachia, pollicita eſt;
Qua rex tempeſtate novo auctus Hymenæo
  Vaſtatum finis iverat Aſſyrios,
Dulcia nocturnæ portans veſtigia rixæ,
  Quam de virgineis geſſerat exuviis.
Eſtne novis nuptis odio Venus? atque parentum
  Fruſtrantur falſis gaudia lacrimulis,
Ubertim thalami quas intra lumina fundunt;

Non, ita me divi, vera gemunt, iuverint.
Id mea me multis docuit Regina querelis,
Inviſente novo prælia torva viro.
At tu non orbum luxti deſerta cubile,
Sed fratris cari flebile diſcidium.
Quum penitus mæſtas exedit cura medullas;
Ut tibi non toto corpore ſollicitæ
Senſibus ereptis mens excidit! atque ego certe
Cognoram a parva virgine magnanimam.
Anne bonum oblita's facinus, quo regium adepta's
Conjugium, quod non fortior auſit alis?
Sed tum mæſta virum mittens, quæ verba locuta es?
Juppiter, ut triſti lumina ſæpe manu!
Quis te mutavit tantus deus? an quod amanteis
Non longe a caro corpore abeſſe volunt?
At quæ ibi, pro, cunctis pro dulci conjuge divis
Non ſine taurino ſanguine pollicita es,
Si reditum tetuliſſet! is aut in tempore longo
Captam Aſiam Ægypti finibus addiderat.
Quis ego pro factis cœleſti reddita cœtu
Priſtina vota novo munere diſſolvo,
Invita, o regina, tuo de vertice ceſſi,
Invita; adjuro teque, tuumque caput,
Digna ferat, quod ſi quis inaniter adjurarit.
Sed qui ſe ferro poſtulat eſſe parem?
Ille quoque everſus mons eſt, quem maximu' in oris
Progenies Thyæ clara ſupervehitur.
Quum Medi properare novum mare, quumq. juventus
Per medium claſſi barbara navit Athon.
Quid faciant crines, quum ferro talia cedant?
Juppiter, ut Chalybum omne genus pereat!
Et qui principio ſub terra quærere venas
Inſtitit, ac ferri frangere duritiem!
Abjunctæ paulo ante comæ mea fata ſorores
Lugebant, quum ſe Memnonis Æthiopis
Unigena impellens nutantibus aera pennis
Obtulit Arſinoes Locricos alis equos;
Iſque per ætherias me tollens advolat umbras,
Et Veneris caſto collocat in gremio.
Ipſa ſuum Zephiritis eo famulum legarat
Grata Canopiis incola litoribus.
Audit; ibi vario ne ſolum in lumine cœli
Ex Ariadneis aurea temporibus
Fixa corona foret, ſed nos quoque fulgeremus
Devotæ flavi verticis exuviæ.

Vividulum a flatu cedentem ad templa deum me
  Sidus in antiquis diva novum poſuit.
Virginis, & ſævi contingens namque Leonis
  Lumina, Calliſto juſta Lycaonia,
Vertor in occaſum tardum dux ante Booten,
  Qui vix ſero alto mergitur oceano.
Sed quanquam me nocte premunt veſtigia divum,
  Lux autem canæ Tethyi reſtituam,
(Pace tua fari hic liceat Rhamnuſia virgo,
  Namque ego non ullo vera timore tegam;
Nec, ſi me infeſtis diſcerpant ſidera dictis,
  Condita qui vere pectoris evoluo,)
Non his tam lætor rebus, quam me affore ſemper,
  Affore me a dominæ vertice diſcrutior.
Quicum ego, dum virgo quondam fuit omnibus expers
  Unguentis, una millia multa bibi.
Nunc vos, optato quum junxit lumine tæda
  Non poſt unanimis corpora conjugibus,
Tradite nudantes rejecta veſte papillas,
  Quam jucunda mihi munera libet onyx,
Veſter onyx, caſto petitis quæ jura cubili,
  Sed quæ ſe impuro dedit adulterio,
Illius, a, mala dona levis bibat inrita polvis,
  Namque ego ab indignis præmia nulla peto.
Sed magis, o nuptæ, ſemper concordia veſtras,
  Semper amor ſedes incolat adſiduus.
Tu vero, regina, tuens quum ſidera divam
  Placabis feſtis luminibus Venerem
Sanguinis expertem, non veſtris eſſe tuam me,
  Sed potius largis effice muneribus.
Sidera cur iterent? iterum ut Coma regia fiam!
  Proximus Hydrochoi fulgeret Oarion.

NOTÆ CRITICÆ.

1 *Etſi &c.* Verſus eſt elegiacus, in quo poeta, petita excuſatione negligentiæ ſuæ ob fratris obitum,
quem laudibus, & lacrimis ornat, Hortalo mittit verſus *de Coma Berenices* ex Callimacho in lati-
num traductos. Hortalus autem eſt ille nepos oratoris Hortenſii, de quo Tacitus, *Preces tum Hor-
tali nobilis juvenis in paupertate manifeſta ſuperbius accepiſſet; Nepos erat oratoris Hortenſii &c.* idem
repetit Svetonius in Tiberio de hoc eodem Hortalo Hortenſii nepote, ut caudam trahant neceſſe
ſit, irrideanturque, qui hunc Hortenſium Voluſium eſſe volunt illum, quem ſemel, iterumque
alibi poeta poetam infecetum irridet, vel alterum illum, quem Gellius vocat invenuſtum Cin-
næ, & Memmi æqualem; nam hic noſter eſt Hortalus, non Hortenſius. *Dolore* vero dicit, quia
2 frater ejus obierat Trojæ, Cic: *confectum luctu*. Leges autem *ſevocat*, ut erat in membranis Mar-
3 cilio teſte; ſtultum enim eſt *ſejugat* reponere, ut mallebat temere idem Marcilius. Leges & *mu-
ſarum*. Ita enim habet omn. vet. ſcript. Marcilio, Scaligero, & Achille teſtibus, ut ſemidocti ar-
delionis fuerit, in margine libri Scaligeri ſcripſiſſe *harum dulcis*. *Muſarum* enim cum dicit, ex-
plicat, quænam ſint illæ virgines doctæ, de quibus ſupra, *doctis, Hortale, virginibus*. Le-
ges etiam ex MSS *fetus* contra Voſſium legentem *fletus*, quia, inquit, elegia eſt flebile ge-
nus carminis. Nam, præterquamquod elegia quandoque recipit res lætas, ut docet Hora-
4 tius in arte, etiam reclamat τὸ *dulcis*, quod contrarium eſt fictitiæ lectioni viri docti.

Mens animi quoque eſt vera lectio MSS omnium, non *mens hominum* quorundam malorum hominum:
hoc enim a græcis ſumptum eſt, Ariſt. ψυχῆς ὁ νοῦς *animi mens*, unde & Plautus *nubilam mentem*
animi habeo, quo loco per tranſennam noto, mentem Deam fuiſſe apud antiquos, cui Attilius
5 Prætor ædem vovit. Ovid. *mens quoque numen habet, menti delubra videmus*. *Namque mei &c.*
Poetice mortem fratris, & locum, ubi ſepultus fuit, deſcribit. Mortuus enim eſt in Troade, ibi-
que compoſitus. Nam litus rhæteum ſic dictum a promontorio Rheto. Leges autem *lethæo*, licet
in MSS Achillis *lethei* vitioſum. Lethe vero flumen inferni, filius Phlegetontis cum aqua pallida,
8 Tibul *Pallida ditis aqua*. Neque dubites de optima lectione *obterit*, quæ eſt in omnibus MSS,
Achille teſte, ut impium ſit, Catullum expellere, ut ficticia doctorum *obtegit*, vel *obruit* locum
habere poſſint.
9 *Ergo ego te audiero nunquam tua dicta loquentem*, ita & hunc reſtituo locum nunquam ſanatum.
Nam in noſtro MSS *Ego ego ... tua dicta loquentem*, & in aliis membranis Marcilio teſte *tua di-*
cta loquentem, quæ non ſunt expungenda, quia Catulliana; poeta alio loco, *qua verba locuta es.*
Loqui igitur dicta, eſt loqui faceta, & lepida. Cic. *hominem petulantem modeſtum reddo non ſo-*
lum hac gravitate orationis, ſed etiam hoc genere dictorum. Quint. *Potius amicum, quam dictum*
perdere; unde colligo, fratrem Catulli fuiſſe facetiſſimum. Neque attendendum eſt, quod legeba-
tur in excuſſis, *Alloquor audiero ne unquam tria verba loquentem*, vel *tua verba loquentem*,
vel pejus *tua facta loquentem*. Nam adulterina ſunt, & ſine riſu audiri non poſſunt, quæ tamen
ſolito Vulpius ſecutus eſt. τὸ *amabo* porro non eſt interjectio, ut credit Voſſius. Senſus enim eſt
licet te non videbo, tamen amabo. Leges autem ſine dubio *legam* receptum ut optimum a doctio-
ribus; licet enim eſt in MSS omnibus *tegam*, (quod non eſſet mutandum. Nam tegere, eſt tue-
ri,) tamen propter diſtichum ſequens, ubi agitur de cantu, ſcribendum omnino eſt *legam* ſci-
licet ea voce flebili, qua canit Daulias fata gemens Ityli abſumpti. Quare *canam* lectionem, quam
cantant nonnulli, quamque Vulpius ſecutus eſt, ut ſpuriam cave.
14 *Daulias* eſt Tereus in Upupam mutatus, quæritque filium ſuum Ityn exclamans ποῦ ποῦ, quem ap-
poſitum in menſa comederat, dictus *Daulias* ab urbe Daulia Phocidis, in qua, ut ſcribit Thucy-
dides regnavit Tereus. Alb. *Deflet Threicium Daulias ales Itym*. Interpretes tamen omnes volunt,
Daulias eſſe Prognem in hirundinem mutatam, quod non eſt ita appoſitum, ut amplectamur,
quia *Daulias* Tereum petit; quid Homerus? Philomelam in luſciniam mutatam uxorem Terei
facit ibi, ὡς δ' ὅτε &c. *Sicut autem quando Luſcinia canit, Filium lugens Itylum*. Leges tan-
dem *abſumti*, ut habent omnes libri excuſſi, non *aſſumpti* vitioſam lectionem MSS. Abſumere
enim eſt comedere, Virg. *abſumere menſas*, quod vidit etiam Vulpius. Progne enim devorandum
Itym Tereo in menſam præbuerat. *Ityli* vero eſt diminutum ab Ity vera lectio MSS. Nam in
membranis Marcilio teſte legebatur *Itelei ei* pro *i*, & in noſtro *Itali*. In libro tamen ſcripto Scali-
geri *Prothei* vitioſiſſimum, ſed ſervans veſtigium ultimum membranarum Marcilii.
15 *Sed tamen &c.* Redit ad propoſitum, unde dolore abreptus abierat: Leges autem cum Scaligero
16 *excerpta* lectionem ejus libri ſcripti, & noſtri, & cæterorum etiam Marcilio teſte. Cave enim
legas cum Voſſio, quem Vulpius ſecutus eſt, *experta*; præterquamquod enim recedit a ſcriptura,
injurioſum etiam eſt Catullo tanquam homini in græcis literis eruditulo; multo minus *expreſſa* fi-
ctitium etiam hoc, & infeliciter expreſsum. *Battiadæ* autem nempe Callimachi ita dicti a Cyre-
ne patria, quam Battus ædificarat, Au. Gellius, *Nec diu poſt Callimachus poeta Cyrenenſis Alexan-*
dria apud Ptolemæum celebratus eſt.
17 *Credita ventis* φράσις eſt Catullo familiaris; alibi, *Tua dicta ventos inrita ferre*, rurſum, *In ven-*
19 *to, & rapida ſcribere oportet aqua*; hinc Horat. *Tradam portare ventis triſtitiam*. *Ut miſſum &c.*
ſimilitudo eſt a puella, quæ obliviſcitur pomi a ſponſo, h.e. proco dati. τὸ *furtivo* vero dicitur
de amore oculto, & ſubdulo, poeta, *Furtivos hominum vident amores*, quare dicit *malum*, quia
mala ſunt in obſcenis, de quo mone lexicographos; hinc *poma legere* eſt fructum amoris carpere. Virg.
malo me Galatea petit. Prop. *Felix, qui viles pomis mercatur amores*, hinc & hortus pro re ob-
ſcena uſurpatur, de quo mone lexicographos, unde & Itali

Areoſt. *Angelica a Meder la prmia roſa,*
Coglier laſciò non ancor tocca inante,
Nè perſona fu mai sì avventuroſa,
Che in quel giardin poteſſe por le piante.

20 *Procurrit* ex gremio ad terram, unde natum proverbium apud Feſtum, *neque mulieri, neque gremio*
23 *credi oportere*. Porro *atque* eſt conjunctio copulativa contra Achillem, & Douſam putantes, valere
24 pro *ſtatim*. ἐκτάσσεται enim eſt, *excutitur, atque agitur decurſu*. Leges tandem *triſti*, quod erat fere
in omnibus MSS, uno excepto, in quo *nata* vitioſum, & inſulſum. *Conſcius* autem, quia facit
conſciam puellam. Rubor enim culpæ teſtis, hinc illud *Erubuit ſalva res eſt*.
1 *Omnia &c.* Verſus eſt elegiacus ex græco in latinum a Catullo translatus, in quo poeta Callima-
chus comam Berenices inducit laudantem Cononem mathematicum, & eandem Berenicem regi-
nam, ſeq. ab ejus capite abeſſe querentem. Hiſtoria autem Comæ Berenices talis eſt. Cum Pto-
lemæus duxiſſet uxorem ſororem ſuam Berenicem, paucos poſt dies ivit oppugnatum Aſiam, hinc
uxor Berenice mæſtiſſima ob abſentiam mariti fratris vovit Veneri capillos ſuos, ſi victor Ptole-
mæus in patriam rediiſſet. Compos voti facta in templo Veneris comam depoſuit, quæ poſtero
die non comparuit; quam rem Berenice, & Ptolemæo ægre ferentibus, Conon mathematicus in
eorum ſolatium dixit, ſe comam in cælo vidiſſe, oſtenditque ſeptem quaſdam ſtellas, quas eſſe
comam dicebat. Ejus opinionis fautor Callimachus poeta compoſuit elegiam de hac eadem coma
elegantiſſimam, quam nunc traductam in latinum a Catullo præ manibus habemus. Lego itaque
primo loco contra omnes libros excuſſos, quos Vulpius ſecutus eſt, *deſpexit*, ut erat in MSS
omnibus nullo excepto, Achille, & Scaligero, & cæteris criticis teſtibus. Deſpicere enim eſt
ſimpliciter cernere, Cic. *Catuli, qui deſpecturi ſunt, &c.* quod confirmat ſeptimus verſus verbo
vidit, unde Bentlejus legens *deſcripſit* adulterinum, & cæteri docti *diſpexit* corruant neceſse ſit,
ſibi cruraque frangant. Leges etiam, ut eſt in Vulgatis ex MSS *lumina*, non *mænia* cum Voſ-
ſio

ſio fictitium, & inſulſum. Virg. Vos *clariſſima mundi lumina*. Porro *mundi* h. e. cœli. Cic. *Sol excidiſ-*
2 *ſe e mundo mihi videtur*. Lego etiam contra omnes doctos, quos Vulpius ſecutus eſt, *abitus*, ut eſt
liquide in omnibus MSS Achille teſte, quod docte Meleager retinet, non *obitus* commentum do-
ctorum, qui plus ſapere volunt, quam Catullus. Neque juvat Cicero allatus ab eodem Vulpio
Qui ſiderum ortus, obitus &c. Ille enim loquitur ex falſa oculorum opinione, poeta autem ex ve-
ro. Revera enim ſidera abeunt mane, vel noctu reditura, hinc infra τὸ *cedant certis* eſt pro *de-
cedant*, non, ut male explicat Achilles, *moriantur*, en Horat. *Ut decedentia certis tempora momen-
tis*; & ſane poeta fere ſemper *cedere* pro *decedere* uſurpat, ut ibi *Thaſea cedentem celeri cum claſſe tue-
tur*; alibi, *& adſpectans cedentem mœſta carinam*.
3 *Flammeus* περιφραστικῶς quaſi deſcribit Catullus ſolis defectum. *Rapidum* autem vocat ſolem, ut
Hor. *Nec rapidum fugiente ſolem*.
5 *Ut Triviam &c.* Luna vocatur Trivia, quia in triviis implorabatur, ut diximus ſupra ad carmen
Dianæ, vel quia tres vias ambulet, Luna cœleſtem, Diana terreſtrem, Proſerpina infernalem.
6 *Latmia* ſub Latmii montis ſpecus in finibus Joniæ ad flumen Meandrum. *Dulcis amor* vero eſt ipſe
Endymion amatus a Luna, qui primus ejuſdem Lunæ curſum invenit, quemque ſopitum ab ea-
dem baſiari fingunt poetæ. *Gyro* autem eſt optima lectio doctorum ex MSS, in quibus *goure*, vel
govero, vel *givodero* inſcitia librariorum, ut Voſſius (bona pace) in gyrum rationis ducendus eſſe
videatur, qui *Lamia*, qui *Clivo*, qui contraria MSS quotidie ſomniat. *aerio* vero h. e. cœleſti, ut
apud Callimachum ἐν ἠέρι *in cœlo*, quod vidit & Douſa, & quo de mone lexicographos.
7 *Idem* nempe ille, *qui magni deſpexit lumina mundi*, Conon Samius mathematicus, qui ſeptem li-
bros de Aſtrologia edidit, quemque laudat Virgilius *In medio duo ſigna Conon, & ſi quis fuit alter,
deſcripſit*; & Ovidius tacite, *Felices animæ quibus in domos ſuperas ſcandere cura fuit*. Lego autem
lectionem auream Codicis Marcelli Pont. Max. *munere*, quam habet & noſter liber, quamque
tres Achillis præſeferre videntur, in quibus *numine*, quod tamen vitioſum, & inſulſum eſt, in-
ſulſius etiam, & quod pejus eſt, ſpurium, quod legit Vulpius, *in lumine*. Nam in quo lumine?
vel quo numine? utrunque ſine ſucco: e contra *munere* eſt in re, & loco. Nam nonne dono Ve-
neris in cœlum translata fuit Coma, ut ipſa teſtatur ibi, *Sidus in antiquis diva* (nempe Venus)
novum poſuit? igitur *cœleſti munere* nempe dono Veneris, quæ in cœlo erat. Totum vero diſtichon
hoc reſpondet verſiculo græco Callimachi εἶδε Κόνων ἔβλεψεν ἐν ἠέρι τὸν Βερενίκης *Si autem Conon vidit
Berenices comam* Βόστρυχον tamen importat capillos in nodum tactos dictum translate. *Quam multis
illa deorum* hoc dictum eſt ἑλληνικῶς pro *multis diis*; *illa* autem eſt ipſa Berenice, hæc vero reſpon-
dent verſui græco Callimachi ὃν κείνη πᾶσιν *quem* (nodum comæ) vel *quam* (comam) *illa omni-
bus poſuit diis*, ut omnino legendum ſit in Catullo *Deorum*, non *dearum*, præſertim cum Coma
tam Veneri, & Juventuti, quam Apollini, & Æſculapio, qui capillati finguntur, eſſet cariſſima,
& ſub nomine *deorum* veniant diique, deæque.
11 *Qua rex* optima lectio libri noſtri, in aliis tamen *quare ex*. Cic. *Qua tempeſtate Panus in Italiam
venit*. Leges etiam cum Scaligero lectionem omnium MSS *novo auctus hymeneo*, non *novis hyme-
neis*. Negligitur enim συναλοιφὴ in verbis *novo auctus*, quod poetis familiare eſt. Virg. *Et femineo
ululatu*; *s* autem in *auctus* producta ob aſpiratam ſequentem. *Finis* porro in omnibus MSS ἀρχαϊκῶς
pro *fines*.
13 *Dulcia veſtigia* nempe collo, labriſque baſiorum notas, Cic. *ex mulierum morſu veſtigia libidinum*;
rixa, quia præliari videntur amantes in lecto; Plaut. *In Veneris pugna Cupido cor meum transfixit*;
Hor. *Nunc campus, & areæ -- Compoſita repetuntur hora*; Prop. *Quantaque ſublato lumine rixa fuit*;
14 *Exuviis* autem cum dicit, zonam intelligit, qua Virgines cingebantur poeta, *Quod zonam ſol-
vit diu ligatam*; Varro, *Novos maritus is ſolvebat cingulum*.
15 *Eſtne &c.* Ab hoc verſu reiicio verbum ſpurium *anne* nullo in MSS. Nam in omnibus lib. Achil-
le teſte erat *atque* elegantius, quod tamen Vulpius, cæterique pili fecerunt. Primo enim quæri-
tur, an Venus odio ſit nuptis novis, quæ cum lectum aſcendere debent, lacrimantur? quid reſ-
pondetur? *atque parentum &c. atque* enim eſt προβλήματος διάλυσις pro *quidem*; Cic. *negotium eſt na-
vigare, atque id menſe Decembri*, vel eſt augens pro *immo*; Cic. *Conſilio, atque adeo amentia*.
Probat enim, Venerem non odio nuptis eſſe, ſed nuptas ipſas lacrimari dedita opera ad eluden-
dos parentes.
17 *Ubertim &c.* Et in hoc verſu deleo *limina* commentum criticorum, quod defendi nequit, quod-
que Vulpius ſecutus eſt. Nam in omnibus MSS Achille teſte, & in noſtro legebatur *lumina* le-
ctio vera. Noctu enim fiebant nuptiæ, poeta *Veſper adeſt, juvenes conſurgite*, & feminæ colloca-
bant in lecto ſponſam, poeta *Vos cognita breve femina -- Conlocate puellulam*; quæ omnia ſine lu-
18 minibus, & lucernis fortaſſe ad thalamum accenſis fieri non poterant. *Vera gemunt* ἑλληνικῶς. Le-
ges vero *divi*, ut eſt liquide in noſtro, in aliis *diu*, unde Achilles *di ut* fruſtra. Leges & *juve-
rint*, ut erat in noſtro, & in duobus Achillis, & fortaſſe in aliis. Præteritum enim ἀρχαϊκῶς ni-
hil mutat a præſenti, ut docet optime Scaliger, ita apud Terentium *impellerim*, ita *pluviſſe*, pro
pluiſſe teſte Priſciano; Neque juvat Cicero allatus ab Achille. Nam, ſi unus liber ſcriptus, quem
ſecutus eſt Victorius, habet *ivero*, & *iveris*, cæteri libri habebunt *juvero*, & *juveris*, ut in idem
recidat quæſtio neceſſe ſit.
19 *Id mea &c.* Probat ab exemplo reginæ Berenices, nuptas falſo lacrimari, vel cum in lecto collo-
20 cantur, vel aliam ob cauſam. τὸ *prælia* enim non μεταφορικῶς, ut putat Achilles, dictum eſt, ſed
21 refertur ad prælia vera, quæ geſſit in Syria. Leges autem *At tu non* lectionem fere omnium
MSS contra Voſſium legentem *Et tu vero*, qui deſtruit libros ſcriptos, & verum ſenſum. *Lux-
22 ti* vero pro *luxiſti*. Dicit porro *ſed fratris*, quia ſi Phtolemæus frater ejus non fuiſſet fortaſſe non
luxiſſet. Diximus enim Phtolemæum & maritum, & fratrem fuiſſe Berenices, quod apud illas
gentes licitum erat, ita & Juno Jovis ſoror, & uxor, Hom. Ζῆνος &c. *Jovis ſororem, uxo-
remque*.
23 *Quum* hoc loco eſt conjunctio cauſalis pro *quandoquidem*, Cic. *Gratias ago, cum tantum mea li-
24 teræ potuerunt*. *Ut* autem admirantis eſt, ut apud Virgilium niſi fallor, *ut perii!* non enim eſt pro

poſtquam ut credit Parthenius temere. Leges vero *ſollicita* h. e. curis affecte, non *ſollicite* contra
25 Codices, quos ſpernit & Voſſius, qui pro *feſſibus ereptis* legit *ſeſſibus e rectis*. Interpretes por-
ro omnes, præſertim Vulpius, nihil magis cordi habent, quam ſua reponere, expellere Catullia-
na. Pontanus enim, quem omnes ſecuti deinde ſunt, legit ſine Codice *atqui ego certe*, Vulpius
at te ego certe adulterina omnia, & minus elegantia, quam quæ leguntur in omnibus MSS, in
quibus Achille teſte *atque ego certe*. τὸ *atque* enim eſt pro *tamen*, & *atqui*, ut ſæpe apud Plau-
26 tum, & Terentium ibi, *mihi non ſit veriſimile*, *atque ipſis commentum placet*. Tandem *magnani-
mam* dicit, quia inquit Hyginus, *Berenicem nonnulli cum Callimacho dixerunt, equos alere, & ad
Olympia mittere conſuetam; Alii dicunt hoc amplius, Phtolemæum Berenices patrem, multitudine ho-
ſtium perterritum, fuga ſalutem petiiſſe; filiam autem ſæpe conſuetam inſiluiſſe in equum, & reliquam
exercitus copiam conſtituiſſe, & complures hoſtium interfeciſſe, reliquos in fugam conjeciſſe; pro quo
etiam Callimachus eam magnanimam dixit*.
27 *Anne bonum &c.* facinus bonum, h. e. juſtum, vel nobile, ut apud Terent. *Civem bonum bonis pro
gnatam*, vel laude dignum. Legendum autem eſt ἀρχαϊκῶς, ut ſcripſit Catullus, quod animadvertit
docte Scaliger, *oblita's, adepta's*. Nam in MSS omnibus *oblitus*, *adeptus conjugium*; ita Cicero
allatus ab eodem Achille ex notis P. Victorii *imminuta'ſt*, *appellanda'ſt*. Plautus *Tacita bona'ſt
mulier ſemper, quam loquens*. Lego etiam contra criticos omnes, quos Vulpius ſecutus eſt; *qua
regium* h. e. qua via, nempe facino bono; Virg. *Qua facere id poſſis, noſtram nunc accipe mentem*.
In MSS enim omnibus Achille teſte *quam regium*, unde Faernus *quum*, quod tamen merito repu-
diat Achilles idem, alii *quo*, & *quod* nulli, quia recedunt a ſcriptura. Optima tamen eſt lectio
28 doctorum *auſit alis*. Nam in membranis *aut ſit alis*, unde inſuliores *auxit avis*, & Scaliger *aut
ſit*, ſed infeliciter explicat meo judicio, præſertim cum cogatur retinere τὸ *quod regium* ſpuriam
lectionem, cui viro docto repugnat & modus indicativus primo loco, & ſubjunctivus ſecundo, ut
τὸ *quod* ad facinus referatur neceſſe ſit. *Alis* vero, ut monet Priſcianus, pro *alius* ἀρχαϊκῶς, ita
30 *alid* pro *aliud* apud Lucretium, *namque alid ex alio clareſcet*. Leges & *triſti* pro *triviſti* in omni-
bus MSS Achille teſte, non *terſti* fictitium, de quo mone lexicographos.
31 *Tantus deus &c.* Antiqui bona, malaque, quæ hominibus eveniebant, in deos, eorumque volun-
tatem reiiciebant. Virg. *Quis te, Palinure, deorum eripuit nobis*. Ter. *Quodſi hoc quiſquam voluit
33 deus?* Lego autem cum Scaligero *pro* non *proh*. Nam in libris ſcriptis *pro*, quod eſt interjectio
admirantis, ut apud Cic. *Qua res pro ſancte Jupiter, in terris eſt geſta major?* τὸ *cunctis* enim re-
fertur ad τὸ *divis*, ita ſuperius *multis illa deorum* ex græco carmine allato loco eodem πᾶσιν ἔθηκε
θεοῖς, *omnibus poſuit diis*, quæ ſunt contra Achillem, cæteroſque, præſertim Marcilium per-
vertentem plane MSS, in quibus *Atque ibi pro cunctis pro dulci conjuge divis*. Poſt vero hoc di-
ſtichon nec in noſtro lacuna eſt, neque fortaſſe in tribus Achillis, & Scaligeri, quam tamen
notavit Guarinus in ſuo fruſtra; nam ne ſyllaba quidem deſideratur.
35 *Si reditum &c.* In Vulgatis hic Catullus vix locum habet, quo pedem ponat, regnant, triumphan-
tque ſomnia criticorum; contra quos nota lectionem omnium MSS Voſſio, Marcilio, Achille te-
ſtibus.

Si reditum tetuliſſet, is aut in tempore longo
Captam Aſiam Ægypti finibus addiderat.

Nihil mutandum; poſt tamen verbum *tetuliſſet* fige punctulum admirantis. Nam ſenſus eſt, *Qua
pro, pollicita es divis, ſi reditum tetuliſſet! ſane brevi tempore is* h. e. *Phtolemæus addiderat Aſiam
finibus Ægypti: quis ego pro factis* h. e. *pro qua victoria, & reditu in patriam &c. Aut* enim eſt
pro *haut*, vel *haud* particula negans, quæ ſæpe occurrit in antiquis libris. Quare expunge *adii-
ceret* commentum Scaligeri & ineptum, propter, quæ ſequuntur, ea *queis ego pro factis*. Nam
quæro pro quibus factis, ſi attenta lectione fictitia *adiiceret*, nondum redierat, neque vicerat
Phtolemæus? Vide, quo ſerpat confidentia criticorum. *In tempore* ἀρχαϊκῶς Lucr. *in tali tempore
quibat*, ut notavit & Vulpius.
37 *Catu* dandi caſus ἀρχαϊκῶς *pro catui*, de quo mone lexicographos; poeta alio loco *mortali oſtende-
38 re catu*. Dicit autem *novo munere*, quia Coma novum ſidus facta erat, poeta, *Sidus in antiquis
Diva novum poſuit*, quod eſt contra Vulpium, qui τὸ *novo* interpretatur munus non antea excogi-
tatum. *Diſſolvo* porro tetraſyllabon eſt.
39 *Invita &c.* hunc verſum Virgilius imitatus eſt ibi *Invitus, regina, tuo de litore ceſſi*, ita & alte-
rum ibi, *teſtor te, Germana tuumque, Dulce caput*. Jurat autem Coma per ea, quæ erant cara re-
ginæ. Capilli enim ſunt feminis cariſſimi. Tib. *Per Venerem quæſo, compoſitumque caput*; alibi,
41 *Crines perque, Minerva, tuos*, immo jurat per rem quaſi ſacram, hinc ait *Digna ferat &c.* Di-
gnus enim erat pæna, qui fruſtra adjurabat caput Berenices, cujus coma erat Veneri ſacra, inque
42 ejus gremio, & ſidus facta. Leges vero *ſed qui* h. e. *ſed quis*; poeta alibi, *Heſpere, qui cœlo lucet
jucundior ignis?* Cic. *Qui tantus fuit labor?* *quis* enim, quod legit Achilles, ſpurium eſt; nam in
MSS *qui* pro *quis*, non pro *quomodo*, ut temere putat idem vir doctus. Deinde *poſtulet* idem eſt,
atque *arroget*, de quo mone lexicographos.
43 *Ille quoque &c.* Excuſat Coma ſuam imbecillitatem argumento a majori. Si enim, inquit, mons
Atho reſiſtere non potuit ferro, qui perforatus fuit ab exercitu Xerxis, quid facient crines? Criti-
ci autem, quos Vulpius ſecutus eſt, & in lectione, & in ſenſu cæcutiunt. Primo enim quidem
laudo Scaligerum legentem *maximu' in oris*. Nam fere in omnibus MSS *maxima in oris* Achil-
le, Marcilio, & cæteris teſtibus, *a* & *u* invicem ſe commutant, ita ſuperius erat in MSS *cun-
cta* pro *unctu*, ut perbelle idem Scaliger; & ſane nonne mons Atho eſt maximus cæterorum, cu-
jus umbra in Lemnum cadit? nonne excurrit in mare Ægæum inter ſinus Strymonicum, & Sin-
giticum? igitur ἔμφασις *maximu' in oris*, h. e. maximum in oris montem Athon petit, quin petere
debet, ut argumentatio Comæ a majori fortior ſit; quare extermina lectiones fictitias *in armis*,
44 *in orbe*, *natu* mera ſomnia Marcilii, & aliorum. Venio ad alterum verſum, qui ita legitur in
omn. vet. ſcript. Achille teſte, *Progenies Phitia clara ſupervehitur*. Intelligunt alii Perſas, præ-
ſertim Voſſius legens *Thia*. Nam Thia conjux Hyperionis mater Solis, qui genuit Æetam, cujus

filii

ſilii Medea, & Medus, unde natio Medorum, hinc Bentlejus ſolem ipſum intelligit, quorum do-
ctorum opinio, præterquamquod ita longe petita eſt, ut antequam huc perveniat, immani iti-
nere defeſſa ſit, & ſine lumbis, etiam inepta eſt. Nam poeta vitioſe idem repeteret, cum ſta-
tim ait, *Quum medi properare novum mare &c.* quid alii? ex *Phitia* faciunt *Phthia* intelligentes
Theſſaliam Macedoniæ partem, qui certe propius accedunt ad verum; ego tamen lego, ut erat in
noſtro *Thyæ*, quod eſt lectio veriſſima cæterarum. Nam *progenies Thya* ſunt Macedones. Mace-
donia enim dicta eſt a Macedone Jovis filio ex Thya filia Deucalionis, ut Stephanus, & Solinus
tradiderunt; Macedones autem clari ſunt, nobileſque victoriis Alexandri Magni, itaque græcus
poeta adulatur Phtolemæo propter Alexandrum, ejuſque ſucceſſores Phtolemæos: Mons vero Atho
inter Macedoniam, & Thraciam eſt, igitur recte *progenies Thya* h. e. *Macedonum natio clara ſuper-
vehitur.*

45 *Quum Medi* nempe exercitus Xerxis, qui ex Perſis componebatur, Juv. *Epotaque flumina Medo
prandente.* Lego autem lectionem auream *properare* codicis noſtri, & Scaligeri, & cæterorum,
quanquam in aliis vitioſe *propere*, unde Marcilius *propereque*, & Vulpius *peperere* invenuſta, &
contraria MSS, quæ repudianda ſunt. *Properare* igitur optimum. Cur? quia Catullianum, hoc
ſatis, ſuperque eſt. At *properare*, inquies, dicitur de itinere terreſtri. Quid tum? audite, au-
dite Ciceronem parentem latinitatis, & elegantiæ, ut fictitia, & vitioſa, quæ vobis ſæpe, ac
ſæpius a criticis obtruduntur, libentiſſime repudietis, *Si Xerxes Helleſponto juncto, Athoque per-
foſſo, maria ambulaviſſet, terramque navigaſſet.* Propero porro. Nam, quæ notentur, innumera-
bilia ſunt. Itaque Scaligerum mordeo, qui putat, *properare* eſſe modum infinitivum, cum ſit pro
46 *properavere*, hinc ait ſtatim *navit* pro *natavit*, poeta alibi, *Ullius natantis impetum trabis*; alio
loco *naſſe per undas*; Tib. *Nat tibi linter aqua*, in quo Vulpium non laudo, qui putat eſſe pro
navigavit. *Claſſi* tandem pro *claſſe*, de quo mone lexicographos.

48 *Jupiter* ἐκφωνησις irati, de quo mone lexicographos; optima autem eſt Politiani lectio, ſed latinis
literis ſcribenda, non græcis. Nam in MSS omnibus latine ſcriptum eſt. *Jupiter ut celitum*, vel
telitum, vel *celicum*, unde chalibum recte nempe ex græco carmine Callimachi ὦ Ζεῦ, τῶν χαλύβων ὡς
ἀπόλοιτο γένος, ultima liquida longa gratia cæſuræ, ut ſæpe apud poetas, quos vide ad verſum *ſperet
nec linguam eſſe, nec auriculas.* Neque intelligas ferrum ipſum, ut dure putat Scaliger, cujus le-
ctio *ſicelicum* una cum altera Voſſii *celtum* exterminanda eſt, ſed populos ipſos inſignes opere fa-
brili in Thracia ad fluvium Thermodontem, ut apud Virgilium, *Inſula inexauſtis Chalybum gene-
roſa metallis*; alio loco *At Chalybes nudi ferrum*; quid ſi intelligas ferrum ipſum? tantundem
Chalybum rectum eſt. Virg. *Vulnificuſque Chalybs fornace liqueſcit.* Luc. *Chalyben, frenoſque momor-
dit*, quæ dicta ſunt contra Scaligerum temere diſputantem, lectionem *chalibum* nullam eſſe,
50 quia diſcedit a veſtigiis priſc. ſcrip., in qua *celicum*, cum reapſe vix digitum diſcedat. *Inſtitit*
vero non eſt pro *inſtituit*, ut temere putat Achilles ex Afranio, ſed ab *inſiſto*. Inſiſtere enim eſt in-
cipere, Plaut. *ne quid inſiſtas credere.* Neque legas cum Vulpio *fingere* fictitium, ſed *frangere*. Re-
vera enim ferri durities frangitur h. e. domatur, cum forfex, enſis, ſecuris efficitur. Cic. *Nulla
eſt tanta vis, quæ non debilitari, ac frangi poſſit.*

51 *Abjuncta* ita erat fere in omnibus MSS Marcilio, & Achille teſtibus, ita etiam in noſtro, & in
altero Voſſii, excepto tamen libro Scaligeri, in quo *abrupta* vitioſum, quod non eſt rarum in
ejus libro, ubi occurrunt ſæpe vitioſiſſima, quorum multa notavimus loco ſuo. Abrumpere enim
eſt recidere per vim, quod de coma dici nequit, e contra abjungere eſt diſſociare. *Sorores* autem
ſunt crines, quæ remanſerunt in capite reginæ.

52 *Quum ſe Memnonis &c.* Libri omnes excuſſi, quos Vulpius ſecutus eſt, expulſo Catullo, critico-
rum deliria libentiſſime receperunt, quæ tamen nunc a nobis expellenda ſunt, Catullo in ſuo jure pri-
ſtino reſtituto. Primo igitur quærendum, quinam ſit unigena Memnonis dictus Locricos ales equus,
& famulus Zephiritidos Veneris? non Pegaſus, ut putavit Scaliger; ille enim neque revera uni-
gena h. e. frater Memnonis eſt, neque locricus, (nam cum Locris nullam habet rem) neque fa-
mulus Veneris, quacum illi quoque nihil eſt. Multo minus Aurora ipſa, ut credit Parthenius.
Nam reclamat verſus *Iſque &c.* quis ergo? Nempe Zephirus, ut docet & Achilles. Ille enim fra-
ter Memnonis ex Aurora, & Aſtreo, unde Notus, Boreas, & Zephirus nati, hinc alibi poeta,
Zephirus incitat undas Aurora exoriente, ille locricus, hinc *Zephirium* vulgo *capo Burſano* apud
Locros, ille alatus, ille tandem famulus Veneris, de quo infra *eo famulum legarat grata Ca-
nopiis &c.*, deque quo Lucr., qui dubium præcidit, ibi, *It Ver, & Venus, & Veneris prænuncius an-
te Pennatus graditur Zephirus.* Virg *Voca Zephiros*, quia nuntii deorum. Hom. Ἀφροδίτην &c. *Venerem*
53 *canam Cypri, ubi Zephiri vis ſuſcitavit.* *Unigena* igitur eſt frater uterinus ex una, eademque
matre natus, de quo mone lexicographos. Leges tandem *aera* lectionem omnium MSS Achille
54 teſte. Perge ad alterum verſum, quem ex oſſarunt interpretes, a quibus Vulpius ne tranſverſum,
quique talis eſt in omnibus MSS eodem Achille teſte, *Optulit Arſinoes e locridicos alis equos*, in
libro Scaligeri diſertim *alis equos*, in noſtro *locriicos alis equos*, unde veriſſima lectio *obtulit Ar-
ſinoes locricos alis equos.* *Arſinoes* ſcilicet Veneris, ut probat Scaliger, & Turnebus ex Athenæo, &
Achilles ex Stephano Ζεφύριον &c. *Zephyrium & Ægypti, unde Venus Arſinoe Zephiritis, ut ait
Callimachus.* Cave enim explices cum Vulpio ita *Arſinoes Chloridos, quam poeta Zephiritim appel-
lat.* Chloris enim, quæ Flora dicta ſcortum Pompeii fuit, unde Ovidii nata fabula in Faſtis,
Callimachi tempore ne in rerum quidem natura, hinc peſſima eſt lectio excuſſorum *Chloridos*,
immo & ſpuria, quia recedit ab omni ſcriptura, in qua *locridicos*, & *locriicos*, unde non *locridos*,
ut legit Bentlejus, ſed rectius *locricos* ἀρχαϊκῶς pro *locricus*, quæ vox admittenda eſt a lexicogra-
phis tanquam vere Catulliana, quare inſtar omnium Euſtathius Dionyſii interpres allatus ab Achil-
le λοκρὸς Ζέφυρος ὁ ἐςὶ λοκρικὸς &c. *Locrus quidem a Locris vocatur Zephirus, qui eſt Locricus*, eadem ha-
bet pene ſimilia Stephanus Ζεφύριον &c. *Zephirium eſt & Italiæ unde Locri Epizephirii.* Zephi-
rus enim præcipue apud Locros ſedem habet, ſpiratque, hinc a potiori parte poeta Zephirum
appellavit. *Alis equos* & hoc dictum ἀρχαϊκῶς pro *ales equus*, ut alio loco *novos maritos* pro *no-
vus maritus*, & apud Saluſt. *novos exercitus.* Zephirus enim alatus eſt, & pennatus, ut vidimus

ex

ex Lucretio citato, *Pennatus graditur Zephirus*; equus etiam eſt. Venti enim omnes vocantur
equi, Flac. *Fundunt ſe carcere lati Thraces equi, Zephiruſque*, quod hoc extremum vidit & Vul-
pius, contra quem tamen tenendum, Argeſtem ventum hic locum habere non poſſe.
55 *Iſque* nempe Zephirus. Leges autem, ut fidem facit omnis vetus ſcript. Achille teſte, & Scaligero
56 *umbras* non *auras*, vel *oras* fictitium utrumque. Noctu enim rapta coma ex templo. Leges &
collocat, ut erat in pleriſque membranis Marcilio teſte, quanquam in his, quas vidit Achilles,
advolat vitioſum natum ex verbo ſuperiori *advolat umbras*.
57 *Ipſa Zephiritis &c.* Zephirus ſomnum conciliavit quibuſdam criticis, quibuſcum & lexicographi
dormire voluerunt verbo *Zephiritis*. Non enim eſt Flora olim ſcortum Pompei, quam Callima-
chus ne ex hominum quidem voce noſſe poterat, ſed Venus ipſa, ut probat Achilles, & erudi-
tiores jure, meritoque, poeta teſtis eſt, *Et Veneris caſto collocat in gremio*; clarius alio loco,
Sidus in antiquis Diva (h. e. Venus) *novum poſuit*, igitur ipſa Zepheritis eſt Venus dicta Ze-
pheritis a Zephirio promontorio Ægypti, ubi Venus Arſinoes, de qua ſuperius *Arſinoes locricos*
alis equos, vide & Stephanum ſupra citatum. *Famulum* autem h. e. Zephirum, quem Lucretius
ſuperius vocat Veneris prænuncium, unde clarius elucet ſomnium doctorum legentium *Chloridos*,
& interpretantium Floram ibi, & hic. Nam quando nam Zephirus famulus Floræ, vel Chlori-
dos, cujus maritus erat, vel filius ex Ovidii tabula nata ex celebri ſcorto Pompei, ut diximus,
Callimacho jam mortuo, compoſitoque?
58 *Grata &c.* Ex hoc verſu cognoſcitur, quænam fuerit Arſinoes, quænam Zepheritis. Explicat
enim quodammodo poeta. Zepheritis enim illa ipſa incola grata litoribus Canopiis, nempe Ve-
nus contra opinionem Mureti, cæterorumque aliter putantium. Nam Canopus eſt in Ægypto,
ubi & Arſinoe, & Zephiritis, ut vidimus ſuperius ex Stephano, præſertim cum Canopus voce-
tur famoſus a Juvenale ob profligatam luxuriam. Leges autem *Grata Canopiis incola litoribus*.
Nam in omnibus MSS Achille, Scaligero, & Marcilio, & Voſſio teſtibus *Grata Canopicis inco-*
la litoribus, & in noſtro *Canopieis ei*, pro *i*, ut *ludei* pro *ludi* apud veteres poetas ſæpiſſime.
Cave enim legas *Canopeis*, multo minus *Gnata* cum Scaligero ſpurium, neque intelligas Bere-
nicem, quam quis affirmet gnatam luſiſſe litoribus Canopiis? hæc ſunt mera ſomnia. Scaliger
igitur non habet locum, ut fortius dicam in ſequenti verſiculo; quid Vulpius? *Grata Canopiis in*
loca litoribus; primo diſcedit a ſcriptura, in qua *incola* liquide, deinde redditur verſus inſulſior,
ubi *loca litora* in unum coacervantur, præſertim cum famulus videatur legatus Canopum, quod fal-
ſum eſt. Ego certe a MSS non diſcedam, quæ optima ſunt. *Grata*, quia amata, & culta in ur-
be Canopo. *Canopiis*, quia Venus præcipue cara fuit Canopo, de quo Lucanus, *mollis turba Ca-*
nopi; & Papin. *Laſciviat ora Canopi*, quæ Venus colebatur, & Cyrenis, Plaut. *Venus Cyrenenſis*
teſtem te teſtor, præſertim tamen in Ægypto, quæ olim Aeria dicebatur, hinc poeta alio loco,
O Venus, quæ Idalium, queque Aerios apertos colis, ex quo *colis* optime, nunc poeta dicit *incola*
omnino [illegible] Catullianum; *litoribus* (quod verbum criticos jugulat omnes negantes, Venerem
hic intelligendam eſſe) quia Venus in litore colebatur, ubi fere ſemper ejus templa ædificaban,
ut ait Vitruvius, vel quia Venus ex mare nata, vel quia eſt ſtella felix navigationi, hinc poeta
alibi *Neque ulla vota litoralibus diis ſibi eſſe facta*.
Audit, &c. Hæc eſt lectio codicis noſtri liquide quidem, & ſine litura, ut critici, *ſcilicet in*
59 *Audit, &c.* Hæc eſt lectio codicis noſtri liquide quidem, & ſine litura, ut critici, *ſcilicet in*
vario, & Scaliger *ludit ubi*, & Voſſius *ſidere ibi*, & Achilles *Lumen ibi*, & Marcilius *Dii bene*
fecerunt, quos Vulpius ſecutus eſt, omnino aberraverint a manu, & mente Catulli. Nam in MSS
omnibus Achille, Scaligero, cæteriſque teſtibus ita ſcriptura concepta erat *Hydi ibi*, at in duo-
bus *Hidyvem ibi* vitioſiſſima. *Audit* enim omnino elegans, & loco ſuo. Nam ſenſus eſt, *Ipſa*
Venus legarat famulum ſuum; *audiit* h. e. *paruit*, *ut non ſolum corona, ſed nos quoque &c.* Au-
dire enim eſt aliquando obedire, Cic. *Te audi, tibi obtempera*; alibi *Reſpondit, dicto audientem*
fuiſſe Prætori. Leges autem recte cum Scaligero *lumine*; ita enim liquide in noſtro, & altero
Marcilii *numine* vitioſum pro *lumine*, hinc in MSS Scaligeri *limine*, & hoc vitioſum pro *lumi-*
ne. Lumen vero cœli eſt cœlum ipſum, contra quem tamen virum doctum legendum eſt, ut
erat in libris ſcriptis Marcilio, & Guarino teſtibus, *ex Ariadneis*, non *aut Ariadneis*, ut erat
vitioſum in ejus libro. Comparat enim poeta comam Berenices cum corona Ariadnæ, hinc ait in-
fra *nos quoque flavi verticis exuviæ*, igitur etiam ſuperius *ex Ariadneis aurea temporibus*.
63 *Vividulum a flatu* ita erat in noſtro libro ſcripto optimum, & in aliis fere omnibus *vividulum a*
flutu, & *fluctu* vitioſa pro *flatu* u & a invicem in MSS ſe commutant præſertim in Longobar-
dicis, ut docet & Scaliger, qui quidem retinet *a flatu* h. e. vento (Nam a Zephiro rapta fuit
Coma, & in cœlum translata) tamen peccat, cum ex *vividulum* facit *vividulo* contra MSS, ita
alii *uvidulam a fletu*, & Voſſius *uvidulum a fluctu*, quæ fugienda ſunt, quia & fictitia, & ex-
plicari commode non poſſunt. Nam ſi dicamus, comam vaporibus Oceani, vel Nili undis made-
factam eſſe, omnino ridemur; τὸ *vividulum* enim ſpectat ad comam vividam ſidus currens, volanſ-
que, unde motum eundi vel inviti cognoſcimus. *Templa Deum* ſunt cœleſtia ſpatia, & cœlum
64 ipſum, Enn. *o templa cœlitum*. Ter. *Qui templa cœli ſonitu concutit*. *Diva* vero eſt ipſa Venus,
de qua ſupra *Et Veneris caſto collocat in gremio*. Ea enim famulum ſuum Zephirum legarat.
65 *Virginis &c.* Deſcribit locum, ubi ſita erat Coma. Nam habet ab Oriente Booten, ab occidente
terga leonis, a ſept. poſteriores pedes Urſæ majoris, a merid. Virginem media quatuor aſteriſmorum,
66 ut notavit Scaliger, quicum lego libenter *juſta* pro *juxta* ἀρχαϊκῶς, ultima correpta [illegible]
non autem *Lycaonida* fictitium, quod Vulpius ſecutus eſt. Nam in noſtro, ejuſdemque Scalige-
ri libro ſcripto *Calliſto juſta Lycaonia* ſubaudi *eſt*, nil mutandum; Nam quidvis optimum. Cave au-
tem τὸ *Calliſto* facias tertium caſum, & legas cum Parthenio *Calliſtoe*, cum aliis *juncta Lycao-*
nia, quæ adulterina ſunt. Virgo autem erat Erigones filia Icari Jovis juſſu in cœlum translata. Leo
occiſus ab Hercule & ipſe in cœlum raptus, Hor. *Et ſtella veſani leonis*. Calliſto filia regis Ly-
caonis a Junone in urſam mutata, quæ tamen una cum filio & ipſa Jovis juſſu inter ſidera col-
67 locata fuit, Prop. *Calliſto Arcadios erravit urſa per agros*. Bootes tandem filius Calliſtus a Βοάω
vociferor, qui videtur, cum ſit inter Urſam utramque, quaſi clamans in eandem ferri. Hom. [illegible]
&c.

68 &c. *Tarde occidentem Bootem*; Ovid. *Sive eſt piger ille Bootes* ὁ *alto* autem eſt ὑψηλὸν maris;
Virg. *In altum Vela dabant*.

70 *Lux autem &c.* Verſus, qui legitur in excuſſis, *Luce autem cana Tethyi reſtituor*, abradendus, quia non
Catulli, ſed correctorum, quos Vulpius ſecutus eſt. In MSS enim omnibus Achille teſte, *Lux aut
cana Tethyi reſtituam*, & *reſtituem*, & in noſtro *lux reſtituam*, unde veram eruo lectionem *Lux autem
cana Tethyi reſtituam* bella omnia, & Catulliana, h. e. ego autem lux (ſcilicet mane) reſtituam
(ſubaudi *me* poſitum in verſu ſuperiori) canæ Tethyi h. e. oceano. Prop. *In oceanum ſidera lapſa ca-
dant*. Cave autem tu punctulum figas poſt hunc pentametrum verſum, qui expectat diſtichon illud *non
his tam lætor rebus &c.*

71 *Pace tua &c.* Cum dicat Coma nonnulla, quæ ingrata futura eſſent Veneris beneficio, de induſtria ſe
convertit ad ipſam Venerem, in cujus erat gremio, petitque loquendi veniam, poteſtatemque. Rham-
nuſia enim eſt Venus. Virgo, quam ſupra vocat caſtam *Et Veneris caſto collocat in gremio*, dicta & Ne-
meſis, quæ ſuperbientes caſtigat. Ne autem legas *hac liceat*, ſed *hic liceat*, ut volunt eleganter mem-
branæ Achille teſte. Siquidem *hac*, quod Vulpius ſecutus eſt, & nullo in MSS, & inſulſum. Nam quæ-
nam *hac*, ſi nondum Coma locuta eſt?

73 *Nec ſi &c.* In omnibus MSS Achille teſte *nec ſine infeſtis*, unde lege *nec* ſubaudi *tegam*, *ſi* h. e. etiamſi me
&c. ſpurium enim, quod ſecutus eſt Vulpius, *Non ſi &c.* *Discerpant* autem habet eundem ſenſum ac
carpere h. e. vellicare verbis, plus tamen eſt, quam carpere, de quo mone lexicographos. Leges vero
dictis, ut eſt in vulgatis contra Bentlejum legentem *dextris*, quod, ſi non fictitium, ſaltem vitioſum eſt,
74 & loco non ſuo. Verſus quoque in excuſſis libris, quos ſecutus eſt idem Vulpius, cæterique, plane fi-
ctitius ille *condita quin veri pectoris evoluam*. Nam in omni vet. ſcript. Achille teſte erat *Condita qui ve-
re pectoris evolue*; & in noſtro, *Condita qui vere pectoris evoluo*, recte. Nam ſenſus eſt, *Nec vera tegam,
etiamſi ſidera me dictis diſcerpant, quia evoluo vere condita pectoris*. In hoc enim verſiculo ineſt ratio,
cur tegere Coma nolit vera. Tacere enim non poſſumus, quæ naſcuntur ex animo. *Qui* igitur eſt pro
quia, ut apud Terent. *Peccatum imprudentia eſt, non qui furtum facere ſtuduerit*, ita idem Catullus ſu-
perius loco neſcio quo; *Vere*, ita alio loco, *quoniam vere naſcuntur pectore ab imo*. Tandem *evoluo* te-
traſſyllabon eſt h. e. expono, Cic. *Naturam rerum evoluere*.

75 *Non his rebus*, nempe premi noctu a pedibus deorum, & reſtitui oceano mane. Res enim hæ ſideribus
caræ ſunt, & optandæ, hinc ait infra *ſidera cur iterent*? Lego autem contra doctos legentes *abfore*, &
Marcilium *ab fore*, quod invenuſtum eſt, ut habent omnes libri ſcripti Achille teſte *affore*, quod ta-
men idem vir doctus fruſtra mutat in *afore*, Plautus *aſſus nutrices*, quia adſunt his, quos nutriunt.

77 *Quicum &c.* h. e. cum vertice reginæ, in MSS *dum virgo* Achille teſte, quod retinendum eſt, licet in
libro Scaligeri *quom virgo*. Leges & *expers*, quod erat in omnibus MSS, non *eſpreſſa* commentum inane
Achillis, & Marcilii. Nam *expers* jungitur & cum ſexto caſu. Plaut. *Eo te more expertem faciam*. Salluſt.
Fortunis expertes ſumus, quo loco Scaliger ſudat quidem, nec proficit hilum commentitia ſua *expers
experſis* inflectione, ut *defrens*, *defrenſis*. Leges & lectionem MSS Achille teſte *una millia*, non *myrrha
millia* cum Voſſio fictitium, niſi forte probat, ſe in MSS legiſſe. Virgines enim non ungebantur, ut
a meretricibus diſtinguerentur, nuptæ autem maxime.

79 *Nunc vos &c.* Reviviſcit hic quoque locus nunquam ſanatus a criticis, qui lectionibus *queis*, vel *qua*;
quas ſecutus eſt Vulpius, ſenſum non ſolum implicatum, ſed & ineptum fecere. Neutrum enim belle
explicari poteſt, quod tu attentius videſis. Itaque lego *quum*, pro *quoniam*, ut apud Cic. *Gratias ago,
cum tantum meæ literæ profuerunt*, & hoc pacto expeditiſſimum ſenſum facio, propiuſque, quam cæ-
teri omnes, accedo ad veſtigia MSS, in quibus omnibus *quem* Achille, & Marcilio teſte; Neque autem
audiendus eſt idem Vulpius, qui *ex lumine* explicat diem feſtum. Lumen enim optatum eſt Heſperus,
quo adventante nuptiæ fiebant; poeta *Adveniet portans optata maritis Heſperus*; alibi, *Veſper adeſt, ac
tandem lumina tollit*; rurſum *Nec junxere prius, quam ſe tuus extulit ardor*. Leges vero *junxit* fere ex
omn. vet. ſcrtpt. non *vinxit*, ut erat vitioſum in quibuſdam MSS. *Jungi* enim, vel *jungere* ſunt verba
ſpectantia ad ſponſos, poeta citatus, *Nec junxere prius &c.* T. Liv. *Juncta matrimonio puella*. Leges et-
80 iam *poſt* ex omnibus MSS, non *prius* fictitium. Mariti enim primo faciles ſunt, amant, amanturque,
porro aliam ineunt viam, ut ſæpe ſecubent a papillis ſponſæ.

81 *Tradite &c.* Compellit Coma illas nuptas, quæ ſibi male concordes viros reſtitutos volebant, ex quo
facile notare poſſumus inſulſam ſuperius Scaligeri lectionem *qua*, qua compellit vir doctus corpora. Re-
clamant enim ipſa verba, præſertim verſus, *ſed magis, o nuptæ*. Leges autem *rejecta* ex MSS, non *de-
82 tecta*; Ovid. *Ex humeris rejecit amictum*. Lego etiam, ut erat in omnibus MSS, *quam jucunda* h. e. an-
tequam, ſubaudi *ante*, vel figas poſt *onyx* punctulum admirantis, & rejicio Scaligerum legentem *qua*,
& Marcilium *quum*, quos ſecutus eſt Vulpius, & alios *qua*, quia omnes aberrant ab optima ſcriptura.

83 *Petitis* ita erat rectum in libro ſcripto Scaligeri, ita in noſtro, at in omnibus aliis *queritis*, & *quamritis*
vitioſiſſima, unde Achilles *quatitis* inane, & non ferendum; *petere* enim eſt verbum conjugum peten-
tium jura, h. e. concubitum, & rem conjugalem, poeta alibi *Nupta, qua tuus vir petet, cave ne ne-
85 ges*. Leges autem belle cum Scaligero *Illius a mala dona bibat &c.* a tamen ſine aſpirata, ut vidimus ſæ-
pe in Catullo, & notavit Achilles ex vet. lib. ſcriptis, ut interjectio ſit indignantis, & increpantis, ut
apud Ter. *A tantam rem negligere &c.* non commiſerantis, ut temere putat idem Achilles. Coma enim
minatur, hinc ait *mala dona*, deinde *Namque ego ab indignis &c.* *polvis* vero pro *pulvis* ἀρχαϊκῶς

89 *Tu vero &c.* Coma convertit ſe ſe tandem ad Berenicem, quam monet fugienda; faciendaque, ut Ve-
90 nerem, in cujus erat gremio, placare poſſet, poeta *Et Veneris caſto collocat in gremio*. Leges autem
ſine dubio *luminibus* ex fide fere omn. vet. ſcript., ut *liminibus* commentum Achillis eſſe videatur.
Sacrificabant enim præcipue diebus feſtis, qui dicati erant diis.

91 *Sanguinis expertem* hæc verba ſpectant ad Venerem, de qua ſupra, *Placabis feſtis luminibus Vene-
rem*. Neque vero alludit poeta ad Venerem Paphiam, vel Arſinoem, ut ajebant Muretus, & Sca-
liger exangui interpretatione, ſed ad Venerem ipſam ſtellam, in cujus gremio Zephirus comam
collocaverat. Hanc enim placare debebat Berenice ſi volebat, comam iterum regiam fieri, quæ
quidem Venus revera erat ſanguinis expers, ut quæ pacis, & conubii cauſa. Ejus enim adventu
nuptiæ fiebant, quæ abhorrent diſcordias, & bella; ita Numa Deo Termino ſanguinem non ſacri-
ficabat,

criſicabat, quia juſtitiæ teſtis erat, pacique præſes. Quapropter merito monet Berenicem Coma, ne ſanguinem ſacrificet. Regina enim ſolebat ſacrificare ſanguinem; poeta, *Non ſine taurino ſanguine pollicita eſt*, hinc optima eſt lectio MSS omnium Achille, & Scaligero teſte *veſtris*, quam Catullianam, ut ridiculas cæterorum amplecterentur, noluerunt docti, cujuſque non perceperunt ſenſum, *effice tuam me non veſtris muneribus*, h. e. non tuis, quæ ſoles offerre nempe victimas, & ſanguinem, de quo poeta teſtis, *non ſine taurino ſanguine &c.* ſed *largis* h. e. floribus. Munera enim larga intelligo herbas, fructus, floreſque, en auct. priap. *Ferens munera larga, -- mihi ponitur corolla -- Viola, luteumve papaver -- Pallenteſque cucurbita -- Et ſuaveolentia mala.* Hor. *Largis juveneſcit herbis in mea vota.* Et ſane Venus fructibus, floribuſque delectabatur, quæ omnia ad obſcenam partem referuntur, hinc Priapus deus hortorum: immo habebat dea famulum Zephirum, qui aura ſua flores, & herbas alit, fovetque, poeta, *Aura parit flores tepidi fœcunda Favoni.* Neque retardet quemquam primo *veſtris*, deinde *tuam*. Nam hæc ποιητικῶς; poeta alio loco ad Theſeum, *Attamen in veſtras potuiſti ducere ſedes -- Quæ tibi &c.* Sed & hæc puerilia, quæ tamen inculcare volui, ne, ſpreta recta omnium membranarum *veſtris* lectione, ut pecudes virum gregis caprum ſequamini Scaligerum legentem *ſiveris*, Pontanum *votis*, Achillem *verbis*, Bentlejum *unguinis* inſulſiſſima ſomnia, MSS inimiciſſima, quæ tamen ſpuria Vulpius ſecutus eſt. Nam *unguinis* in nullo MSS, *ſiveris* item in nullo, ita *votis*, & *verbis*, præſertim cum & inepta ſint, quaſi vero Berenice votis tantum, & verbis uti ſoleret, cum ſæpiſſime ſanguinem ſacrificaret ibi *non*
92 *ſine taurino ſanguine pollicita es.* Lego & *effice*, ut erat in noſtro ſcripto, & fortaſſe in tribus Achillis, quanquam in libro Scaligeri *adfice*, quod, ſi vitioſum non eſt, defendi poteſt, ut ſit pro *effice* in ſua prima notione acceptum. Nam eſt ab *ad*, & *facio*; τὸ *ad* enim importat reſpectum ad aliquem, hinc ſupra *Tuens cum ſidera.* Non enim *adfice* importat affectionem, ut putant critici. Nam Berenice afficere debebat Venerem muneribus largis, non comam.

93 *Sidera &c.* Et hic verſus in excuſſis vitioſus, & fictitius ex ingenio præcipue Pontani, qui fecit *retinent*, quod ad pontem mendicet, & Achillis *intereant*, quod, inquam, intereat, & Marcilii *inter*, quod marceſcat, aliorumque *utinam*, quod ſpurium Vulpius ſecutus eſt, cum in MSS omnibus Achille teſte erat, *Sidera cur iterent, ut coma regia fiam*, in uno tamen eodem Achille teſte *uter coma regia fiam*, at in noſtro, *Sidera cur iterent, uter ut coma regia fiam*, ex quo Catullum ita in ſuam priſtinam ſedem reſtituto *Sidera cur iterent? iterum ut coma regia fiam!* explico, *Iterent* belliſſimum. *Iterare* enim proprie eſt *iter repetere*, quod Comæ, & ſiderum errantium proprium eſt, quaſi dicat, *quid juvat, diu noctuque errare, & iter repetere? mallem eſſe in capite reginæ.* Errare enim, erat Comæ maximum ſolatium, ut ipſa teſtatur,

ibi, *Sed quanquam me nocte premunt veſtigia divum,*
Lux autem canæ Tethyi reſtituam,
Non his tam lætor rebus, quam me affore ſemper,
Affore me a dominæ vertice diſcrutior,

Hæc eſt una, & unica explicatio hujus loci, qua expellit merito cæterorum opinionem, præcipue Vulpii ita explicantis, *quid opus eſt, ſidera geminare, & augere*, quod eſt alieniſſimum a mente Catulli; *iterum ut* ex MSS, in quibus *uter ut* recte. Semel enim Coma fuit in capite reginæ, nunc iterum optat eſſe, *ut* autem eſt pro *utinam*, quod notum ex comicis, præcipue Terentio, *Ut omnes te dii perduint!*

94 *Proximus &c.* In om. vet, ſcrip. criticis omnibus teſtibus, *Proximus Hydrochoi fulgeret Oarion*, quæ qui mutarunt Marullus, Muretus, Douſa, & alii, pace eorum bona hic omnino ridendi ſunt; Doctiores, & qui ſapiunt, lectionem MSS mordicus tenent, tamen in explicatione omnes ad unum cæcutiverunt. Scaliger ita *mandat Orioni aſtro fulgentiſſimo, ut pro ſe lucere velit*, inſulſe; nam τὸ *proximus Hydrochoi* quid facit? Achilles ita *Comam minime laborare, quæ quem ſortiantur locum ſidera, ut remotiſſimis e locis ad ſe invicem propius accedant, dum ſibi modo in reginæ vertice eſſe liceat*, inſulſius; quid Vulpius? *Conjungantur ſidera pluvia Hydrochous, & Orion, ut nimia aqua Orbis inundetur*, fruſtra; nam quomodo conjungi poſſunt? quid ſi orbis inundatur? coma & ipſa naufragium patiatur neceſſe eſt. Non hoc igitur ſibi vult, non hoc optat Coma. Cæteros omitto, qui pejora, ridiculioraque excogitati ſunt, contra quos omnes ita ſenſum facio, *Oarion, licet virtute proximus Hydrochoo*, h. e. *licet fere ſemper aquoſus*, (Nam tam Hydrochous, quam Orion ſidera pluvia ſunt, hinc Virgilius, *Pelago deſævit aquiſus Orion*) *tamen tum, cum ero in capite reginæ, fulgeret*, h. e. *ſerenus eſſet, vel ſerenum faceret*; Orion enim cum fulget ſerenum, cum obſcuratur, tempeſtatem portendit, ut ajunt Mathematici. Uno verbo ait Coma *cum reginæ fiam, ſerenum erit*, quod eſt in rebus lætis optatiſſimum, & feliciſſimum auſpitium, quid queris amplius? puto, neque brevius, niſi ego fallor, neque clarius explicari poſſe, neque propius ad rem, ut deſinant aliquando docti, MSS parvi pendere, & Catullo longe doctiſſimo peſſima injuria objectare in rebus mathematicis negligentiam. τὸ *Proximus* enim dictum eſt non de loco, ſed de virtute; ita Cic. *Proximus huic dignitati eſt ordo Equeſter.* *Hydrochoi* autem ἑλληνικῶς pro Hydrochoo, *fulgeret* vero, quod erat in om. MSS, non *fulgeat* adulterinum, eſt a *fulgo is* contra Scaligerum, quem ſecutus eſt Vulpius, putantem eſſe a *fulgero*, Virg. *Quas fulgere cernis in armis*, Tandem *Oarion* & hoc ex græcis pro *Orion*, Nicand. μέρος Ὠαρίωνι.

AD JANUAM.

O dulci jucunda viro, jucunda parenti,
Salve, teque bona Juppiter auctet ope,
Janua, quam Balbo dicunt ſerviſſe benigne
Olim, quum ſedes ipſe ſenex tenuit;
Quamque ferunt rurſus voto ſerviſſe maligno,
Poſtquam eſt porrecto facta marita ſene.
Dic agedum nobis, quare mutata feraris
In dominum Venerem deſeruiſſe fidem?
Non, ita Cæcilio placeam, quoi tradita nunc ſum,
Culpa mea eſt, quamquam dicitur eſſe mea.
Nec peccatum a me quiſquam pote dicere quidquam:
Verum iſti populi, janua, quine facit?
Qui? quacumque aliquid reperitur non bene factum,
Ad me omnes clamant, janua, culpa tua eſt.
Non iſtuc ſatis eſt uno te dicere verbo,
Sed facere, ut quivis ſentiat, & videat.
Quid poſſum? nemo quærit, nec ſcire laborat.
Nos volumus nobis dicere, ne dubita.
Primum igitur, virgo quod fertur tradita nobis,
Falſum eſt, non illam vir prior adtigerat,
Languidior tenera quoi pendens ſicula beta,
Nunquam ſe mediam ſuſtulit ad tunicam.
Sed pater illius nati violaſſe cubile
Dicitur, & miſeram conſceleraſſe domum.
Sive quod impia mens cæco flagrabat amore,
Seu quod iners ſterili ſemine natus erat.
Et quærendum unde unde, foret nervoſius illud,
Quod poſſet zonam ſolvere virgineam.
Egregium narras mira pietate parentem,
Qui ipſe ſui gnati minxerit in gremium.
Atqui non ſolum hoc ſe dicit cognitum habere
Brixia, Cycnea ſuppoſitam ſpecula
Flavus quam molli percurrit flumine Mela,
Brixia Veronæ mater amata meæ,
Sed de Poſtumio, & Corneli narrat amore,
Cum quibus illa malum fecit adulterium.
Dixerit hic aliquis, quid tu iſtæc janua noſti,
Quoi nunquam demum limine abeſſe licet?
Nec populum auſcultare, ſed huic ſuffixa tigillo
Tantum operire ſoles, aut aperire domum?
Sæpe illam audivi furtiva voce loquentem
Solam cum ancillis hæc ſua flagitia,
Nomine dicentem, quos diximus, utpote quæ mi

Speret, nec linguam eſſe, nec auriculam.
Præterea addebat quemdam, quem dicere nolo
Nomine, ne tollat rubra ſupercilia.
Longus homo eſt, magnas qui lites intulit olim
Falſum mendaci ventre puerperium.

NOTÆ CRITICÆ.

1 *O Dulci &c.* Verſus eſt elegiacus, quem compoſuit Veronæ occaſione arrepta ex eo, quod domum
olim Lesbiæ, quam, puto, Cæcilius ex Novocomo, Conduxerat, primo ventitarit. Janua enim hæc
non Romæ, ut temere putavit Voſſius, non Brixiæ, ut Palladius, ſed Veronæ, ut & Scaliger e-
gregie notavit ex verſiculo *Brixia Veronæ mater amata meæ*: Vocat enim ibi Veronam ſuam,
nempe ſuam patriam. Quod autem janua hæc Lesbiæ fuerit, ex his, quæ ſequuntur, clare pate-
bit. *Juc. viro, juc. par.* vero h. e. grata marito Lesbiæ, & parenti mariti, qui ſponſam ſubagi-
2 tabant. *Salve* porro, quia Januæ, & Limini præerat deus Limentinus, & Veſta dea, hinc ab-
euntes, & redeuntes limina ſalutabant, Plaut: *Limen ſalve, atque vale*.
3 *Quam Balbo &c.* Incipiunt critici, quos ſecutus eſt Vulpius, dormire, contra quos ſubmiſſa voce
noto, Balbum non eſſe legatum Cæſaris, non Oppii collegam, non Stoicum, non Cor. Balbum
Gaditanum, ut balbutiunt nonnulli, ſed patrem Lesbiæ. Nam Balbus certe primo tenuit hanc
domum, quo mortuo ſtatim tenuit ejus filia, ut colligo ex verbo *rurſus*, quod ſignificat, januam
rurſum ſerviſſe viris ejuſdem familiæ Balbi; Et ſane Lesbia erat Veronenſis, & ejus maritus erat
inſulſus ex Sirmione, quem poeta vocat municipem, ibi *Quendam municipem meum*, alibi, *Aſt
illi fatuo maxima lætitia eſt*, de quo ſtolido ſermo eſt in hac elegia. *Benigne* autem h. e. benevo-
6 le; nam liberales & benevoli, hinc ait infra *maligno*, quod contrarium eſt. Leges vero, ut erat
in omnibus MSS Achille teſte, *eſt* non *es* fictitium, quod Vulpius ſecutus eſt. Sermo enim eſt in
tertia perſona, ut patet ex ſuperioribus. *Quam dicunt &c. Quamque ferunt &c.* Leges & *porrecto*
h. e. mortuo cum Scaligero lectionem omn. vet. ſcrip. eodem Scaligero, & Achille teſte, non
projecto commentum doctorum, quod projiciendum omnino eſt. Mortuorum enim pedes porrige-
bantur, ad quorum geſtum alluſit Martialis ibi, *Sed mea perrexit ſportula, Paule, pedes*. Neque
vero faveas Achilli legenti *functa*; Nam in membranis diſertim *facta marita*. Maritam enim
januam vocabant, *ait Scaliger*, cum dominus uxorem duxiſſet, vel domina vice verſa. Simul ac
enim uxor in mariti manum convenerat, lectum ante januam ſternebant, qui dicebatur lectus
adverſus, Prop. *tamen adverſum mutarit janua lectum*. Ut enim novæ nuptæ lectus ſternebatur,
hinc Cic. *lectum, quem filiæ nubenti ſtraverat*, ita, cum ſterneretur ante januam, janua ipſa ma-
rita eſſe videbatur.
7 *Dic age &c.* In MSS omnibus *dic age de nobis*, & *vobis*, quod retineo, unde tamen docti, quos
ſecutus eſt Vulpius, *dic agedum nobis*, ex Perſio *Dic age dum Statio*; alii, *dic age dic vobis*, fictitia
omnia, nec ſatis bella. Quærebat enim factum januæ, igitur *de vobis*, quod ſolito iniqui optimum
expulerunt. Neque obſtat τὰ *feraris*; Nam poeta & alio loco mutat caſum ibi ad Theſeum. *At-
tamen in veſtras potuiſti ducere ſedes*; & alibi ad Egnatium loco ſuo. Lectio quoque MSS Scaligeri
in dominum Venerem, & libri etiam noſtri, cæterorumque non mutanda, quia elegans, & ſalſa,
quam tamen critici, quos ſecutus eſt Vulpius, minime voluerunt, injuria. Nam ſenſus eſt, *cur
deſerviſti fidem domino ita libidinoſiſſimo, qui Venus ipſa eſſe videbatur?* Intelligit enim poeta patrem
mariti nurum Lesbiam exercentem, de quo loquitur Catullus in hoc carmine, quare infra de
hoc Venere poeta, *Sive quod impia mens cæco flagrabat amore*; non enim τὸ *dominum* eſt geniti-
vus pluralis, ut putat Scaliger, ſed accuſativus ſingularis. Nam janua habuit unum tantum domi-
num impium libidinoſum. Nota porro Ciceronem ad hunc locum ibi, *Odioſum autem eſt, cum
a prætereuntibus dicitur, O domus antiqua, quam diſpari domino dominaris*.
9 *Non ita &c.* Interroganti reſpondet janua, quæ jurat per Cæcilium hominem probum, nihil ſua
culpa commiſſum, ſed malitia domini, qui jam non amplius hanc domum incolebat, Leges autem
ſine dubio *placeam*, non *pateam* commentum Achillis amandandum ad cinædos porta patentio-
res. Nam in MSS *placeam*, & in libro Maffei *plateam* vitioſum culpa librarii. Cæcilius vero cer-
te ille ex Novocomo amicus Catulli, qui, cum toties a poeta Veronam vocaretur, domum tan-
dem conduxit illam ipſam, quam olim habitabat Balbus pater Lesbiæ, deinde Lesbia ipſa cum
marito ſtolido, & ſocero libidinoſo, quamque cum primum intraſſet, occaſionem arripuit eam
ſalutandi, interrogandique de Lesbiæ amicæ libidinibus, quam tamen non nominat, quia ama-
bat, ut facit ad Coloniam, & ad Hendecaſyllabos: ut omnino errent, qui putant cum Achille,
puellam hanc eſſe illam, de qua poeta *Ignoſco tibi Sapphica puella muſa doctior*. Hæc enim lauda-
tur a Catullo, nec maritum habuit, cum Lesbia habuerit virum inerti ſemine natum, quem poe-
ta irridet in hoc carmine, & ad Coloniam, & alibi. Neque vero Cæcilius eſt ille, cui Clodia
nupſit, ut credit Turnebus merito notatus & a Scaligero. Nam Lesbia non erat Clodia, ut contra
omnes doctos probo ad carmen *vivamus mea Lesbia*, deinde nihil tale de Clodio narratur. Non
enim hoc tacuiſſet Cicero in oratione in Clodium. Multo minus audias Vulpium, qui putat Cæ-
cilium adulterum, cum fuerit homo probus, & ab hiſce libidinibus remotiſſimus, ut colligo ex
illis verbis *ita Cæcilio placeam*. Janua enim multo carior placuiſſet Cæcilio, ſi tot libidinum, de
quibus rumor erat, perpetratarum in cauſa non fuiſſet. Amabat enim Cæcilius bonam famam, ex-
11 iſtimationemque, qua carere videbatur janua, quæ toties patuit libidinoſiſſimis. *Pote* tandem pro
pote eſt, vel *poteſt*, ut alio loco *Sive id pete, ſive pote*.
12 *Verum iſti &c.* Critici noſtri, quos Vulpius ſecutus eſt, ſuaviter, ut innui ſupra, dormiunt, ſom-
niantque lectiones belliſſimas, quas tamen enumerare, oleum perdere eſt; Scaliger præcipue altiſ-

ſimos

ſimos rhoncos edit, qui Cajum Catullum Quintum facit ex verſiculo hoc praviſſime accepto, quem quidem virum doctum, cum ab omni corona eruditorum, cronologorumque explodatur, nolo altiori voce reprendere, ne miſellum a ſomno excitem. Tantum dico, verſum in excuſſis fictitium eſſe, & merum ſomnium. Nam in omnibus MSS Achille, & Scaligero teſte ita legebatur *Verum iſti populi, janua, quite facit*, in Maffei libro *popli*, & in noſtro *iſti populi janua quime facit*, & vitioſius minus latine in libro Guarini *iſti populo janua quid reficit*, præſertim cum contra exclament Codices meliores Scaligeri, cæterorumque. Quid igitur dicendum? ne a MSS diſcedamus, quæ ſunt, quomodocumque accipiantur, Catulliana, & aurea. Ego fretus libro meo puto, hanc eſſe veram lectionem. *Verum iſti populi, janua, quine facit?* h. e. verum quiſnam iſtius populi facit peccata, & ſcelera, cum tu non facis? τὸ *verum* enim ſpectat potius ad poetam interrogantem; *iſti* ἀρχαϊκῶς pro *iſtius*, ut vidit & Scaliger, de quo mone lexicographos; ita Plautus *iſta* in dandi caſu pro *iſti*; porro *populi* recte generandi caſus; ita enim in om. vet. ſcript. nulla excepta; *Quine* pro *quiſne*, ut apud Plautum *Quine inſuper adducas?* *Qui* enim, & *quis* in interrogatione aſſumit *ne*; poeta, *Quem ne ipſa reliqui?* tandem *facit* ſubaudi *peccatum*; Nam ſupra *Nec peccatum a me*; plana omnia, nihil dictum vi, explicatumque. Tranſeo ad alterum verſum, *Qui? quacumq. aliquid reperitur non bene factum*. τὸ *qui* pro quis leges cum interrogatione. Reſpondet enim ſtatim Janua Catullo, en Cicero, *quid aliud? quid? hoc opinor, periiſſe omnia*, *Quacumque* autem cum dicit janua, exaggerat ſuum infortunium. Nam omnes clamant, janua culpa tua eſt, Quod ſi mavis retinere alteram lectionem *quite facit*, hunc ſenſum facias neceſſe eſt. *Verum* in ore januæ, quæ perſtat in narratione; *iſti populi* ſubaudi *vox*, ita Cicero, *Sed eſt jam una vox omnium magis odio firmata, quam præſidio*. Deinde *janua, quite, facit* h. e. janua eſt, quæ quidem facit peccata. τὸ *qui* enim eſt pro *quai* ἀρχαϊκῶς, & *quai* eſt pro *qua*: *ai* enim olim pro *æ*, hinc ſcribebant veteres *maiſtus* pro *mæſtus*; poeta ſuperius in MSS *majeſtas miſeritus* pro *mæſtus miſeritus*, quare etiam lexicographi afferunt exemplum Plauti *qui* pro *qua*; ſed puto & ibi *qui* eſſe pro *quai*, & *qua* archaica ſcriptura, ut apud poetam hic noſtrum. *Te* tandem eſt addiectio ſyllabica poetæ cariſſima, quæ in compoſitione habet quandam ἔμφασιν. Cic, *ut tute mihi præcepiſti*. Leges etiam in ſequenti verſiculo *qui*, ut erat in noſtro libro, & Scaligeri, & fortaſſe aliorum, non *quia* ſpurium. Qui enim h. e. qui populus clamant &c. *quacumque* ſcilicet ratione.

15 *Non iſtuc &c.* Hic loquitur poeta, qui tamen tacite viatores quoſdam interrogantes inducit, ut colligo ex verbis *nobis*, *nos*, & ex eo *dixerit hic aliquis* ſcilicet veſtrum, & ex Cic. *Cum a prætereuntibus dicitur, O domus antiqua quam diſpari domino dominaris!* *iſtuc* autem ἀρχαϊκῶς pro *iſtud*.

17 *Quid poſſum &c.* Iterum reſpondet janua interrogantibus. In MSS autem omnibus Achille teſte *quid poſſum?* h. e. quam ob rem poſſum, vel cur? Cic. *quid ita? quia* &c. Vir. *Quid tantum Oceano properent ſe tingere ſoles*. Cave enim legas *qui poſſum*, vel *quod*, *poſſit*, vel *poſſis* adulterina, quæ ta-
18 men Vulpius ſecutus eſt. *Nos volumus* vero cum dicit, viatores inducit; nam in noſtro MSS, *nos volumus nobis dicere, ne dubita*, in aliis *vobis u* & *n* invicem in libris ſcriptis, neque legas *nec dubia* Achillis, quia ſpurium, & nullo in libro ſcripto.

19 *Primum &c.* Narrat janua hiſtoriolam totam hujus familiæ libidinoſiſſimæ. Lego autem lectionem
20 omnium MSS Achille, & Marcilio teſte *non illam vir prior attigerat* rectius, quam in libro Scaligeri *attigerit* vitioſum, præterquamquod *qui* fictitium eſt ex ingenio ejuſdem Scaligeri, quem Vulpius ſecutus eſt. Multo minus legas *nanque* ineptum, quod tamen erat in quibuſdam excuſſis,
21 *Sicula* vero eſt in obſcenis pro parte pudenda, ita Plautus verbo *gladium* ibi, *Dum gladium quæro, arripio capulum*, de quo mone lexicographos; beta porro languida eſt, hinc Auguſtus apud
22 Svetonium allatum etiam a Scaligero *betizare* pro *langueſcere*. Leges tandem optime *ad tunicam* licet in MSS *hanc tunicam* vitioſum, unde Achilles fruſtra *media ſuſtulit hinc tunica*. Ex hoc autem diſticho aperte colligo, hanc puellam eſſe Lesbiam, & maritum illum inſulſum, de quo ad Coloniam, *Inſulſiſſimus eſt homo-- nec ſe ſublevat ex ſua parte*, quæ ultima verba reſpondent noſtris *nunquam ſe mediam ſuſtulit ad tunicam*, deque quo in epigrammatis *Aſt illi fatuo maxima lætitia eſt*, quæ reſpondent noſtris *languidior beta*. Beta enim, cum languida eſt, proprie fatua vocatur. Mart. *Fatuæ fabrorum prandia betæ*.

23 *Sed pater illius* ita in noſtro, & Scaligeri, aliorumque, ut *ipſius* vel *ipſe* vel *ille ſui*, quæ legebantur, fictitia ſint. τὸ *illius* enim habet in ſe contemptum, & ἔμφασιν, ut apud Cic. *Medea illa*
24 *&c.* poeta *Lesbia illa*, *illa Lesbia*, & alibi. *Conſceleraſſe* vero, quia ſcelus eſt, haſce libidines per-
25 petrare, hinc infra ait *impia mens*, & alio loco *Impia non verita divos ſcelerare parentes*. Leges autem *cæco*, ut eſt liquide in libro ſcripto, quanquam in aliis *tecto* vitioſum; Hor. *Furorne cæ-*
27 *cus, an &c.* Lego porro cum Scaligero *Et quærendum unde unde*; nam licet in MSS omnibus *& quærendum unde foret*, tamen in noſtro *undunde*, ſed alterum calami ſigno expunctum librariorum negligentia, quaſi vitio repetitum, cum elegans ſit, en Plautus *Unde unde dicam*, hinc nihil mirum, ſi librarii, qui porro deſcripſerunt, alterum deletum reliquere; ita accidit etiam infra ad verſum *Ad quam tum properans*, quem vide; deſinant igitur docti *nec unde* vel *aliunde* reponere, quæ tu fictitia merito rejicies. Tandem *illud* abſolute dicit modeſtiæ cauſa, quia ſubintelligitur res
28 obſcena, ita Plaut. *Sapit vaſte id, qui ſcis*. Zona autem cingulum ex ovis lana, quo puellæ cingebantur, quodq. vir in lecto ſolvebat Hom. λῦσε &c. *Solvit autem virginalem zonam*; Non enim putes cum Vulpio, fuiſſe membranam illam virginalem, quam prima nocte vir in lecto diſrumpebat. Cingebantur enim revera cingulo virgines, immo & nuptæ, hinc apud Homerum Juno ſolvitur zona, quoties it dormitum, concubitumque.

29 *Egregium &c.* εἰρωνικῶς laudat poeta pietatem patris erga filium, & ſponſam, quod εἰρωνείας genus imitatus eſt Virgilius, *Egregiam vero laudem, & ſpolia ampla refertis*; alio loco *Egregium*
30 *Veneris genus*, Leges autem contra Scaligerum, & librum unum vitioſe ſcriptum *minxerit*, quod erat fere in omnibus MSS Achille teſte, quodque eſt in obſcenis, de quo mone lexicographos, ita Virgilius in turpi ſenſu *Hic thalamum minxit natæ, vetitoſque hymenæos*, & Perſ. *Patriciæ immejat vulvæ*; Hor. *Formæ melioris mejat eodem*. Porro *gremium ſui nati* h. e. puellæ, quia maritus,

& uxor una caro eſt, quod vidit optime & Vulpius etiam ex Juvenale *Oſtenditque tuum, generoſe Britannice, ventrem.*

31 *Atqui &c.* Urget propoſitum janua, aperitque adulteria puellæ cum aliis amatoribus perpetrata. Lego autem, ut erat in uno libro Achillis, & noſtro *Atqui non ſolum ſe dicit hoc cognitum* vitioſe, unde rectius idem Achilles *non ſolum hoc ſe dicit*, quamquam in Maffei libro, & altero Achil-
32 lis deeſt *hoc*, tamen in aliis *hunc*, & *huic* vitioſiſſime. Verſus quoque ſequens in libris excuſſis fictitius ex ingenio corruptorum *Chinnea ſupoſita ſpecula*, vel *ſuppoſitum in ſpecula*, quod fruſtra legit Galeardus, cui repugnat *τὸ quam*, vel *ſuppoſita in ſpecula*, vel *Cycnea ſupoſita ſpecula*, quæ Vulpius ſecutus eſt. Nam in MSS omnibus Achille, & Scaligero teſtibus *Chinea ſuppoſitum ſpecula*, at in noſtro *Ciconea ſuppoſitam ſpecula*, & in Gallicano *ſuppoſitu ſpecula u* pro *a* invicem in MSS, hinc naſcitur vera lectio *Cycnea ſuppoſitam ſpecula* h. e. quam poſitam ſub ſpecula Cycnea (præpoſitio enim *ſub* eſt in ipſo verbo *ſuppoſitam*) percurrit flumine Mela; ex qua quidem optima MSS omnium lectione cognoſcitur, quam longe abſit a vero doctiſſimus Maphejus, qui putat, diſtichon ſequens *flavus* minime Catullianum eſſe, cum revera expectet ſuperiora illa *Cycnea ſuppoſitam ſpecula*. Speculam autem credit Achilles eſſe turrim, quæ vulgo *Mirobella* vocatur, Cycneam vero ajunt dictam ab auctore Cycno nunc vulgo *Cigneo*.

33 *Flavus &c.* Ventum eſt ad Maphejum ſupracitatum injuria negantem, hoſce duos verſus ex penu Catulli depromptos eſſe. Primo enim extant in libro noſtro, & in aliis MSS antiquioribus, teſte doctiſſimo Galeardo, & fortaſſe in libris Scaligeri, Achillis, cæterorumque, qui de hoc locuti fuiſſent ſigillatim, ſi lacunam in ipſis iiſdem libris habuiſſent, quod hoc unum ſatis eſſe deberet Maphejo ad mutandum conſilium. Neque obſtat, quod deſint in quibuſdam membranis. Nam ſi verſus omnes, qui multi in aliis leguntur, deſunt in aliis, expungeremus; miſer Catulle vix oſſibus hæres; en hæc elegia deeſt in tribus Cod. Vat. & verſus *nulli illam agricola*, & *at ſi forte eſt ulmo* non leguntur in Patavino, ut fidem facit Vulpius. Num igitur & elegia, & expellendi verſiculi, cum reapſe ſint Catulliani? minime vero. Deinde exclamant φαῖον, & verba omnino digna Catullo. Nam τὸ *flavus* perpetuum eſt amnium, & fluminum ἐπίθετον laudans, non ut credit vir doctus, quo deſcribatur flumen alterum Melo, quod Brixiam interluit; audi Homerum ξανθὸς Ῥαδάμανθυς *flavus Radamantus.* Virg. *Ille cum gurgite flavo – Accipit venientem.* Hor. *Vidimus flavum Tiberim retortis &c.* Porro τὸ *molli*, ut probat & Vulpius contra eundem virum doctum, latiniſſimum eſt, & torrenti Melæ maxime conveniens, hinc Ovid. *quid mollius unda?* & Virg. *Mollior undis.* Eſt enim & hoc perpetuum aquæ epithetum a μαλακώτερον *mollio*. Nam aqua mollis, & tenerrima, quare & cinædi vocantur molles, quorum caro tenera facta eſt turpi patientia; Plaut. *Magis mollior, quam ullus cinædus.* Dein *percurrit* eſt genuina lectio MSS omnium Achille, Scaligero, & cæteris teſtibus, non *præcurrit* commentum ſemidoctorum. Ex eo enim *percurrit* colligo, legendum eſſe *Mela*. Nam eſt verbum torrenti idoneum. Percurrere enim eſt valde currere, hinc *permagnus pergravis* h. e. valde magnus, valde gravis, quia *per* in compoſitione habet augendi vim, unde ſenſus eſt, *quam Brixiam* h. e. *Brixianum agrum valde currit*. Cic. *multa percurriſſe*; Virg. *Currimus æquor*. Niſi forte olim Mela revera interluerit Brixiam, cujus ſitum tractu temporum mutatum eſſe, teſtatur Galeardus, quemadmodum Atheſis, qui, ut ait Vulpius, olim ad latus Veronæ, nunc Veronam ipſam interluit. *Flumine* autem dicit, ut etiam ex hoc colligamus, veram lectionem *Mela*. Flumen enim eſt a *fluo*, quod & rivo, & fluvio, & torrenti competit, de quo mone lexicographos, hinc Virg. *Rapidus montano flumine torrens*, ita Mela, quia ex Brenno monte, vere flumine currit, quare alio loco de eodem Mela loquens, *Curva prope flumina Mella*. Nam τὸ *curva* ſpectat ad torrentis undas. *Mela* vero eſt lectio mei Cod., quanquam in quibuſdam *Mello* vitioſum ſcriptum ab imperito librariolo, quod reſpuerunt merito Achilles, Scaliger, Parthenius, Muretus, cæterique doctiores; quo loco quæro etiam atque etiam, cur poeta elegerit Melam (Hoc enim eruditorum litem præcidit, qui ſunt tum maxime muti, ubi res indiget explicatione) potius quam Melonem? quia, ajo, Mela Melone nobilior, tum quia Mela, ut diximus ſupra, fortaſſe tunc temporis Brixiam interfluebat, tum quia oritur ex monte Brenno dicto a Brenno Gallorum duce, unde nobilior eſt Mela, quam Melo, tum etiam propter curſum. Nam flumina eo laudantur magis, quo currunt velocius, tum porro propter aquas; Nam torrentis aquæ lætiores, vividioreſque. Igitur optime elegit Catullus Melam. In laudationibus enim, quæ nobiliora ſunt, narrantur, omiſſis iis, quæ neque ad laudem, dignitatemque rei, quæ laudatur, conferre poſſunt. Alterum quoque verſum diligentius examino, in quo idem Maphejus, Voſſius, Vulpius, Achilles, cæterique notandi ſunt. *Brixia* urbs, ut omnes norunt, Tranſpadanæ regionis prope Melam, quam iterum nominat amoris gratia. Erat enim mater Veronæ patriæ januæ. Nam matrem maxime amamus. Poeta enim ſolet ſæpiſſime repetere vel amoris, vel iræ, vel doloris gratia, ut ibi, *matris complexu avelere natam – Complexu matris*, alibi, *Lesbia illa*, *illa Lesbia*. alio loco, *Invita o regina tuo de vertice ceſſi*, *Invita*, rurſum, *ſubſternens ſe impia nato .. Impia*, ut etiam ex hoc loco colligamus contra Maphejum, diſtichon eſſe Catulli. *Veronę* autem eſt generandi caſus, non dandi, ut putat Vulpius, quod arguo apertiſſime ex verbo ſequenti *mater*, quod & hoc contra eundem Vulpium, & Achillem, & Maphejum explico. *Mater* enim hic non eſt perpetuum urbium epithetum, neque dicta ob vetuſtatem, & beneficia, ſed quia μητρόπολις, unde coloniæ Veronam deductæ, vel mores, legeſque, ut jure mater Veronæ eſſe videretur, quam explicationem probat, tueturque T. Livius ibi, *Brixiam, quæ caput gentis erat* &c. Poſtremo nota τὸ *mea*, ex quo clare colligitur, Januam fuiſſe Veronæ, ut mecum facit etiam Scaliger, quem tamen ne audias legentem *tuę* fictitium. Nam in omnibus MSS *meę*, ut errent, qui putant, januam fuiſſe Brixiæ, vel Romæ, quod ne ex rutis quidem, ac cæſis exculpi poteſt. Reliqua autem, quæ afferuntur a Maphejo, ingenii quidem ſunt, non roboris, viriumque. Si enim poeta interrumpit orationem, hoc facit de more; nam & alio loco ad Manlium ibi *Tu mea tu moriens*, præcipue ibi *Troja ciere viros*, *Troja nefas &c.* deinde, *Tecum una tota eſt noſtra ſepulta domus*. Neque durum eſt, januam de flumine Mela, deque rebus Veronenſium differere, ut putat vir doctus. Hoc enim poeticum, & elegans eſt, hinc ſupra alio loco Catullus inducit phaſellum jactantem

genus

genus ſuum, celeritatem, & alia, quæ ſolis hominibus convenire videntur, adde Virgilium, & Horatium, adde Homerum, apud quem Poliphemus cum ariete colloquitur, adde & Ciceronem, qui ſi oratoribus, equidem concedit, ut muta loquantur, ut mortui ab inferis excitentur, quanto magis poetis, quibus quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas? ſed deſino; Nam viro doctiſſimo (Veronenſi pro me reſpondet janua ipſa, cum ait,

ibi, *Dixerit hic aliquis, qui tu iſthac janua noſti,*
Quoi nunquam domini limine abeſſe licet?
Sæpe illam audivi furtiva voce loquentem
Speret nec linguam eſſe, nec auriculas.

Juv. *Servi ut taceant, jumenta loquuntur,*
Et poſtes, & marmora.

35 *Sed de Poſtumio* ita erat in omn. vet. ſcrip. Achille teſte, non *Poſtumi* ſpurium, quod eſt in quibuſdam
37 temere excuſſis; Leges etiam, ut fidem faciunt omnes libri ſcripti eodem Achille teſte *quid tu*
38 *iſtac*. Nam *qui tu* commentum eſt. Nota etiam verſiculum ſequentem, puto, in excuſſis omnibus
adulterinum, quem tamen Vulpius ſecutus eſt. Nam in noſtro Codice pro *domini* erat *demum*, ita etiam
in Patavino eodem Vulpio teſte, itaque in altero Voſſii, qui tamen fecit *divum* inſulſe. Quod ſi *demum*
cæterorum MSS eſt, nullum dubium, quin veriſſima ſit. *Demum* enim eſt pro *omnino*, ut notarunt etiam lexicographi ex Cicerone *demum magna voluptas &c. Domini* igitur, quod legebatur, non ſolum erit
ſpurium, ſed etiam invenuſtum. Nam limen potius domi, non domini.
39 *Sed huic &c.* In MSS *hac* vitioſum. Repudiandus autem eſt Scaliger lectione ſua *conſciolis*, quæ & a le-
xicographis delenda eſt, quia commentitia. Nam in MSS omnibus Achille teſte *conciliis*, & in Maf-
fei libro *cum conciliis*, at in noſtro *cum onciliis*, ut omnino genuina ſit lectio Achillis *cum anciliis*, qui-
bus heræ ſecreta libentiſſime communicant. Neque audias Voſſium legentem *Cæciliis*. Nam, præter-
quamquod aberrat a ſcriptura, etiam a vero ſenſu. Nam Cæcilius nihil rei habebat cum adultera, ut
44 clare docui ex ſuperioribus. Lego etiam lectionem omnium MSS a Criticis temere ſpretam, Voſſio ex-
cepto, *Speret nec linguam eſſe*; *m* enim in *linguam* longum eſt aliquando gratia cæſuræ, ut apud
Propertium *Hæc eadem ante illam impune & Lesbia fecit*, & apud Ovid. *In manibuſque Jovem, & cum Jo-
ve fulmen habebat*; *ſperet* autem pro *ſperaret* Hiſtoricorum more, ita alio loco *audet falſiparens* pro *au-*
45 *ſus*. Leges etiam non *ardebat* ſpurium, ſed *addebat*, ut erat in omn: vet. ſcrip. Achille teſte.
46 *Rubra &c.* Licet non nominat mœchum poeta, tamen deſcribit a colore, ſtatura, & natura, ut ali-
qua ratione innoteſcat, quo loco peccant fere omnes docti, quos Vulpius ſecutus eſt, tranſlate omnia
accipientes, cum in prima notione accipi debeant. Erat igitur ſuperciliis rubris, longus, & nothus.
47 Tollere autem ſupercilia, minitantis eſt, & indignantis. Longus vero non inſulſus, ut ajebat Douſa,
quem ſecutus eſt Vulpius, ſed ſtatura, ita ſolet poeta alibi de Quintia, *Quintia formoſa eſt, mihi can-
dida, longa, — Recta eſt*. Leges tandem *qui* ita in membranis pro *quoi*, vel potius *cui* ἀρχαϊκῶς, quare
ſuperius in quib. lib. ſcrip. *qui dono lepidum* pro *quoi*, de quo mone lexicographos, ita *quis* pro *queis* ſæpe
Tandem *falſum puerperium* dicit, non quia adulterio conceptus, ut putant, ſed quia ſuppoſitus; *puerpe-
rium* enim eſt partus ipſe; *falſum*, quia non reapſe natus erat ex ea, qua volebat, matre; *mendaci*,
quia mater ipſa mentiendo favebat puero, quem affirmabat ex ſuo ventre natum eſſe. Hanc unam ex-
culpo ſententiam facile ex ipſis verbis, ut adulterium, quod interpretes interpretantur, locum habe-
re non poſſit niſi per vim.

AD MANLIUM

Quod mihi fortuna, caſuque oppreſſus acerbo
Conſcriptum lacrimis mittis epiſtolium,
Naufragum ut ejectum ſpumantibus æquoris undis
Sublevem, & a mortis limine reſtituam;
Quem neque ſancta Venus molli requieſcere ſomno
Deſertum in lecto cælibe perpetitur,
Nec veterum dulci ſcriptorum carmine muſæ
Oblectant, cum mens anxia pervigilat;
Id gratum eſt mihi, me quoniam tibi dicis amicum,
Muneraque & muſarum hinc petis, & Veneris.
Sed tibi ne mea ſint ignota incommoda, Manli,
Neu me odiſſe putes hoſpitis officium;
Accipe quis merſer fortunæ fluctibus ipſe,
Ne amplius a miſero dona beata petas.
Tempore quo primum veſtis mihi tradita pura eſt,
Jucundum quum ætas florida ver ageret,
Multa ſatis luſi, non eſt dea neſcia noſtri,
Quæ dulcem curis miſcet amaritiem.
Sed totum hoc ſtudium luctu fraterna mihi mors
Abſtulit, o miſero frater ademte mihi!
Tu mea, tu moriens fregiſti commoda, frater,
Tecum una tota eſt noſtra ſepulta domus.
Omnia tecum una perierunt gaudia noſtra,
Quæ tuus in vita dulcis alebat amor.
Cuojus ego interitu tota de mente fugavi
Hæc ſtudia, atque omnis delicias animi.
Quare quod ſcribis, Veronæ turpe Catullo
Eſſe, quod hic quiſquis de meliore nota
Frigida deſerto tepefecit membra cubili,
Id, Manli, non eſt turpe, magis miſerum eſt.
Ignoſces igitur, ſi, quæ mihi luctus ademit,
Hæc tibi non tribuo munera, quum nequeo.
Nam quod ſcriptorum non magna eſt copia apud me,
Hoc fit, quod Romæ vivimus, illa domus,
Illa mihi ſedes, illic mea carpitur ætas,
Huc una e multis capſula me ſequitur.
Quod quum ita ſit, nolim ſtatuas, nos mente maligna
Id facere, aut animo non ſatis ingenuo,
Quod tibi non utriuſque petiti copia facta eſt,
Ultro ego deferrem, copia ſi qua foret.
Non poſſum reticere, deæ, quam Manlius in re
Juverit, aut quantis juverit officiis.
Nec fugiens ſæclis oblivi ſcentibus ætas

Illius

Illius hoc cæca nocte tegat ſtudium;
Sed dicam vobis, vos porro dicite multis
Millibus, & facite, hæc charta loquatur anus.
Vivat in ore hominum plus uno clarior ævo,
Noteſcatque magis mortuus, atque magis.
Ne tenuem texens ſublimis aranea telam,
In deſerto Auli nomine opus faciat.
Nam mihi quam dederit duplex Amathuſia curam
Scitis, & in quo me corruerit genere.
Quum tantum arderem, quantum Trinacria rupes,
Lymphaque in Oetæis malia Thermopylis;
Mæſta nec aſſiduo tabeſcere lumina fletu
Ceſſarent, neque triſti imbre madere genæ:
Qualis in aerii perlucens vertice montis
Rivus muſcoſo proſilit e lapide,
Qui, quom de prona præceps eſt valle volutus,
Per medium denſi tranſit iter populi,
Dulce viatori laſſo in ſudore levamen,
Quum gravis exuſtos æſtus hiulcat agros.
Hic, veluti nigro jactatis turbine nautis
Lenius aſpirans aura ſecunda venit
Jam prece Pollucis, jam Caſtoris implorata,
Tale fuit nobis Manlius auxilium.
Is clauſum lato patefecit limite campum,
Iſque domum nobis, iſque dedit dominam,
Ad quam communes exerceremus amores,
Quo mea ſe molli candida diva pede
Intulit, & trito fulgentem in limine plantam
Innixa, arguta conſtituit ſolea!
Conjugis ut quondam flagrans advenit amore
Proteſilaeam Laodamia domum;
Incæpta fruſtra, nondum cum ſanguine ſacro
Hoſtia cœleſtis pacificaſſet heros.
Nil mihi tam valde placeat Rhamnuſia virgo,
Quod temere invitis ſuſcipiatur heris.
Quam jejuna pium deficeret ara cruorem,
Docta eſt amiſſo Laodamia viro.
Conjugis ante coacta novi dimittere collum,
Quam veniens una, atque altera rurſus hiems,
Noctibus in longis avidum ſaturaſſet amorem,
Poſſet ut abrupto vivere conjugio,
Quod ſcibant Parcæ non longo tempore abiſſe,
Si miles muros iſſet ad Iliacos.
Nam tum Helenæ raptu primores Argivorum
Cæperat ad ſe ſe Troja ciere viros.

Troja nefas, commune ſepulcrum Europæ, Aſiæque,
    Troja virum, & virtutum omnium acerba cinis.
Quæ vecto id noſtro letum miſerabile fratri
    Attulit, hei miſero frater ademte mihi!
Hei miſero fratri jucundum lumen ademtum!
    Tecum una tota eſt noſtra ſepulta domus.
Omnia tecum una perierunt gaudia noſtra,
    Quæ tuus in vita dulcis alebat amor.
Quem nunc tam longe non inter nota ſepulcra,
    Nec prope cognatos compoſitum cineres,
Sed Troja obſcena, Troja infelice ſepultum
    Detinet extremo terra aliena ſolo;
Ad quam tum properans fertur unde undique pubes
    Græca penetralis deſeruiſſe focos.
Ne Paris abducta gaviſus libera mœcha
    Otia pacato degeret in thalamo.
Quod tibi tum caſu pulcherrima Laodamia
    Ereptum eſt vita dulcius, atque anima
Conjugium, tanto te abſorbens vertice amoris
    Æſtus in abruptum detulerat barathrum;
Quale ferunt Graij Pheneum prope Cylleneum
    Siccari emulſa pingue palude ſolum,
Quod quondam cæſis montis fudiſſe medullis
    Audet falſiparens Amphitryoniades.
Tempore quo certa Stymphalia monſtra ſagitta
    Perculit imperio deterioris heri.
Pluribus ut cœli tereretur janua divis,
    Hebe nec longa virginitate foret.
Sed tuus altus amor barathro fuit altior illo,
    Qui tunc indomitam ferre jugum docuit.
Nam nec cauſa earum confecto ætate parenti
    Una caput ſeri gnata nepotis alit,
Qui cum divitiis vix tandem inventus avitis
    Nomen teſtatas intulit in tabulas,
Impia deriſi gentilis gaudia tollens,
    Suſcitat a cano volturium capiti.
Nec tantum niveo gaviſa eſt ulla columbo
    Compar, quæ multo dicitur improbius,
Oſcula mordenti ſemper decerpere roſtro,
    Quamquam præcipue multivola eſt mulier.
Sed tu olim magnos viciſti ſola furores,
    Ut ſemel es flavo conciliata viro;
Aut nihil, aut paulo cui tum concedere digna
    Lux mea, ſe noſtrum cum tulit in gremium;
Quam circumcurſans hinc illinc ſæpe Cupido,

Fulgebat crocina candidus in tunica.
Quæ tamen etſi uno non eſt contenta Catullo,
Rara verecundæ furta feremus heræ,
Ne nimium ſimus ſtultorum more moleſti;
Sæpe etiam Juno maxima Cælicolum
Conjugis in culpa flagravit cottidiana
Noſcens omnivoli plurima furta Jovis.
Atqui nec divis homines componier æquum eſt,
Ingratum tremuli tolle parentis onus.
Nec tamen illa mihi dextra deducta paterna
Fragrantem aſſyrio venit odore domum;
Sed furtiva dedit mire munuſcula nocte
Ipſius ex ipſo demta viri gremio.
Quare illud ſatis eſt, ſi nobis is datur unis,
Quem lapide illa diem candidiore notat.
Hoc tibi, quo potui, confectum carmine munus
Pro multis aliis redditur officiis.
Ne voſtrum ſcabra tangat robigine nomen
Hæc, atque illa dies, atque alia, atque alia.
Huc addent divi quamplurima, quæ Themis olim
Antiquis ſolita eſt munera ferre piis.
Sitis felices & tu ſimul, & tua vita,
Et domus ipſa, in qua luſimus, & domina.
Et qui principio nobis terram dedit, offert,
A quo ſunt primo omnia nata bona.
Et longe ante omnes mihi quæ me carior ipſo eſt
Lux mea, qua viva vivere dulce mihi eſt.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Quod mihi &c.* Verſus eſt elegiacus, in quo poeta primo excuſat negligentiam ſuam apud Manlium afflictum conjugis morte, quod nullam ei petenti miſerit, a qua levaretur, compoſitionem; dein beneficia ab eo accepta commemorat, unde arripit occaſionem laudandi Lesbiam, & ſe ſe; tandem felicem, beatamque vitam, & omnia fauſtiſſima comprecatur. Hæc autem compoſuit Veronæ, ut clare patet ex illis verbis, *Veronæ turpe Catullo eſſe*. Inſcribes vero recte *ad Manlium* non *Mallium*, ut eſt in quibuſdam excuſſis. Nam in MSS *Manli* & *Manlius* Achille teſte. *Caſuque oppreſſus*, quia amiſerat uxorem Juniam, cujus nuptias ſuperius cecinit Catullus ad carmen *Veſper adeſt*. Tandem *epiſtolium* dicit, quia Manlius epiſtolam miſerat Catullo, qua compoſitionem aliquam dulcem ab eo petierat, non autem & libros, ut putant temere docti.

3 *Ejectum* loco ſuo. Eſt enim verbum in naufragio idoneum, en Cicero, *Quid tam commune, quam*
4 *litus ejectis*; Virg. *ejectum litore egentem excepi*. τὸ *limine* autem translate dictum, ita Virg. *Pri-*
5 *moque in limine vitæ*; porro *molli*, quia ſomnus revera mollis eſt; poeta *Languore oculos ſopor ope-*
6 *rit*. Enn: *Somnus molliſſimus perculit*, ideoque facit & homines molles. Hom.. ὕπνος &c. *Unius gratia mihi ſomnum inviſum facit*. Leges tandem *lecto*, ut erat in noſtro libro ſcripto, & in altero Scaligeri, & Parthenii, cæterorumque, quo loco noto contra eundem Scaligerum, thalamum, quod ſpurium erat in quibuſdam excuſſis, non ſolum de legitimo toro uſurpari, ſed etiam de amatorio; poeta *Ne Paris gaviſus libera mœcha--Otia pacato degeret in thalamo*, ita etiam Ovidius, cujus locum non bene memini, de quo mone lexicographos; Fallitur quoque & in eo, quod credit, τὸ *lecto calibe* de amatorio dici. Nam nullum eſt verbum, unde hæc colligi poſſint, immo contra. Sed vir doctus utroq. loco dignus eſt, meo judicio, excuſatione. Quis enim non dormiret, cum ſermo ſit de thalamo, lectoque? Neque Vulpius impune abire debet, qui putat, rixas inter Manlium, & Juniam interceſſiſſe, immo Manlium nondum uxorem duxiſſe, cum revera idem Manlius angeretur Juniæ obitu. Primo enim cognoſco ex illis verbis *caſuque oppreſſus acerbo*, quia Junia pene puella, & immatura obierat; deinde ex eo *lacrimis*, quæ ex maximo dolore naſcuntur; tum ex illis *a mortis limine reſtituam*, quod non dixiſſet, ſi rixæ tantum interfuiſſent, vel conſuetis amoribus ipſe idem caruiſſet; tandem aperte colligo ex eo, quod poeta afflictus morte fratris mergebatur fortunæ fluctibus ibi *Accipe quis merſer fortunæ fluctibus ipſe*, igitur etiam Manlius morte conjugis, qui fortuna oppreſſus naufragium quodammodo paſſus eſt, ibi

Naufragum, & ejectum ſpumantibus æquoris undis. Neque obſtat τὸ *munera Veneris*, quæ petebat.
Nam munera Veneris ſunt amatoria, quibus allicere volebat alteram ſibi uxorem; multo minus
verſus *Sitis felices tu ſimul, & tua vita.* Nam *tua vita* cum dicit poeta, intelligit amicam, in quam
Manlius incumbebat, ut probo clarius loco ſuo; miror autem, quod Manlius lectum cælibem adeo
oderit, ut nec cibus eum juvaret, nec tegeret ſomnus quiete ocellos, cum revera deſiderandus ſit,
Cic. *A ducenda uxore ſic abhorret, ut quicquam libero lecto neget eſſe jucundius.* Hor: *Nil melius cælibe vita.*
7 *Nec veterum* ſcilicet græcorum Scriptorum, & etiam latinorum puta Pacuvii, Enni, aliorumque.
8 Leges autem, ut erat in omnibus MSS Achille teſte *pervigilat*, non *pervigilet* ſpurium, cave tamen
cum eodem Achille legas *cui mens* fictitium. Nam in MSS eodem viro docto teſte *cum mens* op-
time. *Cum* enim eſt pro *quia*. Cic. *Gratias ago, cum tantum mea literæ profuerunt.*
9 *Id gratum &c.* Cicero habet neſcio quid ſimile, *Quamquam me nomine negligentiæ ſuſpectum tibi
eſſe doleo, tamen non tam mihi moleſtum fuit accuſari abs te officium meum, quam jucundum re-
quiri.* Lego autem contra corruptores, quos Vulpius ſecutus eſt, ut erat in omnibus MSS Achille
teſte *dicis amicum*, non *ducis* commentum inane eorum. *Dicere* enim *ſibi* elegantiſſimum eſt h.
10 e. ſibi eligere, en T. Livius *Is ſibi Mag. Equ. Poſtumium dicit.* Porro munera muſarum, & Vene-
ris ſunt duæ res, non una tantum, ut credit Vulpius, cæterique, contra quos reclamant verba *quod
non utriuſque petiti copia facta eſt.* Nam munera muſarum ſunt carmina puta heroica, ita & Ho-
ratius *Ad libros, & ad hæc muſarum dona*, munera autem Veneris ſunt & ipſa carmina ſed ama-
toria, in quibus Catullus valebat, de quo Plin. *Amatorium de incantamentis carmen a Catullo
editum*; & ſane Muſis levari volebat, Venere aliquam ſibi uxorem facilius allectare; quo loco
Parthenius fuit cæteris infelicior, qui *munera* ita prave explicat, *ut Romam redeam ad commu-
nia inter nos puellarum munera.*
11 *Sed tibi &c.* Excuſatio, qua Catullus defendit ſe ſe apud Manlium. Leges autem ſemper *Man-
12 li*, non *Malii*, ut monuit Achilles ex MSS omnibus. τὸ *hoſpitis* vero refertur & ad Manlium,
apud quem poeta Romæ diverſabatur, hinc infra *Iſque domum nobis iſque dedit dominam*, & ad
poetam ipſum, ad quem Manlius. *Quis* pro *queis* & *quibus* ἀρχαϊκῶς unde etiam Itali *quei* pro
quelli. *Mergi* autem eſt opprimi, quam μεταφορὰν imitatus eſt Horatius *merſor civilibus undis*;
alibi *adverſis rerum immerſabilis undis*;
15 *Tempore quo &c.* Romani cum exibant a pueritia, veſtem candidam induebant anno fere decimo
ſexto; Phædr. *Togamque puram jam parant filio*, & hæc non ſolum Romæ, ſed ubi velis, dabatur,
Cic. *Togam puram Ciceroni meo cum dare Arpini vellem; cur non Romæ? ſed tamen &c.* *Pura* di-
cta, quia nullam prætextam purpuram habebat. Differebant autem a Candidatis, qui toga induti
addita alba creta, ut ab aliis diſtinguerentur, magiſtratum petebant. Pueri tandem prætexta pur-
16 pura circundabantur, Perſ. *Cum pavido cuſtos mihi purpura ceſſit.* Porro vocat adoleſcentiam *ver.*
Cic. *Ver enim tanquam adoleſcentiam oſtendit fructus futuros*, quod Itali imitati ſunt, L. de M.
Dell'età tua la verde primavera.
17 *Multa luſi &c.* In hac ætate promptiores ſumus ad amandum, & ſcribendum res amatorias,
Petr. *Voi che aſcoltate in rime ſparſe il ſuono*
Di quei ſoſpiri, onde io nutriva il cuore
In ſul mio primo giovanile errore,
Quand'era in parte altr'uom da quel, ch'io ſono.
Dea autem eſt Venus, de qua poeta alio loco, *Curis hominum quæ gaudia miſces*; Plaut: *Dulce amarum-
que una nunc miſcens mihi*, quod diligentius indagat Petrarca,
ibi, *Ma s'egli é Amor, per dio, che coſa, e quale?*
Se buona, onde è l'effetto acre, e mortale?
Se rea, onde è ſi dolce ogni tormento?
19 *Sed totum &c.* Sumit hinc ocaſionem fratris obitum deplorandi, laudandique ejus amorem. Leges au-
tem, ut monet liber ſcriptus noſter, & Codex Patavinus Vulpio teſte, & etiam alii *abſtulit*, quod eſt
vera lectio, ut colligo ex verſiculo illo *Cujus ego interitu tota de mente fugavi--Hæc ſtudia*, hic *abſtulit*,
ibi *fugavi*, ſed fortius ex eo, *quæ mihi luctus ademit &c.* hic *abſtulit* ibi *ademit*, ut omnino vitioſus eſſe
20 videatur liber Scaligeri, qui habebat *abſcidit*, quod idem Vulpius ſecutus eſt. O *miſero* vero cum dicit,
ſe convertit ad fratrem mortuum, ut dolor clarius eluceat, & excuſatio apud Manlium locum habere poſſit.
21 *Fregiſti &c.* dictum tranſlate Hor: *Poſtquam res mea ad Janum fracta eſt*: Petr. *O crudel morte-- Or hai
22 ſpogliata noſtra vita, e ſcoſſa.-D'ogni ornamento.* Porro *ſepulta* h.e. extincta, Cic. *Quod bellum adventu
23 Pompej ſublatum, & ſepultum?* Egregia quoque eſt tranſlatio *perierunt*, quam & hanc itali imitati ſunt,
Petr. *Il deſir vive, ogni ſperanza è morta.* G. C. *Io dico che i miei ſpirti ſono morti*, Cicero autem ad rem
noſtram, *Fratrem meum fac diligas, quem ego miſer, ſi incolumem relinquo, non me totum periiſſe arbi-
24 trabor*; ita *alebat* h.e. augebat, Hor: *Amnis, imbres, quem aluere*, quam metaphoram etiam Itali imitati
ſunt, Petr. *Qui dolce aura d'amor, quanto deſio--ſol mi nutriva, m'alimenta, e paſce.* L. de M. *Se non che
25 ſpeme il cuor nutriſce, & ale*, tandem *quojus* pro *cujus*, *omnis* pro *omnes* ἀρχαϊκῶς,
28 *Quod hic* h.e. Romæ, pro *iſtic*. *hic* enim aliquando uſurpatur pro *iſtic*, & *illic*, de quo mone lexicogra-
phos; Virg. *Hic illius arma*, pro *illic*. *De meliore nota* h.e. nobiliores, vel qui meliore nobilitate no-
tantur. Hæc enim contra Vulpium accipias reapſe.
29 *Frigida &c.* ſenſus eſt, *Quiſquis Romæ cubat & tepefacit me rubra frigida cum amica Catulli in ejus lecto,
quem deſeruit*, quia hic nunc Veronæ eſt; & hoc pacto Manlius invitat Romam poetam. Leges autem
tepefacit recte cum Codice noſtro, & altero Achillis, non *tepefacit* vel *tepefactat*, quod erat vitioſum
30 in ſcripto libro Maffei. *Turpe* vero non eſſe, reſpondit poeta, ſed potius miſerum. Nam quod miſerum
eſt, poteſt eſſe non turpe, e contra quod turpe, ſemper miſerum. Cic. *O rem turpem, & ea re miſeram.
Sentio enim id ſolum eſſe miſerum, quod turpe.*
31 *Ignoſces &c.* Veniam petit a Manlio, quod utriuſque petiti copiam non fecerit. *Ademit* autem h. e. abſtu-
lit, ex quo cognoſcitur vera lectio ſuperius Codicis Patavini, noſtri, & aliorum *abſtulit*, non *abſcidit*,
33 ut docui ibi contra Scaligerum, Vulpium, cæteroſque. *Scriptorum* vero cum dicit, intelligit non
ſolum græcos, ſed & latinos, puta Andronicum, Nævium, Ennium, & alios. Cave enim intelli-
gas ſcripta. Catulli, ut quidam inſulſe ſcriptitarunt, quaſi vero poeta tot, tantoſque libros compo-
ſuerit, ut una capſula non eſſet ſatis; ita ſuperius *Nec veterum dulci ſcriptorum carmine muſæ*

33 *Oblectant:* *copia* autem dicitur de libris, Cic. *Libris me delecto, quorum feſtivam copiam habeo.* Leges
porro, ut docuit Achilles ex MSS omnibus *mea carpitur*, non *mihi* ſpurium. μεταφορὰ tandem ver-
bi *carpitur* ducta eſt a fructibus, vel floribus, poeta *ut flos carptus defloruit ungui*, vel a Parcis, de qui-
bus poeta, *æternumque manu carpebant rite laborem*, hinc & Virg. *Moerens carpere juventa*.

37 *Quod cum ita ſit &c.* ἐπίλογος rerum adhuc in excuſationem allatarum, ex quo veniam a Manlio faci-
lius impetrat. Leges autem, ut erat in MSS omnibus Achille teſte, & noſtro *nos mente*, non *me mente*
fictitium. *Maligna* vero h. e. non liberali, quia copiam petiti non fecerit, cujus contrarium *benigna*;
poeta, *non mihi tam fuit maligne*, -- *Ut non poſſem octo homines parare rectos*. Hor. *Quantumvis tolle;*
39 *benigne*. Leges etiam *petiti*, ut liquide habet noſter liber ſcriptus, quanquam in aliis *potenti*, & *peten-
ti* vitioſa. *Utriuſque* ſcilicet & muſarum, & Veneris, quod utrumque jam ſuperius explicavimus loco
ſuo. *Copia* nempe ſcriptorum, de quibus poeta ſupra *Nam quod ſcriptorum non magna eſt copia apud me.*
Cave enim faveas Voſſio legenti *poſta eſt*. Reclamant enim MSS.

41 *Non poſſum &c.* Commemorat poeta Manlii beneficia, ad quæ enarranda implorat dearum Muſarum
opem. Fama enim heroum in poetis, & oratoribus vivit. Hor. *Dignum laude virum Muſa vetat mori.*
Lego autem hunc quoque verſum nunquam ſanatum hoc pacto *quam Manlius in re*. In MSS enim omni-
bus Scaligero, & Marcilio teſtibus *quam ſalus in re*, vel *quam Salius in re*, & in noſtro *quam Sanlius in
re*. *Quam* enim pro *quantum*, ut alio loco *quam lubet, abice*; alibi *Quam jejuna pium deficeret ara
cruorem*, hinc ait infra *aut quantis &c.* Deinde (omiſſo pronomine *me*, quod ſæpiſſime eleganter
omittitur) *in re* h. e. in facultatibus, & in pecunia, Hor. *In re præclara patris aletur*; alibi. *Rem patriam
oblimare*. Neque audiendi ſunt, qui legunt Voſſius *qua me Manlius*, Scaliger *qua me Allius*, Vulpius
qua Manlius, quia diſcedunt a libris ſcriptis, & ineptias faciunt. Unde enim ſcit vir doctus, Man-
lium fuiſſe Allium? nonne ex conjectura mera? Ego certo ſcio, fuiſſe Aulum, de quo Cicero; *De
L. Torquato quid modo quæris? non modo Lucius, ſed etiam Aulus profectus eſt*, itaque corrigitur & ver-
ſus ille *In deſerto Auli nomine*, qui in MSS *In deſerto ali nomine* contra eundem Scaligerum, qui, quo-
niam fruſtra ſudavit libentiſſime in fictitio cognomine Allio, vel Allieno, edat cicutis allium nocen-
tius.

43 *Nec fugiens* ita in omn. vet. ſcrip. Marcilio teſte, & etiam in libro noſtro, quod ſenſum facit clariorem,
venuſtioremque hoc pacto *nec patiar, illius ſtudium in me tegi ac deleri ab ætate longa ſed dicam vobis*
&c. *ne* igitur, quod erat in excuſſis, quodque, puto, Vulpius ſecutus eſt, non ſolum ut ſpurium, ſed
44 ut inſulſum reicias. *Studium* autem h. e. voluntatem Manlii in Catullum, Cic. *Magna ſunt hominum
ſtudia.*

45 *Sed dicam vobis &c.* Hic ſubridens vellico lentiſſima brachia Caſtelvitri, qui poetam noſtrum in hoc
verſu peſſima injuria reprendit, cum totus venuſtus ſit, & Catullo digniſſimus. Non enim impro-
prium eſt, narrare aliquid Muſis. Nam nonne res narrantur Soli, Lunæ, Nocti, Diei, Oceano,
Terræ, Cæloque, quæ divina ſunt, ut habemus ex Euripide, Propertio, & Plauto ibi, *Qui aut nocti,
aut diei, aut Soli, aut Lunæ -- miſerias narrant ſuas?* cur non Catullus Muſis, quæ minori divinitate
præditæ ſunt? Immo revera ad Muſas ſpectat aliis narrare facta Heroum, Virg. *Pandite nunc Helicona
deæ, cantuſque movete*, Hor. *Dignum laude virum muſa vetat mori*. igitur recte *vos porro dicite multis*,
quanquam *ac dicam vobis* poteſt idem eſſe ac *dicam carminibus*. Carmina enim & Muſæ eadem ſunt
Virg. *Pollio amat noſtram, quanvis ſit ruſtica, muſam*. Sed quid ſudo? Caſtellum vitreum vel ſe
dendo facile vincitur. Lege autem, ut erat in libro noſtro *carta*, & in Maffei *charta*, quanquam in
aliis omnibus *certa* vitioſum, unde Achilles fictitium *cera*, poeta *omne ævum tribus explicare chartis*.
Auct. inc. in Ciri *ſenibus loqueretur pagina ſæclis*. Mart. *Famaque novit anus*, quem vidit etiam Vul-
pius.

47 *Vivat &c.* Hic verſus deerat in MSS omnibus, pro quo ſuppoſiti ſpurii inſulſiſſimi tres, *Omnibus inque
locis vulgetur fama ſepulti*, alter *Omnibus & triviis vulgetur fabula paſſim*, tertius *muſcoſi repetat vada
remigiis Acherontis*, qui reiiciendi omnino ſunt nimirum Acherontis ad umbras, noſtro tamen libro,
& quidem in exemplo *Vivorum....... clareſco*, unde ita eruo verſiculum, quem æqui, bonique facite,
Vivat in ore hominum plus uno clarior ævo, poeta alibi, *plus uno maneat perenne ſæclo*, eodem loco *omne
ævum tribus explicare chartis*.

49 *Ne tenuem &c.* ſenſus eſt *ne aranea faciat telam in ſtatua, & in inſculpto nomine Auli deſerto ab hominum
fama, & voce*. Nomina enim heroum in ſtatuis inſculpta videntur eſſe deſerta, & ignota, ſi non
habeant vatem, a quo notiſſima fiant, Hor. *Ignoti longa nocte, carent quia vate ſacro*. Sub tela autem
aranei longum tempus deſignatur, quod mihi ſuggerit duo verſus a Plutarco allati, quos ita in italum
tranſtulerunt,

Stia pur gran tempo in pace la mia lancia,
Finché abbia intorno le tele di ragno.

50 Leges autem cum Marcilio recte *In deſerto Auli nomine*. Nam in MSS omnibus Scaligero, & Achille
teſte *in deſerto Ali nomine*. Diximus enim ſuperius, Manlium fuiſſe Aulum non Allium, quod fruſtra
commentus eſt Scaliger; Neque legas *deſerto in manli*. Nam corrumpis MSS. Leges etiam *Amathu-
ſia*, ut habent omnes libri ſcripti, non *Amathuntia* fictitium, ita auct. inc. in Ciri, *non eſt Amathu-
ſia noſtri tam rudis*, dicta ab urbe Amathunte, poeta *O cæruleo creata ponto*, -- *Quæ Amathunta colis*,
quæ quidem dicitur duplex, vel quia mater duorum amorum ex Ovid. *Alma fave geminorum mater
amorum*, vel quia gaudia miſcet curis ex poeta noſtro *Quæ dulcem curis miſcet amaritiem*, & ex Plau-
to *Amor felle, & melle eſt fœcundiſſimus*, & ex Petr. *Non ſai come amor ſana, e come ancide?* & tan-
52 dem ex L. de M. *Amor pur mi riſponde.. Non è dolce alcun ben, quanto è il mio male*. Lego quoque contra
fere omnes libros excuſſos, ut fidem facit omnis vet. ſcrip. nullo libro ſcripto excepto, Achille, &
Mureto teſte *corruerit*, quod neſcio quo fato docti mutarunt in *torruerit* ſpurium, quod ſolito Vulpius
ſecutus eſt inmerito, cum *corruerit* ſit elegantius, & venuſtius. Nam [illegible] eſt, *& quo genere cor-
ruerit in me*. ita Hor. *In me ruens Venus Cyprum deſeruit*. Dicit enim *corruerit*, quaſi Venus una cum
Cupidine ruerit, (Venus autem, in quem ruit, labefactat, unde ſtat & altera doctorum interpretatio, ut *cor-
ruerit* idem ſit, ac everterit, & labefactarit, ut apud Lucretium *Quæ poſſint corruere turbine ſummam*.)

Præpoſito autem *in petit(τ)me* non *τὸ quo genere*. Cic. allatus a Scaligero, *quod optime genere facere*
non licuit; alibi, *Quem tam molli genere appellare*, & ſane poeta non ſolum arſit, ſed & tabuit fletu,
igitur *torruerit* non eſt plane idoneum, præſertim cum & adulterinum ſit.
53 *Arderem* nem e amore. Amor enim urit amantes, poeta *Ignis mollibus ardet in medullis*. Trinacria
vero h. e. Ætna mons in Sicilia ita dicta a tribus promontoris,

Dant. *E la bella Trinacria, che caliga*
Tra Pachino, e Peloro ſopra il Golfo,
Che riceve da Euro maggior briga.

Hor. *Ardeo, quantum non virens in Ætna flamma*; Ovid. *Videor translatam viribus Ætnam -- Pectore*
54 *ferre meo*. Leges porro optime cum Scaligero *malia* prima producta, ut probat vir doctus ex Sophocle
μάλιδα attice, dorice autem μαλίδα. Nam in MSS omnibus *malia*, & *mallia*, de quo mone le-
xicographos. Cave enim legas *Lamia* cum Taurello, vel *manlie* cum Marcilio, multo minus *manlia*
cum Turnebo. Thermopylæ enim ſunt prope ſinum maliacum, unde dicta malia lympha h. e. aqua cali-
da Herculis; Herod. *Thermopylarum quod montis ad Heſperum vergit inaceſſum eſt, quod autem via ver-*
git ad Auroram, id a mari excipitur, ac vadoſis. In hoc ingreſſu ſunt thermæ h. e. *calida lavacra*, & *de-*
ſuper ara Herculi extructa, ſi igitur thermæ in monte Oeta proximæ ſunt mari nempe ſinui Maliaco,
recte dicitur *lympha malia* quaſi ex eodem ſinu nata, ut fictitiæ, & inſulſæ cæterorum lectiones eſſe vi-
57 deantur. *Qualis &c.* Comparat lacrimas ſuas rivo; *aerii* autem dicit, ut alio loco *Aerium nivei montis*
61 *liquere cacumen*. Leges vero ſine dubio *laſſo*, licet in MSS *baſſo* vitioſum, quod fruſtra retinuit Voſſius.
Sudor enim dicitur laſſus ab effectu, quia reddit homines laſſos. Leges & *viatori*, ita in noſtro, & aliis,
licet in Maffei libro in margine *viatorum* & hoc vitioſum.
63 *Hic veluti &c.* Exaggerat Manlii beneficia. In MSS autem omnibus Achille teſte erat *hic*, quod eſt
optimum, h. e. in hiſce meis miſeriis, in hiſce rebus, nempe in cura, quam dedit Amathuſia in ardore,
& fletu, ut deſipiant docti, qui *hic*, in *ac* mutarunt ſpurium, & ineptum, quod, puto, Vulpius
65 ſecutus eſt. *nigro* autem, quia malo, vel quia nigrum cœlum facit. Leges vero *implorata*, quod legunt
critici docte, ut εὐπλοΐα ſit, *aura ſecunda jam Polluces, jam Caſtoris prece implorata venit*. Non enim
eſt audiendus Achilles, qui, quia in MSS *implorate*, mallebat *implorante* inane, multo minus Voſſius,
66 qui legit *Pollucis jam Caſtoras implorante*: Nam corrumpit MSS. *Tale* tandem cum dicit, comparat
Manlii auxilium auræ ſecundæ, quod enarrat in ſequentibus.
67 *Is clauſum*, ita legitur fere in omnibus libris ſcriptis Marcilio teſte, non *is laxum*, quod & vitioſum,
& inſulſum eſt. Si enim fuiſſet campus laxus, non erat neceſſe patefieri limite lato ex Cod. Scalig.; quo
loco & Vulpium noto, qui *campum* interpretatus eſt copiam amoris, quod eſt contra verum. Nam
certo ſcimus, manlium Catullo dediſſe agrum, & domum, & dominam, ut aperte colligo ex eo
verſu *Et qui principio nobis terram dedit*; deinde ſi dedit domum *iſque domum nobis*, credendum eſt,
& campum dediſſe, quod jam ex citato ſuperius verſu cognoſcitur, quem quidem campum non com-
munem habebat poeta cum Manlio, ut credit Muretus. Hoc enim inlepidum eſt, quod peſſima injuria
faceret Manlium pauperculum, cum revera eſſet potentiſſimus, poeta ad Juniam *En tibi domus, ut po-*
68 *tens viri tui*: *Dominam* tandem nempe Lesbiam, ut probabo infra loco ſuo.
69 *Communes &c.* Plautus allatus a Vulpio, *facetia ſt, amare inter ſe rivales duos -- Unam amicam*
amamus ambo. Leges autem, ut erat in libro Maffei, & etiam noſtro, *exerceremus*, quod retinuerunt
70 docti, non *exercimus*, vel *nos exercemus*, ut habebant vitioſe cæteri libri ſcripti. *Quo mea* vero cum
dicit, laudat dominam illam, quam exercebat, *quo* h. e. domum, de qua ſupra *iſque domum nobis*, por-
ro *candida diva* eſt ipſa domina, non Venus, ut invenuſte putat Parthenius. *τὸ diva* enim eſt vox
blandientis, qua vocabant amicas, de quo mone lexicographos, præſertim cum *divus* raro referatur ad
71 deos, ſed ſpectet ad hominem, qui inter deos vel relatus eſt, vel referri poteſt. *Fulgentem* h. e. auro
ornatam. Aurum enim præcipue fulget, hinc fulgura, poeta alio loco *Transfer limen aureolos pedes*.
72 *τὸ arguta* h. e. canora. Cantat enim quodammodo ſolea, cum arcta eſt, laxa autem non item. Prop.
Proſilit in laxa nixa pedem ſolea. Non enim explices brevem cum Mureto, vel pulcram cum Vulpio,
qui fruſtra attulit Virgilium *Argutum caput*, quod etiam a lexicographis delendum eſt. Nam *argutum*
equi caput in Virgilio idem eſt, ac vividum, & animoſum, ut loqui videatur, hinc *argutari* ſpectat
ad animalia ut ex Ennio, Plauto, Propertio, eodemque Virgilio videre eſt; *ſolea* tandem calceamen-
ti genus feminarum præſertim in triclinio, vel cubiculo, Cic. *Soleatus Pretor &c.* Lege tamen,
ut fidem facit om: vet. ſcrip. Achille teſte, *conſtituit ſolea* h. e. poſuit, immiſit: Cic. *Conſtituite vobis*
ante oculos ſenectutem. Nam *conſtitit in ſolea* adulterinum eſt.
73 *Conjugis &c.* Comparat hic amorem Lesbiæ amori Laodamiæ erga maritum Proteſilaum. Lego autem
75 contra omnes doctos, quos Vulpius ſecutus eſt, *incepta*, ut habent fere omnes libri ſcripti optimum,
non *incerta* vitioſum, vel *inceptam* commentum Turnebi Scaligero fruſtra cariſſimum. Incepta enim
ſubaudi eſt Laodamia, ultima longa ob duas conſonantes ſequentes. *Incipio* vero eſt ab *in*, & *capio*, ut
recte lexicographi, hinc in MSS *incepta* ſine diphtongo, quapropter Achilles ſomniat, ob *incepta* for-
76 taſſe pro *non accepta* accipi poſſe. Leges & *pacificaſſet* verbum latinum, quod expulerunt quidam inſul-
ſi reponentes *conciliaſſet* contra MSS. T. Liv. *Ad pacificandum inter primos nobis*; alibi; *Quantum pa-*
cificatum Rhodiorum auctoritas valuiſſet; hinc *pacificatio*, & *pacificator* apud Ciceronem. Solebant
enim veteres, non ſolum in nuptiis, ut eſſent fortunatiores, poeta, *bona cum bona nubit alite virgo*, ſed
& antequam quicquam agerent, Diis ſacrificare præſertim pro abitu, redituque cariorum, quod non
fecit Laodamia. Si enim ſacrificaviſſet, Proteſilaus fortaſſe non occubuiſſet, hinc Delia edocta apud
Tibullum,

ibi, *Non uſquam, qua me cum mitteret urbe,*
Dicitur ante omnes conſuluiſſe deos.
Cuncta dabant reditum, tamen eſt deterrita nunquam,
Quin fleret, noſtras reſpiceretque vias.

& Berenice apud Catullum, *Non ſine taurino ſanguine pollicita es -- Si reditum tetuliſſet*; & Cic. *Eorum*
vota de meo reditu exaudiens; ita in aliis rebus omnibus, Ter. *Ait rem divinam feciſſe, & rem ſeriam*
velle agere mecum, ex græcis, Hom. ἦ οὔ τ' Ὀδυσσεὺς &c. *Nonne Uliſſes gratificabatur ſacrificando?* Placa-
bant

bant autem deos olim farre, & ſale, Ovid: *Ante deos homini quod conciliare valeret -- Far erat, & pu-*
ri lucida mica ſalis; Tib: *Farre pio placant, & ſaliente mica*; ita Horatius, & Perſ. *Farre litabo*;
tandem *caleſtis* in MSS ἀρχαϊκῶς pro *cœleſtes*; *heros* h. e. deos, Ovid. *Mica ſalis puri pacificabat heros*;
poetá *ſit mea furor, hera, domo*, de quo, ut ſupra ſemel, iterumque dixi, mone lexicographos.
77 *Nil mihi &c.* Docet poeta, nihil ab hominibus ſuſcipiendum eſſe heris invitis h. e. ſuperis non placatis
victima. Rhamnuſia autem Virgo eſt Venus; cui ſpectat obire munera nuptiarum, ut ex Homero do-
cui ſuperius, merito igitur ſe convertit ad Venerem hoc loco, ubi de Laodamiæ nuptiis ſermo eſt. Le-
ges vero contra Scaligerum, quod erat in libro noſtro, & fere in omnibus aliis, *quod temere*, non
quam, ut erat vitioſe in ejus libro. Senſus enim eſt, *Nil tam valde placeat* h. e. *tam valde diſplicet id*,
quod ſuſcipiatur heris h. e. *diis invitis*, de heris monui ſuperius Lexicographos.
79 *Deficeret* ita erat in omnibus MSS, in quibuſdam tamen *diſgeret* in margine, unde fecerunt *deſideret*,
defigeret, & *deſugeret* fictitia, & invenuſta, quæ Vulpius, cæterique ſecuti ſunt, contra quos omnes
jure Catullum retineo. Nam *deficeret* rectum eſt. Ineſt enim in hoc verſu figura hypallage pro *quam*
cruor pius deficeret aram jejunam, docta eſt &c. porro *pium cruorem* puta *taurinum ſanguinem*, non *hu-*
manum, ut inhumaniter putat Voſſius. Nam pius eſt religioſus, qui in deos affectus eſt, hoſtia autem
80 ſpectat ad deos, iccirco ſacra, pia, & religioſa. *Amiſſo viro* h. e. Proteſilao, qui ſub Troja ab Hectore
81 occiſus fuit. Leges etiam cum Achille *novi*; nam in MSS *novit*, & *vovit*; novus enim dicitur maritus,
Varro, *novos maritus ſolvebat cingulum*; poeta *novos captat aure maritos*, ut *novum*, quod legeba-
tur, ſpurium, & inſulſum ſit; *collum* autem, quia eſt in venereis deliciis; Virg. *Collo dare brachia cir-*
82 *cum*; Tib. *Poſt etiam collo ſe implicuiſſe velit*; Prop. *Quam vario amplexu mutamus brachia*, tandem
hiems pro anno, de quo mone lexicographos, poeta alibi, *nonamque edita poſt hiemem*.
83 *Avidum ſaturaſſet* egregie, quia vere amantes cupiunt ingenti deſiderio amicam, ut eam vorare,
& bibere videantur, poeta ſuperius *Nec unquam inde coram ſatur futurus*; Virg. *Longumque bibe-*
bat amorem, hinc amantes fere ſemper macri, enectique, Virg. *macer eſt mihi taurus in arvo--Idem*
amor exitium eſt pecori; Ovid. *Fecit amor maciem*.
85 *Quod ſcibant* ſcilicet conjugium, ut recte Achilles; Nam in MSS omnibus *abiſſe*, & *abiiſſe*. Sci-
bant enim (ἀρχαϊκῶς pro *ſciebant*) Parcæ, quod nempe conjugium non longo tempore proce-
86 re poſſet, ſi miles h. e. Proteſilaus miles (non milites cum Guarino) iſſet ad Iliacos muros h.
e. Trojam, ubi pugnans occubuit. *Abeſſe* enim, ſi fictitium non eſt, ſaltem vitioſum. *Nam tam*
autem cum dicit, reddit rationem, cur, & quomodo Proteſilaus occubuerit. Helena vero filia
88 Tindari rapta a Paride filio Priami, unde bellum inter Trojanos, Græcoſque; *Ad ſe ſe* h. e. con-
tra ſe ſe, ut apud Virgilium *Clypeoſque ad tela ſiniſtris protecti obiiciunt*.
89 *Nefas* non eſt interjectio exclamantis, ut credit Guarinus, quæ nullum habet locum, ſed eſt
pro *nefaria*, de quo mone lexicographos, ut ſcelus pro ſceleſto apud Terentium, *Ubi eſt illic ſce-*
lus, qui me perdidit? Troja enim fuit ſane nefaria, & nequam, quæ Græcis hoſpitii jure ſpreto
Helenam rapuit. *Commune ſepulcrum*, quia ſine diſcrimine ſepeliebantur milites ex Aſia, & Eu-
90 ropa. Nam Troja eſt in Aſia, Græcia in Europa, Prop. *Excidium Europa qua fuerim, atque Aſia*;
Porro *virum*, & *virtutum* cum dicit, alludit ad Trojanos, Græcoſque, ita & Virg. *Virtuteſque*,
viroſque, & tanti incendia belli. Tandem *acerba* h. e. immatura. Mors enim in bello quaſi ante
tempus contingit, ita Cic. *Angor eſt ægritudo ex interitu acerbo*, vel luctuoſa, non horrida, ut hor-
ridule explicat Vulpius, Hom. [illegible] &c. *Helenam, cujus gratia, multi græcorum perierunt*; Prop.
Digna quidem facies, pro qua vel obiret Achilles.-Vel Priamus belli cauſa probanda fuit; Dant. *Ele-*
na vidi, per cui tanto reo -- Tempo ſi volſe.
91 *Quæ vecto id &c.* ita lego ex codice noſtro *vecte id*, & in aliis membranis Marcilio teſte *vectet id*,
in quibuſdam autem *vetet id*, & *veter id*, unde Scaliger *ve te*, ſed omittit τὸ *id*, Voſſius *met &*
id, Marcilius *nunc &* fictitia, & non bella, quæ tamen Vulpius ſecutus eſt. *Vecto* igitur rectum,
ita alio loco de ſe *multas per gentes, ac multa per æquora vectus*; τὸ *id* vero ἔμφασιν habet h.e.
id ipſum lethum nempe cinerem *acerba cinis*, in quam, cum morimur, ſolvimur; cæteri quin-
que verſus, qui ſequuntur, à poeta repetiti ſuperius ſatis a nobis, puto, explicati fuerunt lo-
co ſuo.
97 *Quem nunc* vera lectio, licet in MSS *quæ nunc* vitioſum. *Nota* autem h. e. notorum, & familia-
98 rium. *Compoſitum* vero eſt verbum ſpectans ad mortuos ipſos, & ad eorum oſſa, en Perſius, *Alto*
compoſitus lecto; Virg. *Compoſtus pace quieſcit*; Hor. *Omnes compoſui*; Lucretius *Compoſitis oſſibus*
urnæ. Oſſa enim peruſta in cinerem redigebantur, partem matres ſibi in ſinu mittebant, partem
99 in urnis collacabant; *obſcena* porro cum dicit, notat eam impudicam, quia impudicitia Paridis
periit, Cic. *obſceniſſimi verſus*. Non enim eſt audiendus Vulpius, & alii, qui ſiniſtris aupiciis
Trojam conditam putant. Nam ab Aplline, & Neptuno ædificata fuit, ut eſſe non potuerit niſi
auſpicatiſſima; quo loco animadverte, τὸ *Troja* & auferendi caſum eſſe poſſe, & nominandi, ſi
auferendi, Trojam vocat infelicem, quia periit; ſi nominandi, tum τὸ *infelice* dictum ἀρχαϊκῶς
pro *infelici* refertur ad ſolum extremum nempe litus, quod revera eſt extrema continentis pars,
hinc alio loco, *& ubi ultima albicantis loca litoris adiit*, & ſane frater Catulli ſepultus in litore
fuit; poeta *Troja Retheo quem ſubter litore tellus Ereptum noſtris obterit ex oculis*, vel dicit *extremo*,
quia ita Catullo videbatur ob ingens deſiderium fratrem videndi in patria ſepultum, & propter
loci diſtantiam. Cave enim legas *externo* ſpurium, quia in omnibus MSS *extremo*, & inane; repe-
teret enim vitio poeta cum ait *terra aliena* contra Achillem, Scaligerumque; Vocat igitur ſolum
extremum infelix, quia ibi, puto, in litore Græci primo equum ligneum ædificaverunt, unde Tro-
janorum excidium natum eſt. Leges etiam jubente omn. vet. ſcrip. *ſepultum* non *ſepulcrum* com-
mentum inſulſum doctorum. Nam multa differunt inter *compoſitum*, & *ſepultum*. Nam mortui,
vel eorum oſſa primo componebantur, deinde ſepeliebantur, ut ex ſatis a me ſuperius notatis cla-
rum eſt.
101 *Ad quam* nempe contra Trojam, ut ſupra *ad ſe ſe Troja ciere viros*. Lego autem, ut divinitus ha-
riolati ſunt docti, *unde undique*. Nam in noſtro quidem *unde undique*, ſed *unde* tranſverſo ca-
lamo deletum, ita accidit ſuperius ad Januam verbo *unde unde*, quod librariorum inſcitia factum

eſt, qui putarunt vitio repetitum, hinc librarii, qui deinde deſcripſerunt, deletum in MSS omiſe-
runt, ut taceat neceſſe ſit Marcilius, & alii, quos Vulpius ſecutus eſt, legentes *undique* & *undi-*
102 *que*, & *ſimul* & *propera* adulterina. Leges & *penetralis* in MSS archaicha ſcriptura, ut ſupra *cæleſtis*,
pro *caleſtes*, & alias ſæpiſſime. Penetrales autem foci ſunt Penates, quia colebantur in intimis par-
tibus domus, Cic. *Ex quo etiam Penetrales a poetis vocantur*. Leges tandem *focos* ita in noſtro li-
104 bro, & aliis, non *deos*, quod puto fictitium, Virg. *Effert penetralibus ignem*. Lucr. *Penetralior ignis*.
Nota tandem *thalamo*, quod dicitur de lecto impudico, deque quo mone lexicographos.
105 *Quod tibi &c.* De fratre locutus iterum poeta redit ad Laodamiam. Lego autem contra doctos,
quos Vulpius ſecutus eſt, *quod*, ita erat in MSS omnibus Achille teſte, non *quo* fictitium, & mi-
nus elegans. *Quod* enim eſt pro *quia*, vel *quamobrem*, vel *quare*, ut apud Ciceronem, *In viam,*
107 *quod te des, nihil eſt*; Ter. *Metuo ne &c. quod te ſalus oro &c. Conjugium* h. e. Conjux Proteſi-
laus, quem amabat; *tanto* autem [illegible]; *vertice* vero erat in omnibus MSS Achille teſte
optimum, h. e. tanta ſummitate amor te detulerat in baratrum. *Vortice* autem eſt commen-
tum doctorum.

109 *Quale* nempe barathrum prope Pheneum oppidum apud Cyllenem montem in Arcadia, igitur *Cylle-
neum* in MSS, non *Cylleneam*, ut mutat Scaliger fruſtra, quod ferunt alii ab Hercule ſiccatum
fuiſſe, alii, ut Strabo, & Plinius, terræ motu; Neque legas *Peneum* vitioſam MSS lectionem; *Sic-*
101 *cari* porro dicit, quia quotidie hic, & nunc evacuabatur, ſiccabaturque, quo loco explica contra
Vulpium *pingue* craſſum, putidumque, non frugiferum, poeta ſupra *Verum totius ut locus, puti-
daque paludis &c.* hinc Martialis *pinguis coma* h. e. unguentis madida, & Cicero *cœlum pingue*
h. e. craſſum, & concretum.

111 *Quod* nempe pingue ſolum. Lego autem contra omnes libros inſulſe excuſſos, quos Vulpius ſecu-
tus eſt, ut fidem faciunt omnes libri ſcripti Achille teſte, *fudiſſe* rectum, & loco ſuo. Fundere
enim eſt diffundere proprie dictum de aquis, Virg. *Lacrimas fundit*, & ſane Hercules aquas fudit
alio, ut paludem ſiccaret; e contra *fudiſſe* non ſolum adulterinum eſt, ſed etiam ineptum; Nam,
ſi fodiſſet ſolum Hercules, feciſſet barathrum profundius, quod contra rem noſtram eſt. *Medullis* pro
112 parte interiore montis, qua fudit aquas, Cic. *In medullis inhærere Reipublicæ*; *Audet* vero pro *auſus eſt*,
quod erat fictitium in quibuſdam excuſſis, cum *audet* eſſet in omn. vet. ſcrip. tempus pro tempore Hi-
ſtoricis familiare, & Propertio cariſſimum; *falſiparens* tandem, quia Hercules falſo putabatur filius
Amphytrionis, cum reapſe eſſet Jovis filius.
113 *Tempore quo &c.* alibi poeta *Qua tempeſtate &c. Certa*, Hor. *Metuende certa Phebe ſagitta*; *Stymphalia*
autem, quia Hercules occidit aves fluvii. Stymphali Arcadiæ infeſtas. Pl. *Cum avibus Stymphalicis, cum
Antæo deluctari mavelim*, putat tamen Virgilius non occiſas, ſed pulſas ibi de eod. Hercule *Stymphali-*
114 *das pepulit volucres diſcrimine quinto*; *heri* ſcilicet Evryſtæi Stheneli Mycenarum regis filii, qui Juno-
nis inſtinctu Herculi pericula multa, & diſcrimina pene inſuperabilia imperavit, Hom. [illegible] &c.
Juſſibus Evryſthei multa ſuſtulit; Virg. *Ut duros mille labores -- Rege ſub Evryſtheo fatis Junonis iniquæ*:
Ovid.; *Defeſſa jubendo eſt -- Sæva Jovis Conjux*; Quibus laboribus Hercules in cauſa fuit, ut janua cœli
115 tereretur divis, h. e. ut multi in cœlum tranſlati eſſent nempe Theſeus, Leo, Hydra, & ipſe idem
Hercules, cui in uxorem conceſſa fuit Hebe filia Junonis, & dea Juventutis dicta & Juventa, de qua
Hom. [illegible] &c. *Habet pulcros talos habentem Hebem*, quæ quidem nubendo non longa fuit virginitate, h.
116 e. virginitatem amiſit, quæque, cum ambroſiam Jovi ferens cecidiſſet, & obſcena oſtendiſſet, ab of-
ficio expulſa fuit, cujus vicem Ganimedes ſubivit, Prop. *Nec ſic cœleſtem flagrans amor Herculis Hebem
Senſit in Oetæis gaudia prima jugis*.

117 *Sed tuus &c.* Sermo eſt ad Laodamiam, cujus amor erga Proteſilaum erat altior barathro illo, quod
118 ſiccavit Hercules. Verſus autem qui ſequitur, in excuſſis libris, quos Vulpius ſecutus eſt, nullus, quia
contrarius MSS, & menti Catulli *Quod divum dominum ferre jugum docuit*. Nam in omn. vet. ſcrip.
Achille, & cæteris teſtibus ita legebatur *Qui tuum domitum ferre jugum docuit*, in Scaligeri tamen
libro *Qui divum* vitioſum inter vitioſiſſima multa ejuſdem libri: Nam reclamant cæteri Codices, in
quibus *tuum*: deinde, cum ſermo ſit totus ad Laodamiam, de Hercule incommode loquuntur, vel ut alii,
qui *dominum* malunt, incommodius de Jove; tum *qui* ad barathrum referunt, ut ſub ejus nomine
Evryſtheus intelligatur; videte ingenium criticorum, qui certe dummodo eorum ſomnia defendere
poſſint, Catullo jam, ut ſolent, ſpreto, contemptoque, tam cernunt acutum, quam aquilæ, aut ſer-
pentes epidauri. Barathrum enim improprie ad cinædos, & impudicas feminas ſpectat, quia alluſio
eſt ad eorum, earumque pathiciſſima loca, ut egregie Plautus, & Martialis, ita de ſtomacho, & ventre
dici poteſt, ut Horatius, & idem Martialis, at in Evryſtheum quomodo per deos immortales cadit?
hoc, mihi credite, ineptum violenter unco tractum eſt, præſertim cum poeta locutus ſit ſupra de bara-
thro, quod Hercules ſiccavit, & quo altiorem, profundioremque amorem Laodamiæ eſſe oſtendat.
Quare Achillem inter cæteros laudo legentem *Qui tantum indomitam ferre jugum docuit*; Nam in no-
ſtro Codice *Qui tu unidomitam*, in aliis, ut diximus, *tuum domitam u* & *a* invicem in MSS, unde &
hic Catullo medicinam facio *Qui tunc indomitam ferre jugum docuit*; explico *qui* ſcilicet amor altior
barathro; *tunc* contra Achillem: nam in MSS omnibus *tuum*, in noſtro *tu unidomitam* h. e. virginem
puellam nondum expertam jugum conubiale, en Catullus de Atti, *Velut juvenca vitans onus indomita
jugi*: tandem *ferre jugum docuit* nempe amor ingens docuit h. e. fecit, ut Laodamia ſubiret jugum h. e. nu-
beret Proteſilao. I nunc, & egregiam Scaligeri lectionem, & Vulpii, cæterorumque interpretatio-
nem amplectere.

119 *Nam neque &c.* Comparat amorem Laodamiæ amori, quo proſequitur mater filium unicum. Lego
autem contra omnes doctos, quos Vulpius ſecutus eſt, hoc pacto *Nam nec cauſa earum &c.* nempe
divitiarum, de quibus ſtatim poeta *Qui cum divitiis &c* ὕστερον πρότερον poetis uſitatiſſimum. Nam
in Maffei libro, & etiam noſtro erat *Nam nec cauſa earum*, in cæteris omnibus Achille, & Marcilio
teſte *Nam neque tam cauſa earum*, unde idem Marcilius *ſacrum*, alii *carum* male, quia & invertunt
ſcripturam, & omittunt τὸ *cauſa*, quod non eſt omittendum, cum optime ſe habeat, τὸ *earum* ta-
men diſſyllabon eſt, ut *eidem* apud Lucillium, & *eodem* apud Virg. *Uno, eodemque igni &c.*, & *ei*
120 monoſyllabon apud poetam noſtrum ibi *Eripere ei noli &c.* Tandem *parenti* ſcilicet gnatæ; *ſeri*, quia na-
tus avo jam ſenio confecto.

Qui

121 *Quicum divitiis* ita in MSS omnibus Achille teſte, & Scaligero, *in* in nullo, ut fictitium, & inane
122 eſſe videatur. *Teſtatas* autem h. e. teſtamenti, & teſtibus firmatas, in quas nepos, qui natus eſt, in-
123 fert ſeſe excludens Gentiles, qui ſcribebantur loco nepotis nondum in lucem editi. Notandus vero
eſt acriter Scaliger, niſi ego fallor, in ſequenti verſiculo *impia &c.* Tollere enim gaudium, non eſt
inducere, ut ille putat, ſed revera tollere, & præcidere. Nam rogo, vos veri amatores, gentilis, qui
fortaſſe ſcribebatur in tabulis, cum depellitur a nepote nato teſtatoris, ridere ne debet, an lacrima-
ri? tollere igitur gaudia eſt præcidere, ut mecum facit etiam Marcilius doctiſſimus; *deriſi* tandem,
quia ridetur, cum expellitur a ſpe captandi teſtamenti. *Gentilis* autem eſt, *qui meo nomine appellatur*,
ut definivit Feſtus. Gentiles enim ſuccedunt in hæreditatem, quoties deſunt propinquiores, vel ſi
124 ſunt, ut hic una gnata, tamen totam hæreditatem conſequi non poſſunt. Lego porro recte, ut erat in
noſtro libro ſcripto, *ſuſcitat a cano volturium capiti* h.e. depellit volturium nempe Gentilem a cano ca-
pite ſenis, cujus tabulas captare volebat, quod contra libros excuſſos dico, & criticorum, quos Vul-
pius ſecutus eſt, interpretationem. Primo quia omnis vet. ſcrip. Achille, & Scaligero teſte ita habet,
ſuſcitata cano voluntarium capiti, in Maffei libro *ſuſcitata cano voltarium capiti*, at rectius in noſtro
ſuſcitata cano volturium capiti, ut *capite*, quod legebatur, & otioſorum hominum ſit, & ineruditorum;
Capiti enim ἀρχαϊκῶς pro *capite*, ut probat etiam nuper laudatus Marcilius, de quo mone lexicographos.
Veteres enim dandi, & auferendi caſum promiſcue uſurpabant, hinc poeta alio loco *claſſi*, pro *claſſe*,
& apud Lucr. *Cum lapidi lapidem terimus*, de quo mone lexicographos, ita apud Virg. *Claſſi* pro *claſſe*
ibi, *Advectum Æneam claſſi*, & *curru* pro *currui* apud eundem Virg; *Curru ſuccedere ſueti Quadriuges*,
alia apud alios ſæpe, de quibus defeſſus ſum monere lexicographos. Deinde τὸ *a* non eſt interjectio, ut
putat Scaliger, quæ nullum habet locum, ſed præpoſitio, Cic. *e ſomno ſuſcitari*. *Volturium* tandem & hoc
ἀρχαῖον pro *vulturium* h. e. hominem avidum teſtamentorum, hinc Plautus in ſua tamen prima notione
Quaſi volturii prædivinant, quo die eſurituri ſient. Neque audiendus eſt Achilles, qui legit *ſe citat in-*
cano, multo minus Marcilius *ſuſcitat & caro*, quia corrumpunt libros ſcriptos.
125 *Nec tantum &c.* Comparat etiam columbis amorem Laodamiæ, qui, quæque impenſe amant, aman-
turque, hinc columbus Veneri ſacer eſt, Prop: *Exemplo junctæ tibi ſint in amore columbæ*; alibi *Non me*
chaoniæ vincant in amore columbæ; Ovid. *Oſcula dat cupido blanda columba viro*; Mar: *Oſcula me capiunt*
blandas imitata columbas,
Dantes, *Siccome quando il colombo ſi pone*
Preſſo il compagno l'uno, e l'altro pande
Girando, e mormorando l'affezione. Leges autem contra Voſſium *ulla*, non *pulla*, niſi afferat librum
ſcriptum, ita etiam contra adulterinam Aldinam *ſeu quidquid* editionem, ut erat in omnibus MSS A-
126 chille, & Scaligero teſte *quæ multo*, in tribus tamen *Codicibus* Achillis, *qui* pro *quei* vel *quæ*, ut apud
Plautum, ut ſemper ad columbam referatur, quæ columbo multo improbior eſt, & libidinoſior, ut
128 vides in Prop. Ovid. Mart: ſupra citatis. *Quanquam* vero cum dicit, magis extollit amorem Laodamiæ.
Licet enim mulier multivola eſt, & fædifraga, tamen Laodamia ſemper Proteſilaum amavit, ita ut
furorem amoris nunquam vicerit, ante quam conciliata fuit viro ſuo. Leges autem cum eruditis, ut fi-
dem faciunt membranæ Marcilio teſte *Quanquam*, exploſo Voſſio legente *Quam que* contra MSS. τὸ
quanquam enim eſt loco ſuo; nam ſenſus eſt *columba amat virum ſuum, quanquam multivola eſt*
129 *mulier*. *Sed tu* alloquitur Laodamiam; Leges etiam cum libro Scaligeri, & noſtro, & cæterorum
130 *olim* non *harum* commentitium. Voſſius tandem mavult, Laodamiam conciliatam fuiſſe Proteſilao,
cum ejus umbram amplexa eſt, ſed reclamant totus verſus, qui ſpectat ad rem conubialem, & ad viva, &
ad bella; *Semel* enim h.e. prima nocte; *Conciliata* h.e. copulata, vel bene ſubacta a viro, quod verbum
tractum eſt ab arte fullonica, hinc Lucr. *Concilio quæ, conſtant principiorum* h.e. copulatione; *flavo* ca-
pillis flavis, vel colore flavo, quæ in mortui umbram non cadunt, præſertim cum poeta dicat ſu-
perius *qui* h.e. amor *indomitam ferre jugum docuit* ſcilicet jugum conubii, quod vide ſis loco ſuo.
131 *Aut nihil &c.* Sermo eſt de Lesbia, de qua ſupra *ad quam communes exerceremus amores*, quamque com-
parat Laodamiæ. Lego autem, ut erat in uno MSS Achillis, & præcipue in noſtro *cui tum* in aliis *cui*
tu, quæ ἀντιςροφὴ non habet locum, maxime vero habet τὸ *tum*, quod tamen injuria diſplicet
132 Achilli. Nam alter verſus ita in meo legebatur *ſe noſtrum cum tulit in gremium*. Recte igitur ſibi reſ-
133 pondent *tum cum*, unde & ſententia planior eſt. Leges etiam, ut erat in MSS omnibus Achille teſte
134 *hinc illinc*, non *huc illuc* ſpuria; Fingit porro Cupidinem in tunica exemplo Sapphus, alii tamen nu-
dum, & alatum, & pharetratum fingunt, ut Propertius, & Tibullus loco ſuo, at Horatius ad rem
Quam jocus circumvolat, & Cupido.
135 *Quæ tamen* ſcilicet Lesbia, quæ non erat contenta Catullo uno, ſed habebat alios mœchos, alibi poe-
136 ta *Cum ſuis vivat, valeatque mœchis*; mavult tamen ferre ejus furta h. e. adulteria, poeta alibi *Furti-*
137 *vos hominum vident amores*. Dicit autem *ſtultorum*, quia ſtultum eſt, feminarum libidinem coercere,
Prop. *Fluctus poteris ſiccare marinos,*
Altaque mortali deligere aſtra manu,
Quam facere, ut noſtræ nolint peccare puellæ.
alibi, *Ferre ego formoſam nullum onus eſſe puto.*
Hor. *Me Phryne non uno contenta macerat.*
Tandem *ſæpe etiam* cum dicit, excuſat Lesbiæ furta exemplo Junonis, quæ nec ipſa contenta fuit Jove
uno, quem vocat omnivolum, quia omnia bella concupiebat. Amavit enim Danaem, Europam, &
alias, de quibus Horatius loco ſuo, hinc merito Prop. *Jupiter ignoro priſtina furta tua*; alibi *Et canere*
139 *antiqui dulcia furta Jovis*; Juv: *Adeon' ſenuerunt Jupiter, & Mars?* Leges tandem recte cum eruditis
flagravit; Nam in meo MSS *flagrant*, in cæteris omnibus *flagrantem*, & *fragrantem* vitioſa.
141 *Atqui &c.* Hic verſus, & qui ſequitur, ſunt omnino ad rem contra Achillem, & Marcilium aliter te-
mere putantes. Cum enim comparaviſſet furta Lesbiæ cum furtis Junonis, & Jovis, veniam primo
142 quodammodo ab ipſis diis petit audaciæ ſuæ, deinde rogat ipſum Jovem, quem nuper nominavit, ut
tollat parentem tremulum ſuum, non quia inſidiaretur amoribus puellæ, ut injuria credit Scaliger,
quem, puto, Vulpius ſecutus eſt, ſed quia ſemper objurgabat Catullum in puellas deditum, en poeta no-
ſter alio loco tacite de eodem patre, *Vivamus, Lesbia, rumoreſque ſenum ſeveriorum--unius æſtimemus*
aſſis,

aſſis; itaque erat onus ingratum Catullo pater cenſor, caſtigatorque, ut omnino cæcutire videantur
iterum Marcilius, & Scioppius, ille de moleſta ſollicitudine in puellis, hic de dente caduco ſomnian-
143 tes, qui merito ridetur dentibus albis. *Dextra* in MSS, non *Veſta* cum Voſſio. Uxor enim non ſolum a pa-
144 ranymphis, ſed etiam a patre in domum mariti deducebatur. Leges *& fragrantem*, non *flagrantem*
vitioſum, & fortaſſe adulterinum, quod Vulpius ſecutus eſt, poeta alibi *aſſyrio fragrans olivo*. Die
enim nuptiarum odores ad bonum omen incendebantur, ut domus fragraret odore, Plaut: *Thuſculum
emi, & coronas floreas--Hæc imponentur in foco lari noſtro--Ut fortunatas faciant gnatæ nuptias.*
145 *Sed furtiva &c.* Probat, fuiſſe Lesbiam ſibi concubinam, non uxorem, ut ejus furta ferre non poſſet.
Lego autem, ut fidem facit noſter ſcriptus liber ſine litura *mire*, at in cæteris omnibus *mira* non *nigra*
non *rigua* commentum Marcilii; *viri* porro h.e. mariti Lesbiæ, de quo alibi, *Lesbia mi præſente viro
mala plurima dicit*. Mentio enim eſt de furtis Lesbiæ, antequam in Manlii ſinum veniret. Primo enim
Catullus potitus eſt Lesbia Veronæ, dein puella aufugit cum Manlio, qui, ut ſupra dixi, diverſabatur
ſæpe apud poetam noſtrum, porro cum Catullus veniſſet Romam, inter alia multa habuit & amores
Lesbiæ a Manlio ibi, *Ad quam communes exerceremus amores*. Cave enim audias Vulpium putan-
tem, τὸ *viri* de Manlio dictum, (nam *furtiva* eſſet ineptum, cum ſupra dicat, *ad quam commu-
nes exerceremus amores*,) quod ſane refertur ad verum maritum puellæ.
147 *Quare &c.* Optat diem, quem Lesbia ſignet lapide candidiore h. e. quo ſe amari patiatur. Felicia enim
albo lapide, vel creta, infelicia carbone notabantur; Hor. *Sani creta an carbone notandi*; Perſ. *Illa
prius creta, mox hac carbone notaſti*. Imitatus autem eſt verſum auct. obſ. *Quare illud ſatis eſt, ſi te per-
mittis amari*. Leges vero, ut erat in MSS omnibus Achille teſte, *is datur unis, quem lapide*, in quibuſdam
tamen ejuſdem Achillis *id datur unis* vitioſum; *Is* igitur h. e. dies; *nobis unis* h.e. mihi ſoli, vel mihi,
148 & Manlio ſolis, ut quondam ibi, *Ad quam communes amores*; *Candidiore*, quia felix ille dies, quo
Lesbiam exercere poſſit, ita alibi *o lucem candidiore nota*! hinc ſupra *Fulgere candidi tibi ſoles--Quum
ventitabas, quo puella ducebat*.
149 *Hoc tibi &c.* Redit ad propoſitum epiſtolæ, & ad Manlium ſe convertit. Fruſtra autem legunt *Manli*, & Sca-
liger *Ali*, & Marcilius *Auli*, tum quia recta eſt vetus ſcriptura *aliis* h.e: non ſolum pro his officiis, quæ
enumeravi, ſed etiam pro multis aliis, tum quia & *Ali*, quod legit Scaliger, inſulſum, ut ſupra dictum
151 eſt, cum Torquatus eſſet *Aulus*, unde *Aule* in vocativo, non *Auli*, quod temere Marcilius. Leges ta-
men optime cum Scaligero *voſtrum* ἀρχαικῶς pro *veſtrum*; nam in MSS *noſtrum* vitioſum.
255 *Sitis felices &c.* Optat felicia Manlio, Lesbiæ, & domui. *Vita* enim cum dicit, intelligit Lesbiam,
quam ſtatim vocat dominam h.e. amicam, Prop; *Fallacis domina jam putat eſſe jocum*; alibi, *Pulſa-
156 bunt fruſtra, dominamque vocabunt*. Lego autem *domus ipſa*, ut erat in lib. noſtro ſcrip., & in excuſ-
ſis antiquioribus, quod inlepide mutavit Panthagatus in *ipſi*, & Scaliger inlepidius in *ipſe*. Nam non
ſolum ipſe poeta, & domina, ſed & Manlius luſerunt, *ipſa* igitur optimum eſt habens quandam ἐμ-
φασιν in re. In hac enim domo Manlius, & poeta exercuerunt Lesbiam dominam, vitamque. Ludere
enim, ut alias diximus, eſt in obſcenis, poeta, *Ludite, ut lubet, & brevi liberos date*.
157 *Et qui principio &c.* Iterum tacite Manlio felicia precatur. Licet enim hoc ſemel feciſſe conſtat ſuperius
illis verbis *& tu ſimul*, tamen lepide repetit, ut apertiſſime colligo ex vera MSS omnium lectione
terram dedit. Nam quis terram h.e: agellum dedit poetæ? certe Manlius, ut habemus ex ſuperioribus
is clauſum lato patefecit limite campum, igitur & hic alludit ad Manlium, & lectio optima eſt, quam
Scaliger pili fecit, ut commentum *trandedit* reponeret; Verſus tamen in excuſſis febricitat, quem
nemo ſanavit. Nam in MSS omnibus Achille, & Scaligero teſte legebatur *terram dedit, aufert*, un-
de Voſſius, quem ſecutus eſt Vulpius, pro *aufert* fecit *autore*, fruſtra; Nam recedit a ſcriptura, & vi-
tioſe repetit, cum dicatur ſtatim *primo*, primus autem, & autor idem eſt, Scaliger vero *oufens* legit,
quod, niſi explicat, ut ſum paulo hebetior, non intelligo, præſertim cum & ipſe diſcedat a veſtigiis
priſc. ſcrip.; Achilles *ac fert*, at τὸ *fert* non omnino rectum; alii pejora, ego vero legendum puto *of-
fert*, pro *aufert*, *o* pro *au*, & vice verſa ſæpe apud veteres, hinc *oricilla* pro *auricilla*, & *olla* olim
aula & *codex* a *caudex*, ut & lectio MSS, & ſenſus egregie currere videatur. Nam non ſolum campum
dedit, ſed & offert alium, atque alium, quare recte *dedit*, *offert* ſine conjunctione copulativa ad ele-
gantiam, & ad deſcribendum de induſtria animum Manlii promptum ad beneficia; quod ſi ſcriptura
158 omnino vitiata eſt, leges *Aule*. Nihil enim aptius, & verius exculpi poteſt. Leges tandem recte *A
quo ſunt primo omnia nata bona*, ut erat in libro noſtro ſcripto, & in cæteris omnibus MSS Achille te-
ſte, in libro tamen Scaligeri *a quo primo ſunt* vitioſum, vel fruſtra concinnatum a viro docto. O enim
in *primo* non abſorbetur a ſequenti, ut apud Virgilium *An qui amant*? immo locum habet συναλοιφὴ, qua
Catullus tantopere delectatur.
159 *Et longe &c.* Cum ſemel, iterumque de Manlio locutus ſit, ita & de Lesbia ſemel, iterumque, quam
vocat lucem ſupra, *Lux mea ſe noſtrum cum tulit in gremium*, ſine qua vivere non poterat. Id enim
dicimus de ea, quam maxime amamus, hinc Cicero, niſi fallor de Republica, *Neque ego, illa exter-
minata, mihi remanendum putavi*; & Hor. *Quid nos Mecænas--Quibus te vita ſit ſuperſtite jucunda*
alibi, *Tecum vivere amem, tecum obeam libens*: Prop. *Vivam, ſi vivet; ſi cadet illa, cadam*;
& Petr: *Anzi voglio morir che viver ſolo,*
alio loco, *In lor preſenza,*
M'è più caro il morir, che viver ſenza;
L. de M. *Se io non debbo veder più gli occhi belli,*
Serrinſi i miei, ne veghin mai più luce,
Perocchè ogn'altra coſa in fuor che quelli;
Ch'io vegga, maggior doglia al cor conduce.
Amor che del mio mal meo favelli,
E in queſte pene ſei mia ſcorta, e duce
Rendemi co' begli occhi la mia pace,
O, tronca il viver mio, ſe pur ti piace.

IN RVFVM

Noli admirari, quare tibi femina nulla,
Rufe, velit tenerum ſuppoſuiſſe femur;
Non ſi illam raræ labefactes munere veſtis,
Aut perluciduli deliciis lapidis.
Lædit te quædam mala fabula, qua tibi fertur
Valle ſub alarum trux habitare caper.
Hunc metuunt omnes, neque mirum; nam mala valde eſt
Beſtia, nec quicum bella puella cubet.
Quare aut crudelem naſorum interfice peſtem,
Aut admirari deſine, cur fugiunt.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Noli &c.* In hoc decaſticho poeta irridet Rufum Virronis rivalem; podagricum, & hircoſum. Neque
putes, hunc fuiſſe M. Cœlium Rufum, ut putavit Achilles. Cœlium enim amabat poeta, ejuſque amo-
ribus favebat, ibi *Quoi faveam potius? Cœli tibi.* Rufum autem odit, ut inſidiatorem amoris Virronis,
3 & ſui, quem deinde deteſtatur, ibi *Rufe, mihi fruſtra cognite amice.* Optima vero eſt lectio docto-
rum *non ſi illam*; Nam in MSS omnibus *no' ſ'illa rara*, in aliis *nos illā are*, ita infra *non ſi ſe Juppiter ip-*
4 *ſe petat*, hinc male Guarinus *non ullam*; & Voſſius *non illam*, quia corrumpunt libros ſcriptos. Leges
etiam cum eruditis *perluciduli* ita erat liquide in noſtro Codice, & aliis, in quibuſdam tamen *proluci-*
5 *duli* vitioſum ſervans tamen veſtigia optimæ ſcripturæ *perluciduli*; porro *fabula* vox, & rumor populi,
6 qui magnum detrimentum afferebat Rufo. *Trux* autem recte, quia occidit homines; *Caper*, quia odor
axillarum caprinus omnino, Hor. *gravis cubat hircus in alis* alibi *Premunt olida convivia capra* Ovid.
7 *Ne trux caper iret in alas.* Deinde *metuunt omnes*, quia fugiunt hircoſum cane pejus feminæ. *Beſtia* ve-
8 ro cum dicit, reddit rationem, cur feminæ fugiant; ita Plautus *mala es beſtia.* Tandem dicit *interfice*,
quia de beſtia, & de capro ſermo eſt, qui tanquam peſtis naſos puellularum innocentes affligebat.

DE LESBIA

Nulli ſe dicit mulier mea nubere malle,
Quam mihi, non ſi ſe Juppiter ipſe petat.
Dicit, ſed mulier cupido quod dicit amanti,
In vento, & rapida ſcribere oportet aqua.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Nulli &c.* In hoc tetraſticho poeta Lesbiæ levitatem tangit. *Mulier* autem eſt Lesbia, de qua alio loco
Dicebas ſolum te noſſe Catullum Lesbia, hinc noto; mulierem etiam dici feminam impudicam,
de quo mone lexicographos. *Nubere* vero dictum de furtiva copula. Lesbia enim ſemper amica Catulli,
2 de qua ille *non ſolum ut vulgus amicam Dilexi tum te.* Plaut: *An numquam nupſiſti patri?* porro *petat*
dicitur in re Venerea, poeta alibi, *Qua tuus vir petet, Cave ne neges:* Virg. *malo me Galatea petit la-*
3 *ſciva puella*, de quo mone lexicographos. *Dicit* vero, h. e. promittit, ita Cic. *Doti pecuniam omnem*
4 *dixerat.* In *aqua* tandem *ſcribere* a græcis ſumptum eſt, ita Men: *εἰς ὕδωρ γράφε in aqua ſcribe*; Poetam
autem noſtrum imitati ſunt itali, Petr. *Nuoto per mar, che non ha fondo, o riva, solco onde, e in rena fondo,*
e ſcrivo in vento, quem vidit, niſi fallor, etiam Vulpius. Hæc tandem duo levia elegit Catullus, non
tantum quia nihil imprimi in illis poſſit, ſed quia prætereunt, & celerrime fugiunt, quare ait *rapida*,
hinc & Prop. *Quidquid jurarunt ventus, & unda rapit*, & Tibul. *Ventos irrita ferre jubent:* Ovid. *Abſtu-*
lerint celeres improba verba noti, quod & hoc Itali imitati ſunt, Petr. *Di ſperanza m'empiſte, e di deſire,*
Ma il vento ne portava le parole.

AD VIRRONEM

Si quoi, Virro, bono ſacer alarum obſtitit hircus,
Aut ſi quem merito tarda podagra ſecat.

Æmulus iſte tuus, qui voſtrum exercet amorem,
Mirifice eſt a te nactus utrumque malum.
Nam quoties futuit, toties ulciſcitur ambos,
Illam affligit odore, ipſe perit podagra.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Si quoi &c.* In hoc hexaſticho poeta Virronem ſolatur, & Rufum rivalem exagitat. Leges autem, ut emendarunt optime docti, *Si quoi, Virro, bono ſacer alarum*. Nam in MSS omnibus *ſi qua Viro bono ſacrorum*, *Viro* pro *Virro*, quia literas non geminabant, nomen proprium alicujus hominis, ut patet ex illis verbis *æmulus iſte tuus* ad hominem ſermo eſt. Virro autem non notatur hircoſus, ut fruſtra ſudet Voſſius in græco nomine enucleando. *bono* vero idem ac bene, & merito. Cic: *bono fuerit*, de quo mone lexicographos. Scito enim, poetam in primo verſu loqui de amica Rufi, hinc infra, *Illam affligit odore*. Neque audiendus eſt Voſſius, qui *Viro* explicat odorem hirci. Nam *bono* ſtare non poſſet in verſu, præſertim cum repugnet & vetus ſcriptura, in qua *Viro* cum majuſcula, ut nomen alicujus eſſe videatur. Neque attendenda eſt altera lectio viri docti *qua*. Nam in noſtro *quoi* liquide, unde cæteri librarii *qua*, ex *oi* fecerunt *a* vitioſe, ut patet ex verſiculo ſequenti *Aut ſi quem*. Hic enim de Rufo, ibi de amica ſermo eſt; nihil dico de lectionibus cæterorum fictitiis *homini* pro *bono*, *jure* pro *Viro*, *ritu* pro *ſacrorum*, quæ pejus obſtant doctioribus, quam obſtitit hircus. Vocat igitur odorem axillarum ſacrum h. e. execrandum,
2 Virg. *Auri ſacra fames*, ita & hircum, Hor. *Hirſutis cubat hircus in alis*. Vocat etiam podagram tardam, quia facit homines tardos; Hor. *Aut tarda podagra*. Leges autem ſine dubio *ſecat*,
3 non *necat*, ut optime Scaliger, Mart: *Podagra, Chiragraque ſecatur*. *Æmulus* porro h. e. Rufus, de quo ſupra *Lædit te fabula, qua tibi fertur-Valle ſub alarum trux habitare Caper*. Deinde *voſtrum* ſcilicet puellam Virronis tantum, ita ad Egnatium, *Quo veſter expolitior dens eſt-- Hoc te amplius bibiſſe prædicet loti*. Tum *exercere* eſt in obſcenis, de quo, ut alias dixi, mone lexicographos,
4 poeta, *Communes exercemus amores*. Leges etiam *a te*, ut fidem faciunt membranæ Marcilio teſte, & liquide liber ſcriptus noſter, & Maffei, ut inepta, & ſpuria ſint *aſtu*, *actu*, *arti*, *ac tu*, quæ Voſſius Muretus, Marcilius, & alii commenti ſunt fruſtra. Nam *a te* rectum h. e. precibus tuis, & uti cupis, Cic. *A te mihi jucunda, & fauſta ceciderunt*; poeta alio loco, *Si quicquam gratum, acceptumque ſepulcris- Accidere a noſtro, Calve, dolore poteſt*. Tandem *ambos* h. e. ſe ip-
5 ſum Rufum, & puellam Virronis punit; illam enim affligit odore tetro alarum, ipſe perit poda-
6 gra; nam coitus podagræ eſt, & chiragræ nocentiſſimus.

IN LESBIAM

Dicebas quondam ſolum te noſſe Catullum,
Lesbia, nec præ me velle tenere Jovem.
Dilexi tum te, non tantum ut vulgus amicam,
Sed pater ut gnatos diligit, & generos.
Nunc te cognovi, quare etſi impenſius uror,
Multo ita ne es me vilior, & levior.
Qui potis eſt, inquis? quia amantem injuria talis
Cogit amare magis, ſed bene velle minus.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Dicebas &c.* In hoc octaſticho poeta reprendit incoſtantiam Lesbiæ, erga quam non amorem, ſed benevolentiam ſuam diminutam oſtendit, quæ eadem repetit ſupra *Nulli ſe dicit mulier mea nu-*
2 *bere malle quam mihi-- Non ſi ſe Jupiter ipſe petat*. Verbum autem *tenere* eſt in obſcenis, de quo
4 mone lexicographos. Ter: *Teneone te mea Antiphila?* Amor vero patris in filios maximus, Hom:
6 *μὲ φίλησ'* &c. *Me amavit, ut pater filium amat*. Lego porro lectionem omnium MSS Achille teſte *multo ita nec me vilior, & levior*, quam temere ſpreverunt omnes docti, quos Vulpius ſecutus eſt, excipe tamen *τὸ nec* vitioſiſſimum, quod in *ne es* muto, hoc pacto; *ita* ex ſuperioribus *etſi impenſius uror*: nam eſt conjunctio adverſativa *così, appunto per queſto*, *ne* pro *quidem*, & *certe* cum diphthongo, & ſine, ſpreta ſinalęphe; *me* pro *mihi*, ut ait Feſtus ex Lucillio *Ut qua me res impendet, agatur*; Ter: *Nimis me indulgeo*, ut fruſtra Guarinus, & Scaliger adulterinam lectionem commenti fuerint, cum lectio aurea MSS omnium, & ſenſus optime currat.

Spu-

ſpurium etiam eſt, quod legitur in excuſſis libris; quos Vulpius ſecutus eſt, *quod amantem inju-*
ria talis cogat; Nam in MSS omnibus Achille teſte *quam amantem injuria talis cogit*, in aliis
Voſſio teſte *quid amantem*. Itaque primum retineo lectionem libri ſcripti Maffei, & noſtri *qui*
potis eſt h. e. quomodo *ſubaudi* fieri poteſt? In aliis tamen MSS *qui potis es* vitioſum; nota enim,
potis eſſe commune, & etiam in neutro genere uſurpari, ut hic apud Catullum, & apud Lucre-
tium quoque *Nec potis eſt cerni, quod caſſum lumine fertur*, de quo mone lexicographos, quos &
in eo notatos volo, quod docent, *potis* dictum in plurali. Nam in Varrone, Plauto, Ennio, &
aliis *potis* eſt dictum archaica ſcriptura pro *poteis*, & *potes*, de quo diligentius examinabo MSS
Plauti Pænulo *ibi potis ſunt*, nam legunt alii *potes ſunt*. Deinde contra omnes doctos contemp-
tores omnium MSS, quos Vulpius ſecutus eſt, lego, ut erat in illis omnibus Achille teſte, *quia*
8 *amantem*, non *quod* adulterinum, tum etiam *cogit*, non *cogat*; Lego etiam, ut habet Codex noſter
liquide *ſed bene*, alii legunt, *tam bene*, quod & hoc puto vel vitioſum, vel commentitium. Ama-
bat igitur poeta adhuc Lesbiam, quia bella, non bene tamen volebat ob ejus animum impudicum,
cujus rei reddit rationem alio loco, *Non bene velle queam, ſi optima fias--Nec diſiſtere amare; om-*
nia ſi facias; clarius Ovidius, *Averſor morum crimina, corpus amo*. Ultimo loco nota, Guari-
num inſulſe poſt hoc oſtatichum ſubſcripſiſſe diſtichon illud *Odi, & amo quare id faciam fortaſſe*
requiris &c. Nam primo reclamant MSS, quæ nimis longe a loco ſuo abſtrahuntur, deinde eſſet
vitium maximum; Nam repeteret eadem poeta *Qui potis eſt inquis?* & infra *quare id faciam for-*
taſſe requiris; tandem verba *quam amantem &c.* ſunt in ore poetæ reſpondentis, ut colligitur cla-
re ex eo *injuria talis*, quod ineptum eſt in ore puellæ, ut etiam Achilles inſipide fecerit, cui
ſimul cum iſtis & illi verſus *huc eſt mens adducta tua mea Lesbia, culpa &c.* legendi videbantur.
Nam & in hac parte vitium eſt repetitionis. Diſtichon enim *quam amantem &c.* idem eſt ac
alterum *Ut jam nec tere velle &c.* præterquamquod poſt octaſtichon nihil deſideratur, cum jam
ſententia integra ſit in ore poetæ reſpondentis, & rationem reddentis eorum *Etſi impentius uror--*
Multo ita ne es me vilior, & levior.

AD SE IPSUM

1 Deſine de quoquam quidquam bene velle mereri;
2 Aut aliquem fieri poſſe putare pium.
3 Omnia ſunt ingrata; nihil feciſſe benigne?
4 Immo etiam tædet, ſtatque magiſque, magis;
5 Ut mihi, quem nemo gravius, & acerbius urget,
6 Quam modo, qui me unum, atque unicum amicum habuit.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Deſine &c.* In hoc hexaſticho poeta ſe ſe a conferendis in alios beneficiis dehortatur. Non enim pu-
tes, carmen in Alphenum jactum, de quo hic ne ſomniavit quidem Catullus. Leges autem, ut
erat in libro noſtro ſcripto, & in altero veteri Achille teſte *de quoquam quidquam*, in aliis ta-
men *de quoquam quiſquam*, vel *quemquam* vitioſa, quorum unum ſervat veſtigium optimæ lectio-
2 nis *quiſquam* pro *quidquam*, quo loco noto, verbum *mereor* conſtrui & cum ablativo cum præpoſ.
de, & cum accuſativo rei, de quo mone lexicographos; leges & *pium*, ut erat in omnibus MSS
Marcilio teſte, ita & in noſtro, non *tuum* fictitium, & ineptum. Pium vero cum dicit, alludit
ad ſe ſe, de quo alio loco *ſi qua recordanti bene facta priora voluptas-- Eſt homini cum ſe cogitat*
eſſe pium, & infra *Dii reddite mi hoc pro pietate mea*. Porro *omnia ſunt ingrata* h. e. homines, &
amici omnes in me ingrati, alibi *omnia ſunt deſerta*; Plaut: *Ingrata eſſe omnia intelligo*. In MSS
autem omnibus Achille teſte *nihil feciſſe benigne*, Plaut: *Facis benigne*, benigne autem h. e. libera-
liter, *eſt* ergo, quod legebatur, ſpurium, & inſulſum. Subaudias enim *juvat* h. e. nihil juvat feciſſe be-
nigne, quæ iratus, dolenſque cum interrogatione leges, unde naſcitur *immo*, Cic: *Bene dixit*; *immo*
quem fortem, &c. alibi; *breves dico? immo nullæ*; rurſus *Cauſa non bona eſt? immo optima*; poeta alio
4 loco *fruſtra? immo magno cum pretio, atque malo*. Lectio quoque *tædet obeſtque* commentitia eſt
inſulſiorum, ita *prodeſt* Guyerti cum, MSS omnes libri hebeant *ſtatque magiſque magis* Achille, & Voſ-
ſio teſte, in uno tamen *magiſq magiſq.* & in altero *ſtat magis, atque magis* vitioſum; Nam om-
nes *ſtatque* præſeferunt, quod eſt ipſum elegans, audi Nepotem, *Nam mihi ſtat, alere morbum*
deſinere; Virg. *Stat caſus renovare omnes*. Dein *magiſque magis* h. e. maxime, quod Itali imitati
5 ſunt, Dant. *E come l'occhio più, e più v'aperſi*. Neque attendenda eſt lectio adulterina Scaligeri,
quam omnes, & Vulpius, ſi bene memini, ſecuti ſunt *Ve mihi*. Nam in MSS omnibus Marcilio
teſte *ut mihi* rectius h. e. utinam mihi, *ſubaudi* ſtaret. *Ut* enim pro *utinam* ſæpe apud Catullum,
ibi *ut coma regia fiam*? Ter: *ut te dii perdant*. Verbum *ſtare* autem in hoc ſenſu conjungitur cum
6 dativo ut vidimus & in allato ſupra Nepote *Nam mihi ſtat &c.* de quo mone lexicographos. *Unum*
tandem, & *unicum* amicum cum dicit, tacite tangit Rufum, non Mallium, ut male delirat Parthe-
nius. Manlius enim neque animi vitio fuit ingratus in poetam, neque liberalitate, ut patet ex eo *Iſque*
domum nobis &c. & ex alio loco *Et qui principio nobis terram dedit, offert--A quo ſunt primo omnia nata*
bona. Rufus autem exercuit puellam Lesbiam fractis vinculis amicitiæ, hinc poeta iratus *ibi Ru-*
fe mihi fruſtra, ac nequicquam credite amice &c. ubi reliqua videſis, quam belle huic ultimo diſticho reſ-
pondeant.

DE GELLIO.

Gellius audierat patruum objurgare ſolere,
Si quis delicias diceret, aut faceret.
Hoc ne ipſi accideret, patrui perdepſuit ipſam
Uxorem, & patruum reddidit Harpocratem.
Quod voluit, fecit; nam quamvis inrumet ipſum
Nunc patruum, verbum non faciet patruus.

NOTÆ CRITICÆ.

1 *Gellius &c.* In hoc hexaſticho poeta exprobrat inceſtuoſam libidinem Gelii, quem & Cicero pro
Seſtio, & in Vatiniana maxime ut nequam, & ſpurcum hominem inſectatur; hic habebat patruum
ſeverum, & libidinoſum, quem irrumabat, unde poeta arripuit occaſionem jocandi in eundem
Gellium, ejuſque patruum ſeverum quidem, ut ſolent eſſe patrui, Ter. *Vi, & via pervolgata*
2 *Patruum;* Hor. *metuentes patruæ verbera linguæ;* Cic. *Fuit in cauſa quidam patruus cenſor.* Porro
delicias dicere eſt loqui res amatorias, Tib. *Dicere nec cano delicias capiti;* at *facere* eſt baſiari,
3 tangere, & alia hujuſmodi, poeta, *In ſeptimillo facit dilicias, libidineſque.* Non eſt autem dubi-
tandum de lectione veriſſima, quam Scaliger divinavit *perdepſuit* contra inanem, & vitioſam
cæterorum ex MSS quidem *perdeſpuit.* Nam in meo libro ſcripto erat *perdepſuit* liquide, ſed cala-
mo expunctum, ejuſque loco ſupra ſcriptum a librario *perdeſpuit,* quia *perdepſuit,* quod erat re-
ctum, non intelligebat, unde & cæteri codices *perdeſpuit,* quod eſt loco ineptum. Nam cur ſilen-
tium impoſuit Gellius patruo niſi quia ejus uxorem exercebat? Sane depſebat primo uxorem, ſed
ne reprenderetur a patruo ejus marito, quid fecit? perdepſuit, h. e. valde exercere uxorem, &
patruum inrumare cæpit, ne loqueretur; quam lectionem, & ſenſum obſcenum doctiores ample-
ctuntur, qui naſcitur, etiam ex eo *ipſam* ἐμφατικῶς, ut non ſolum deſpuere, ſed oppedere poſ-
ſimus jure lectioni *perdeſpuit.* Non enim erat neceſſe, reddere patruum Harpocratem, ſi ſpreviſſet
4 uxorem ejus Gellius, quod ſi reddidit, certe perdepſebat uxorem. *Harpocratem* Ægytiorum deum,
5 qui digito ante os poſito ſilentium ſuadebat. *Quod voluit, fecit* nempe Gellius, non patruus, ut
putat Achilles. Gellius enim fecit, ut taceret patruus ſeverus; porro *inrumet* eſt in obſcenis, &
turpi ſenſu accipiendum, ut plane conſtat ex joco ſuperiori *reddidit Harpocratem,* neque audias Vul-
pium, qui *inrumare* pro *deſpicere* accipi putat. Quæro enim unum a viro docto, cur tacuit patruus?
quia deſpiciebatur? immo, ajo, tum objurgare acrius debebat Gellium, quod feciſſet, ſi inruma-
6 tus non fuiſſet; leges & *nunc* fere in omn. MSS, non *hinc* in uno vitioſum, & inane. *Verbum* tan-
dem *facere* minus eſt, quam loqui; Cic. *Ne verbum faceret.* Jocatur enim poeta in ſilentio pa-
trui, qui impediebatur mentula Gelii, ita Mart. *Si te prendero, Gargili, tacebis,* & ſane in hoc
conſiſtit ſal epigrammatis, quod tamen tollit Vulpius dilogia verbi *inrumet,* quam fruſtra commini-
ſcitur.

AD SE IPSUM

Si qua recordanti bene facta priora voluptas
Eſt homini, cum ſe cogitat, eſſe pium.
Nec ſanctam violaſſe fidem, nec fœdere in ullo
Divum ad fallendos numine abuſum homines.
Multa parata manent in longa ætate, Catulle,
Ex hoc ingrato gaudia amore tibi.
Nam quæcumque homines bene quoiquam aut dicere poſſunt,
Aut facere, hæc a te dictaque, factaque ſunt.
Omnia quæ ingratæ perierunt credita menti.
Quare jam te cur amplius excruties?
Quin tu animo affirmas, teque, inſtructoque, reducis?
Et diis invitis deſinis eſſe miſer?
Difficile eſt longum ſubito deponere amorem,
Difficile eſt, verum hoc qualubet efficias.
Una ſalus hæc eſt, hoc eſt tibi pervincendum,
Hoc facies, ſive id non pote, ſive pote.

O Dii, ſi voſtrum eſt miſereri, aut ſi quibus unquam
Extrema jam ipſa in morte tuliſtis opem.
Me miſerum aſpicite, & ſi vitam puriter egi,
Eripite hanc peſtem, perniciemque mihi.
Heu mihi ſubrepens imos ut corpore in artus
Expulit ex omni pectore lætitias!
Non jam illud quæro, contra me ut diligat illa,
Aut, quod non potis eſt, eſſe pudica velit.
Ipſe valere opto, & tetrum hunc deponere morbum.
O dii reddite mi hoc pro pietate mea.

NOTÆ CRITICÆ.

1 *Si qua &c.* In hac elegia poeta lætatur de conſtantia ſua; queriturque de ingrato Lesbiæ amore,
2 a quo ut pernicioſo malo exſolvi rogat. Vocat autem ſeſe pium, ut ſuperius tacite *Aut aliquem*
4 *fieri poſſe putare pium.* Leges vero, ut erat liquide in noſtro, & aliis *numine* contra Voſſium fruſtra legentem *nomine* vitioſum, en poeta *Neglecto numine divum*; Ovid. *Promiſſaque numine firmat* h.
5 e. juramento; Virg. *Supplex tua numina poſco.* Ex illis porro verbis *in longa ætate* colligo contra Scaligerum, poetam hic, & nunc eſſe juvenem, virumve, non ſenem; τὸ *manent* enim ſpectat tempus futurum. Sperabat enim a diis hanc mercedem accipere, ut vitam longam, & beatam vivere poſſet, T. Liv. *Ad urbem eamus, ubi nos præda major manet.*

11 *Quin tu &c.* Intepretes, quos Vulpius ſecutus eſt, fruſtra conati ſunt huic verſiculo medicinam facere; Achilles *animum offirmas* uſque *reducis*, Voſſius *te reducis*, Scaliger *animu' firmas, itaque inſtrutoque*, Douſa *offirmas*; Meleager *inſtructum atq. atq. reducis*; Guarinus *teque inſtinctuque*, quid Marcilius? *itaque in gyrumque*, dii veſtram fidem! quot capita, tot ſententiæ, *che appunto fanno andar la teſta in giro*, inania, & fictitia omnia, quia recedunt a libris ſcriptis, in quibus *quin tu animo affirmas, atque inſtintoque reducis*, at in libro peroptimo Scaligeri, & etiam noſtro *inſtructoque*, quæ eſt verior lectio, vitioſa altera *inſtinctoq.*, quæ tamen ſervat veſtigium optimæ ſcripturæ. Inſtructus enim, & edoctus fuit poeta ab ingrato amore Lesbiæ, quare ita lego *Quin tu animo affirmas, teque, inſtructoque, reducis?* Nam animo affirmare eſt ſtatuere, confirmare ſe ſe, & obſtinate obdurare, T. Liv. *Eam opinionem affirmavit*, ut ineptum ſit, hanc optimam lectionem mutare; *teque* in MSS *atque* vitioſum; *inſtructoque* rectum, h. e. etiam inſtructo *ſubaudi* animo tuo. Nam *que* pro *etiam*, & *quoque* utitur & alio loco *Meque eſſe invenies illorum jure &c.* Sall: *Poſteroque die.* Vellei: *hodieque magnitudo oſtentat mœnium*; ita apud Virgilium, & alios.

12 *Diis invitis* nempe Venere, & Cupidine, qui amantes miſeros faciunt, poeta *Quam dederit Amathuſia curam ſcitis*, hinc merito vocat ſe ſe miſerum, quia amavit, amabatque, Plaut. *Ut miſer eſt homo, qui amat.* *Difficile* autem cum dicit, nihil aberrat a vero, en Prop. *Omnes humanos ſanat medicina dolores--Solus amor morbi non amat artificem*; & Cicero in aliam rem *Difficile eſt, ſi quid eſt penitus inſitum*
16 *moribus, id ſubito evellere.* porro *qualubet*, ſubaudi, ratione, alibi *qualubet eſſe notus optas*; Leges vero jubente om. vet. ſcrip. *Hoc facies*, ita ſuperius *qualubet efficias*, ut fruſtra obtrudat Scaliger *hoc faceſis* fictitium. *Non pote* tandem h. e. non poteſt, ſubaudi, fieri. *Pote* enim eſt communis generis, ut vidit & Muretus, poeta *Quantum qui pote plurimum perire*, numquam tamen uſurpari puto pro *potes* ut putat Vulpius, quem non audio, niſi hoc dicat ab exemplo optimi ſcriptoris.

17 *O dii &c.* ἀποστροφὴ ad Deos, quorum miſericordiam in dubium vocat, quam negabant & Epicurei, Peripateticique. Miſericordia enim, ut ait Cicero, eſt ægritudo ex alterius rebus adverſis, igitur non cadit in deos, qui beatiſſimi ſunt, & omni carent ægritudine, ac dolore: ita, puto, argumentabantur docte quidem, ſed impie Philoſophi, contra quos reſpondet Homerus θεοὶ &c. *Dii vero miſerabantur omnes.*
18 *Extrema* recte, ita alio loco vocat tempus extremum, poeta, *Sic nimis inſultans extremo tempore ſæva Fors.* Tum ait *aſpicite*. Nam, quos dii aſpiciebant, auxiliabantur, huc reſpexit Virg. *Juppiter*
20 *precibus ſi flecteris ullis aſpice nos*, porro *puriter* ἀρχαῖον pro *pure*, ita Cato *ſuccum puriter divi dito.* Tandem *peſtem, perniciemque* animi, quæ duo tere ſemeper conjunguntur, Cic. *multa pernicioſe, multa peſtifere ſciſcuntur*; *peſtem* autem, ait Muretus, a ἀπὸ τοῦ πέσω, unde *peſſum*.

21 *Heu mihi &c.* Verſus in excuſſis nullus, quia confictus ab ingenio otioſorum, quos Vulpius ſecutus eſt. Nam *quæ*, & *torpor*; quæ legebantur, adulterina ſunt, quia in MSS omnibus Achille, & Scaligero teſte ita verſiculus conceptus erat *Seu mihi ſubrepens imos ut corpore in artus*, nihil muto, niſi *ſeu* vitioſum, & inſulſum in *heu* exclamationem dolentis loco idoneam; *imos artus* h. e. medullas, poeta *mollibus ardet in medullis*; Petr. *Non ho midolla in oſſo, e ſangue in fibra*; dein *ut* rectum pro *quomodo* cum quadam admiratione, Ter; *Ut contempſit! Ut pro nihilo putavit!* porro *corpore* ſcilicet peſtis corpore ſuo quaſi quoddam monſtrum, ita Virg. *toto deſcendit corpore peſtis*; hinc apud T. Livium *abſumi peſte* quaſi
22 ſermo ſit de beſtia immani ore. Retineo etiam contra Achillem, & Paſſeratium fruſtra legentes ſpuria *ex omnis*, & *exſomni* libros ſcriptos *ex omni* optimum, poeta alio loco *tota de mente fugavi hæc ſtudia*; alibi *toto ex te pectore Theſeu &c.* rurſum *Quam cuncto concepit pectore flammam.*

23 *Non jam &c.* ita Cicero allatus ab Achille *Neque j- mporm ittisamari* *Contra* autem pro *viciſſim*, Plaut: *Quæ me amat, quam contra amo*; & Auct. pariap. *Te illud quæro &c.-Non contra ut ſit amor mutuus inde mihi.* Lego autem, ut habent om. lib. ſcrip. Achille teſte *contra me ut* non *contra ut me*. Porro *potis eſt* in neutro, ut apud Lucr. *non potis eſt cerni, quod caſſum lumine fertur.* Diximus enim ſuperiu

potis

potis eſſe commune, de quo monuimus etiam lexicographos. *Pudica* tandem cum dicit; notat Lesbiam meretriculam, & mœcham, de qua ſupra alio loco *Pudica, & proba redde codicillos.*

25 *Ipſe valere &c. Valeo* non ſolum de corpore, ſed etiam de animo dicitur, de quo mone lexicographos,
hinc & *morbus*, Cic. *videamus quanta ſint remedia morbis animorum*; Horatius de vitiis animi, *morbi*
26 *deponere partem*. Tandem *pietate* cum dicit, laudat ſe piam, ac fidelem in rebus omnibus, hinc ſupra *Nec ſanctam violaſſe fidem*, -- *Nec ad fallendos divum numine abuſum homines*. Pietas enim complectitur virtutes omnes, in deos, patriam, parentes, amicoſque præſertim in memoria beneficiorum, Cic. *Ut tuo beneficio bonus, gratus, pius benigne eſſe in maximi beneficii memoria poſſim*; Plaut: *Pietas mea ſerva me*; alibi *Hanccine partem capio pro pietate præcipua?* Virg. *Si pietate meremur*; Hor: *Diis pietate mea cordi eſt*;

Petr. *Se oneſto amor può meritar mercede.*
E ſe pietà può ancor quant'ella ſuole,
Mercede avrò, che più chiara del Sole
A madonna, ed al mondo è la mia fede.

IN RUFUM

Rufe, mihi fruſtra, ac nequicquam credite amice;
Fruſtra? immo magno cum pretio, atque malo.
Siccine ſubrepſti mi, atque inteſtina perurens
Mi miſero eripuiſti omnia noſtra bona?
Eripuiſti? heu heu noſtræ crudele venenum
Vitæ, heu heu noſtræ pectus amicitiæ.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Rufe &c.* In hoc hexaſticho poeta fictam amicitiam Rufi deteſtatur; cur autem? quia donis Lesbiam exercuerat, immo fortaſſe ſurripuerat, quam ob rem & in Lesbiam, & in Rufum toties poeta jambos jacit. Neminem enim eorum, qui eandem Lesbiam amarunt, tam acriter inſectatus eſt Catullus, quam Rufum hunc noſtrum hircoſum, de quo ſupra *Noli admirari, quare tibi femina nulla--Rufe, velit tenerum ſuppoſuiſſe femur*. Leges autem, ut volunt omnes membranæ Achille, Mureto, & Marcilio teſtibus, *credite* recte. Nam, quæ credimus, ſæpe falſa ſunt, ut inane, & ſpurium ſit *cognite*, quod legit Scaliger, quodque inſulſe libri excuſſi ſecuti ſunt, Virg. *Caſſandra non unquam credita Teucris*; ita Sul-
2 pitius allatus ab Achille *Sororem falſo creditam meretriculæ*. Leges ſecundo loco *fruſtra* cum interrogatione; ita enim poſtulat τὸ *immo*, quod ſequitur, en Cic. *Breves tuæ literæ; breves dico? immo nullæ*; alibi, *cauſa non bona eſt? immo optima?* Figes etiam interrogationem ad ultimum verbum tetraſtici contra Voſſium, & Scaligerum figentes invenuſte poſt primum *eripuiſti*. Nam quid eripuit? omnia bona: igitur poſt τὸ *bona* figenda interrogatio, præſertim cum & venuſtius ſit, lepidiuſque, en poeta alio loco in diverſo tamen animi affectu *Veniſti ne domum ad tuos penates? --Veniſti? O mihi nuntii bea-*
5 *ti?* hinc eandem figes poſt primum verbum hexaſtici, cætera cum indignatione recita, ut fidem facit & liber noſter ſcriptus, & Codex etiam Patavinus Vulpio teſte. *Subrepſti* pro ſubripuiſti, de quo mone
6 lexicographos. Leges tandem cum Voſſio, & Parthenio *pectus* ſc. crudele, ut erat in MSS, non *peſtis* cum Scaligero, quod, puto, commentum ejus, quem ſecutus eſt Vulpius. Exprobat enim poeta perfidum Rufi pectus, quod in amicitia maxime locum habet, audi Ciceronem *In amicitia niſi, ut dicitur, apertum pectus videas, tuumque oſtendas &c.* alio loco *Amicus amatur toto pectore, ut dicitur*; hinc Martialis *Fida pectus amicitiæ*, repetit autem *heu heu* interjectionem exprobrantis, ut Plaut: *Heu heu quam mihi &c.* quæ poſtulat nominativum, vel vocativum, ut apud poetam noſtrum, vel ponitur ſine caſu, ut apud Plautum ſupra citatum, de quo mone lexicographos. Notandum quoque contra Scaligerum malum hic ſane ſutorem, duo diſticha poſtrema, quæ incipiunt *ſed nunc id doleo*, quæq. ad hoc hexaſtichum a viro docto conſuta in quibuſdam excuſſis legebantur, aliena eſſe ab re, & loco; Nam reclamant MSS, quæ hic nihil tale habent; reclamant & verſus ipſi, in quibus agitur de ſpurca ſaliva, quæ non ad Rufum in hoc non vitioſum, ſed ad Gellium ſæpe notatum a poeta ut ſpurcum fellatorem.

IN GALLUM

Gallus habet fratres, quorum eſt lepidiſſima conjux
Alterius, lepidus filius alterius.
Gallus homo eſt bellus; nam dulcis jungit amores,
Cum puero ut bello bella puella cubet.
Gallus homo eſt ſtultus, nec ſe videt eſſe maritum,
Qui patruus patrui monſtret adulterium.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Gallus &c.* In hoc hexaſticho poeta lenocinia, & ſtultitiam Galli lapide notat. Verba autem *lepidiſſi-*
2 *ma*, & *lepidus* ſpectant ad meretrices, cinædoſque, Ter. *Nate, dabo tibi illam lepidam, quam ames*;
3 Cic. *Pueri delicati, & lepidi, qui amare, & amari &c.* τὸ quoque *bellus* pertinet ad cinædos, lenoneſ-
que, quo loco deſcribit Gallum lenonem, hinc ait, *nam dulcis jungit amores*, ἀρχαικῶς pro *dulces*,
5 poeta alio loco *Animi conjungite amores*. Tandem *ſtultus* cum dicit, notat Gallum non rudem, quaſi fe-
ceret ſe ſuſpectum ſtupri, ut putat Parthenius, ſed ſe quoque habere uxorem, quam nepos exercebat ;
qui quidem nepos a patruo ipſo Gallo edoctus non ſolum amabat uxorem alterius fratris, ſed &
uxorem ipſius patrui Galli, qui tamen neſciabat, vel connivebat, ut ſolent ſtulti, & boni mariti, qui
patiuntur æquo animo conjugum furta, quare poeta de ſtolido marito Lesbiæ *Talis meus ſtupor nil
videt, nihil audit*; alibi *Aſt illi fatuo &c.* Mart. *ſtupido non dices Paula marito--Ad mœchum quoties lon-
gius ire voles*.
6 *Qui patruus &c.* ſenſus eſt, *Qui patruus Gallus monſtret* h. e. *ſuadeat adulterium patrui* h. e. *fratris ſui*,
qui erat patruus nepotis. Docebat enim Gallus nepotem cubare cum conjuge alterius fratris ſui. Notan-
dum & hic contra libros excuſſos, eruditoſque, quos ſecutus eſt Vulpius, tetraſtichon, quod incipit
ſed nunc id doleo, quodque ad hoc epigramma inſulſe appingere voluerunt, & rei, & loco ineptiſſimum
eſſe. Reclamant enim tum Codices, qui hic nihil tale habent, tum verſus ipſi, in quibus ſermo eſt
de ſpurca ſaliva, quæ non ad Gallum in hoc ſane nunquam vitioſum, ſed ad Gellium, quem ſpurcum
fellatorem toties Catullus exagitat, hinc etiam Achilles doctiſſimus ait, *Vementer ſuſpicor; cœteros,
qui ſequuntur verſus, ſuo loco poſitos non eſſe*.

IN LESBIUM

Lesbius eſt polcher, quid ni? quem Lesbia malit,
Quam te cum tota gente, Catulle, tua.
Sed tamen hic polcher vendat cum gente Catullum,
Si tria natorum ſuavia repererit.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Lesbius &c.* In hoc tetraſticho poeta Lesbium fellatorem tacite notat. Leges autem ſine dubio *Lesbius*,
ut fidem faciunt omnes libri ſcripti Achille, Parthenio, & cæteris teſtibus, ita & in noſtro, in libro
tamen Scaligeri *cælius* vitioſe, nam Cælium, ſemper amavit poeta, ibi *cui faveam potius? Cæli, tibi*;
alibi *Cæli, Lesbia noſtra &c.* unde docti commenti ſunt *Gellius* omnino fictitium, quaſi vero nemo alius,
niſi Gellius, Romæ fellator eſſet, & impudicus, qui merito notaretur. Voluit igitur poeta & Lesbium
exagitare impurum hominem, quia Lesbiam ab eo amatam videbat. Lesbius igitur eſt certe filius P.
Clodii, de quo V. Max: *Quorum filius pulcher, præterquamquod enervem, & frigidam juventam egit,
perdito etiam amore vulgatiſſimæ meretricis infamis fuit*, ex quo Valerii loco aperte colligo contra Apu-
lejum, quem temere ſecuta eſt doctorum omnium caterva, Lesbiam Clodiam dictam, quia meretrix
filii P. Clodii, non quia ejus ſoror, ut putarunt, docuerunt que inerudite iidem eruditi, quos notavi ſatis
ſuperius ad carmen *Vivamus, mea Lesbia, atque amemus*. Lesbiam autem appellavit poeta ficto nomi-
ne cum alluſione ad feminas inſulæ Lesbi, quæ erant pulcherrimæ, ut etiam ex Homero, quem af-
fero ad idem citatum carmen, videre eſt, itaque nunc vocat etiam filium P. Clodii, & quia pulcher
cognomine dictus, & quia amatus a Lesbia, de qua V. Max: *vulgatiſſimæ meretricis* merito; nam poeta
noſter de eadem *Nunc in quadriviis & angiportis--Glubit magnanimos Remi nepotes*. *Polcher* vero ἀρχαι-
κῶς pro *pulcher*.
2 *Cum tota gente* ex hiſce verbis colligitur, Catullum ex nobili familia ortum fuiſſe. *Sed tamen* vero cum
3 dicit, proponit Gellio amplam conditionem, cui poeta ſuccumbere non poteſt. Neque audias Achil-
lem, qui putat, pretium ex venditione Catulli, & ejus gentis acceptum dandum ei noto, qui tria
dederit oſcula Gellio. Me enim pro Catullo vendo, ſi hæc inlepida non ſunt. Nam mera eſt conditio,
& pactum, ſe publice cum familia vendi, ſi tria natorum ſuavia repererit. Infame enim erat, familias
nobiles publice vendi, quæ tamen propter delicta ſæpe vendebantur, Cic: *Tabulam proſcripſit, ſe Ca-
4 tonianam familiam venditurum*; T. Liv. *Familia ad Cereris, Liberâ que venum iret*. Leges tandem *na-
torum*, ut præſeferunt omnes lib. ſcrip. Scaligero teſte, qui tamen fruſtra legit *notorum*; quod eſt mi-
nus idoneum. *Natorum* enim, quod Vulpius ex Voſſio explicat prave *qui honores conſecuti ſunt*, habet majorem
ἔμφασιν, h. e. ne filii quidem, nepoteſq. (patri enim, matrique cara ſunt puerorum oſcula, poeta
Rideat ad patrem ſemihiante labello; Gellius *Dum ſemihiulco baſio meum puellum ſavior*) ne filii, inquam,
nepoteſque Clodium baſiare libenter vellent, adeo ejus os ſpurcum erat, & impurum fellandi vitio,
en Cic. *Legem Clodius ſcripſit ſpurciorem lingua ſua*; alibi *Invenies* (Clodium) *apud ſororem tuam ocul-
tantem ſe capite demiſſo* h. e. vorantem ſe ſe.

IN GELLIUM

Quid dicam, Gelli, quare roſea iſta labella
Hiberna fiant candidiora nive;

3 Ma-

Mane domo quom exis, & quom te octava quiete
  E molli longo ſuſcitat hora die?
Neſcio quid certe eſt, an vere fama ſuſurrat,
  Grandia te medii tenta vorare viri?
Sed certe clamant Victoris rupta miſelli
  Ilia, & emulſo labra notata ſero.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Quid dicam &c.* In hoc octaſticho poeta labiorum ſpurcitiem Gellio objectat. Gellius autem ille idem,
de quo ſupra *Gellius audierat &c.* de quo Cicero in Sext: *Ex impuro adoleſcente graculum ſe, & otioſum*
2 *putari voluit*. Porro *cendidiora* propter ſperma, hinc ait *nive hiberna*. *Mane* vero, quia noctu fella-
bat; *octava* autem hora æſtate poſt prandium, quando meretrices, & cinædos petebant, poeta *pran-
ſus ſupinus pertundo tunicamque, palliumque*; Perſ. *Poſt prandium Callio·ben·do*; poeta rurſum *Jube ad*
4 *te veniam meridiatum*. Cave enim explices cum Parthenio, ideo dici octavam horam, quia jacerent
fellatores uſque ad octavam ſolis horam; Nam poeta diſtinguit *mane cum exis, & cum te octava quiete
ſuſcitat*. Nam poſt prandium cum amica, cinædove concubitum ibant, vel ſoli dormitum; ut vides
ex cit. poeta *Pranſus jaceo, & ſatur ſupinus--Pertundo tunicamque; Palliumque*, quare caveſis & Vul-
pium putantem, octavam fuiſſe ſub meridie, quando lavabantur, ſudoremq. ciebant paulo poſt cœna-
turi, Mart. *Sufficit in nonam nitidis octava paleſtris*. Nam hæc hiberno tempore, non æſtate, præter-
quamquod repugnant verba, & ſenſus *octava quiete ſuſcitat*, quibus verbis deſcribit Gellium ſurgen-
tem e lecto poſt meridiem; Multo minus audias eundem, cum dicit, quod dormiret uſque ad horam
octavam. Nam hoc ex Parthenio eſt, quem ſupra merrto tetigimus. Leges porro *e molli* ita liber no-
ſter ſcriptus, & alii, excepto Scaligeri, inquo *& mollis* vitioſe. Somnus autem mollis eſt, quia facit
homines molles, poeta *molli requieſcere ſomno*; alibi *Ita de quiete molli rabida ſine rabie*; rurſum *Abit in
quiete molli furor animi*.
6 *Tenta* ſunt in obſcenis, ita & *vorare*, de quo mone lexicographos. Vitium autem fellandi feminas,
viroſque Romæ vigebat, Hor: *Jamque ſubaudo tenta*; Mart: *Quod fellas, vitium, dic mihi, cujus ha-
bes?* Aut: *Lambere cum vellet membra virorum*. Juv: *Tadia non lambit Cluviam, non Flora Catullam*;
Mar. *Undenas vorat in dies puellas*; ita *medii* eſt in obſcenis, de quo mone lexicographos, Auſ: *lam-*
7 *bere mediorum membra virorum*. Leges vero, ut habet liber noſter ſcriptus, & Scaligeri *ſed certe clamant*
recte; Nam primo dubitabat, deinde rem certam facit teſte Victore, cujus ilia Venere rupta erant, te-
ſtibuſq. labris Gellii ipſius ſpermate notatis. Puto enim lectionem vulgatam *ſic certe eſt* eſſe fictitiam ex
ingenio doctorum. Nam repeteret duriuſcule poeta, cum dixerit ſupra *quid certe eſt*, præterquamquod
in mel. Cod. & fortaſſe in omnibus non legitur; Leges tamen contra Scaligerum *Victoris miſelli*, ut præ-
ſeferunt membranæ, non *unctoris*, vel *Virronis*, vel *Varronis Viſelli* vitioſa, & adulterina. Nominat
enim quendam nomine Victorem, quem vocat miſellum cum ſale multo, tum quia amabat Gellium,
amabaturque, hinc Plaut: *Ut miſer eſt homo, qui amat*, tum quia habebat ilia rupta, quæ ſane rumpun-
tur nimia Venere, poeta de Lesbia *Omnium ilia rumpens*; Nam quod explicat Vulpius, *quia eum Gel-
lius tam importune mulgeret*, inlepidum eſt. Victor enim hæc obſcena ſponte eligebat, volebatque,
8 quam ob rem non erat miſer, ſed propter ea, quæ attulimus ſupra. Optima tandem eſt lectio *ilia, &
emulſo*. Nam in MSS omnibus *Illa*, vel *ille te mulſo*, & in noſtro liquide *ilia te mulſo*. *Sero* autem
tranſlate dictum de obſcenis pro *ſpermate*, de quo defeſſus ſum monere lexicographos.

AD JUVENTIUM

Nemone in tanto potuit populo eſſe, Juventi,
  Bellus homo, quem tu diligere inciperes,
Præterquam iſte tuus moribunda a ſede Piſauri
  Hoſpes inaurata pallidior ſtatua,
Qui tibi nunc cordi eſt, quem tu præponere nobis
  Audes? a, neſcis, quod facinus facias.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Nemo &c.* In hoc hexaſticho poeta queritur, quod Juventius in amore præpoſuerit Furium Piſaurien-
ſem, quem naſo ſuſpendit. Juventius autem ille idem cinædus, de quo ſupra *O qui floſculus es Juven-
tiorum*. Porro *bellus homo* ſine dubio eſt Furius, de quo ſupra ad Juventium *Qui? Non eſt homo bellus
inquies eſt*; nota autem τὸ *homo*, quod in oratione, & in verſu fere ſemper dicitur ad contemptum, &
irriſionem, poeta, *Inſulſiſſimus eſt homo*; Brutus ad Cic. *nos hi ſumus, de quorum ſalute unus homo*
3 *rogandus videatur? Diligere inciperes* ἀρχαϊκῶς pro *diligeres*. Leges autem *iſte* ita in omn. fere MSS
Achille teſte, quod dictum eſt cum contemptu, poeta alio loco *iſte meus ſtupor*. Deinde *moribunda* ne
explices *mortiferam* cum Vulpio, ſed quia Piſaurienſes ob aerem ita pallidi ſunt, ut moribundi eſſe vi-
deantur, hinc ait ſtatim poeta *inaurata pallidior ſtatua*. Aurum enim pallidum eſt, alibi *Fulgore ex-
palluit auri*, propter quem pallorem fortaſſe Furius a Juventio tantopere amabatur; Pallida enim
mul-

multis cariſſima ſunt, Mart. *Nec formoſa tibi, ſed moritura placet.*
5 *Cordi eſt* familiare Catullo, ut ibi *Quibus non eſt cordi Catullum lædere*; alio loco *ſunt cordi monumenta*
6 *laboris*. *Audes* vero cum dicit, exprobrat Juventium, quem amabat, non tamen amabatur, ut ex
multis locis colligo, præcipue vero ex epigrammate *Surripui tibi, mellite Juventi, ſuaviolum*.
Leges tandem *a* ſine aſpiratione, ut volunt Codices, & vetera monumenta pro *ah*. *Facinus* vero *facere* φράσις elegans in ore omnium, alias *ſæpe facis facinus*. Plaut. *Vin' tu facere facinus lepidum?* alio loco *Indignum facinus feciſti, & malum*: alibi *haud decorum facinus tuis factis facis*; Ennius *Ut faceret facinus, levis &c.* Ter. *Non fit facinus*; Cic. *Vide, quid facinus facias*. Poſtremo contra Parthenium, qui de quodam homine Piſauro ridicule diſputat, quique ultimi verſus venuſtatem tollit, qui recitari debet ſine interrogatione exemplo Ciceronis *Neſcis, ignare, neſcis; quantas vires habeat virtus*.

AD QUINCTIUM

Quincti, ſi tibi vis oculos debere Catullum,
  Aut aliud, ſi quid carius eſt oculis;
Eripere ei noli, multo quod carius illi
  Eſt oculis, ſeu quid carius eſt oculis.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Quincti &c.* In hoc tetraſticho poeta Quinctium amicum (qui interpoſito *c* ſcribendus eſt ex fide vet. monum. quæ vidit Achilles) prece divertit ab amore Lesbiæ. Falluntur autem docti, quos Vulpius ſecutus eſt, putantes, hanc oculis cariorem eſſe Aufilenam; Primo quia Catullus numquam perdite amavit Aufilenam, immo ut meretricem impudiciſſimam, atque adeo proſtitutam notavit ibi *ſed data corripere, Aufilena, fraudando, eſt meretricis avaræ Quæ ſe toto corpore proſtituit.* deinde nonne laudat amores Quinctii erga Aufilenam, & Cœlii erga Aufilenum, ibi *Fraternum vere ſodalitium*. Non enim laudaviſſet, ſi ipſe Aufilenam plus oculis amaviſſet; quod ſi poeta eodem loco favet potius Cælio, quam Quinctio, *Quoi faveam potius? Cœli tibi*, ratio eſt, quia Cœlius Lesbiam nunquam tentavit, Quinctius autem maxime, ut clare patet ex hoc eodem tetraſticho: quid plura? Lesbia una fuit, quæ carior oculis erat, de qua poeta alio loco *Credis me potuiſſe meæ valedicere vitæ – Ambobus mihi quæ carior eſt oculis?* Vocat enim vitam, & alio loco lucem *Lux mea,*
2 *qua viva, vivere dulce mihi eſt*. Oculi porro hominibus cariſſimi ſunt, poeta *Ni te plus oculis meis*
3 *amarem*, hinc cariſſima oculos vocamus, Plaut. *Oculus meus*. *Ei* vero monoſyllabon eſt, ut *eidem*,
4 & *eodem* diſſyllaba in Lucil. et Virgilio loco ſuo. Leges tandem cum Achille *ſeu quid*, ita ſupra *Aut aliud, ſi quid carius eſt oculis*. Voſſius enim, quem ſecutus eſt Vulpius, legens *ſi quid carius* ſenſum facit ſine ſale; quo loco noto per tranſennam, vocem *carus* natam a græcis κάρη *caput*. Nihil enim carius eſt capite, de quo mone lex. & ety.

IN LESBIÆ MARITUM

Lesbia mi, præſente viro, mala plurima dicit,
  Hoc illi fatuo maxima lætitia eſt.
Nulle, nihil ſentis, ſi noſtri oblita taceret,
  Sana eſſet quod nunc gannit, & obloquitur,
Non ſolum meminit, ſed quæ multo acrior eſt res,
  Irata eſt, hoc eſt, uritur, & loquitur.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Lesbia &c.* In hoc hexaſticho poeta irridet Maritum Lesbiæ, a qua putat ſe maxime amari. Vo-
2 cat autem fatuum, ut alio loco inſulſiſſimum vulgò *be...* quod italum a græco βέκκος *amens* natum puto, de quo mone lexicographos, quare Itali ſtupidum hominem appellant *beccone, caſtrone montone*, Bocc. *A guiſa di becconi nel mangione ci laſciaſti*; Mart. *Stupido non dices, Paula marito*
3 *Ad machum quoties longius ire voles*, hinc ſine dubio leges *nulle*, ut eſt liquide in libro noſtro ſcripto, & etiam in Patavino Achille teſte, in aliis tamen *mulle* vitioſum, quod erat in quibusdam excuſſis, quodque Vulpius, cæterique ſecuti ſunt; Nam in membranis cum duobus *ll*, ut *mule* nunquam legi poſſit, præſertim cum & ineptum ſit. Nam mulli ſagaces ſunt, ſecernuntque a malis bona, quod in maritum Lesbiæ ſtolidum non cadit. *Nulle* igitur legendum, quod eſt accomodatiſ-

ſimum

ſimum, & ſucci plenum, h. e. ita nihil ſentiens, nihil audiens, ut nullus eſſe videretur, ita de hoc homine poeta ad Coloniam *Tantundem omnia ſentiens, quam ſi nullà ſit unquam*, infra ibi *Ipſe quis ſit, utrum ſit, an non ſcit id quoque neſcit*, ut, qui in poſterum nulle nſunt, malunt *nulle* multi eſſe videantur.

4 *Sana* optima lectio libri noſtri ſcripti, in aliis tamen *ſamia*, & *ſannia* vitioſa: ſana autem, quia non amaret. Amor enim morbus eſt, poeta cæcus amore *ipſe valere opto*, & *tetrum hunc deponere morbum*. Leges etiam *gannit* in MSS omnibus Achille teſte Cæcil.

6 *Gannit odioſus tota familia*, ut *garrit* garrulorum commentum ſit. Ex illis vero verbis *irata eſt*, colligit, ſe a Lesbia amari, & quidem recte; nam Ter. *amantium iræ, amoris integratio eſt*; Tib. *Non ſine amore gravi femina nulla dolet*. Neque audiendus eſt Lipſius, qui legit *coquitur*, pro *loquitur* puto ſive Codice. Præterquam quod enim diſcedit a ſcriptura, quæ liquide habet *loquitur*, etiam pravum ſenſum facit. Nam *uritur*, & *coquitur* eadem ſunt contra poetæ mentem, qui vult, Lesbiam uri, & obloqui, h. e. amare, & maledicere. *uritur* enim ſpectat ad ea *non ſolum meminit*, τὸ autem *loquitur* ad illa *irata eſt*, ita poeta de ſe *Odi, & amo*; quo loco per tranſennam noto, vocem *loquor* natam a græcis *λέγω dico*. Poſtremo animadverte, in toto hoc carmine ſemper Catullum loqui, nunquam maritum Lesbiæ, ut nocte neſcio qua ſomniavit Palladius.

DE ARRIO

Chommoda dicebat, ſi quando commoda vellet
   Dicere, & hinſidias Arrius inſidias.
Et tunc mirifice ſperabat ſe eſſe locutum,
   Quum, quantum poterat, dixerat hinſidias.
Credo ſic mater, ſic liber avunculus ejus,
   Sic maternus avus dixerit, atque avia.
Hic miſſo in Syriam requierant omnibus auris,
   Audibant eadem hæc leniter, & leviter.
Nec ſic poſtilla metuebant talia verba,
   Quum ſubito adfertur nuncius horribilis,
Jonios fluctus, poſtquam illuc Arrius iſſet,
   Jam non Jonios eſſe, ſed hionios.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Chommoda &c.* In hoc dodecaſticho poeta irridet vitioſam, & ineptam Arrii pronunciationem, qui ſemper aſpirabat; quod quidem erat vitium antiquorum maximum, hinc Gellius *Ruſticus fit homo, ſi adſpires perperam*. Arrius autem nobilis romanus victus in acie a Spartaco, ut ait Pedianus.

3 Porro *ſperabat* h. e. ſibi perſuadebat, ita alio loco *ſperet, nec linguam eſſe, nec auriculam*; Cic. *ſpero cætera prolixa eſſe*; Ter. *ſpero, me habere &c.* ut fuſtra miretur Vulpius, Catul-

5 lum infinitivo modo uſum fuiſſe. *Credo* vero cum dicit, cauſam hujus vitii tribuit parentibus, qui docuerunt & Arrium aſpere pronunciare, Cic. *Quemadmodum patres, pædagogi, matres etiam loquantur* &c. vide reliqua, & ſane mulieres religioſius incorruptam antiquitatem conſervant, ut ait idem Cicero. Lego itaque cum Scaligero, & aliis ex fide omnium membranarum *liber*, non *iber* cum Marcilio, vel *frater* cum inſulſioribus, ſpurium utrumque, explico autem contra omnes doctos, quos Vulpius ſecutus eſt, ut *liber* ſit quaſi libera lingua, hinc *libere loqui*, & *fabulari* apud optimos Scriptores. Agitur enim hic de libera, & mala pronunciatione, ut Scaliger, qui de nomine, & cognomine gentis Romanæ ariolatur, & Paſſeratius, qui ſpurium interpretatur, & cæteri, qui de Bacco Libero dicto ſomniarunt, jure a doctioribus rideantur, in quorum numero collocandus eſt & Meleager qui *mather, havia, mathernus, havus* temere adſpirat. Nihil enim horum legitur in MSS, & recte. Nam poeta narrat tantum, quod ſentit. Neque vero Arrius educatus fuit a matre vidua, fratre mortuo, ut putat Vulpius ex me-

6 ra conjectura. Leges tandem & *dixerit* ita in libro noſtro, & Scaligeri, non *dixerat* fictitium.

Hic

7 *Hic miſſo* ita erat in omnibus MSS Achille teſte, quod ſolito ſpreverunt injuria docti, quos Vul-
pius ſecutus eſt, ut *hoc miſſo* ſpurium amplecterentur. *Hic* igitur rectum, h. e. interea, hoc, vel
eo tempore, ut apud Virg. *Hic regina gravem gemmis, auroque popoſcit*. *Auris* autem pro *aures* ar-
10 chaica ſcriptura, ita *audibant* pro *audiebant*, de quo mone lexicographos. *Nuncius* nempe Ar-
rius ex Syria horrorem incutiebat auribus hominum aſpera ſua pronunciatione; narrabat enim,
puto, tempeſtates & procellas, quas paſſus erat, maris Jonii. Iocus enim in eo eſt, quod mare
Jonium per ſe crudele, & aſperum crudelius, & aſperius factum fuerit aſpera Arrii pronuncia-
tione, Hor: *Jonius Noto carinam ruperit*; alibi *motus doceri gaudet Jonicos*; nam, quod dicunt,
ex naufragio Arrii, & hiatu aquarum hionios fluctus dictos, trado commentum in mare Creti-
cum.

DE QUINTIA, ET LESBIA

Quintia formoſa eſt multis, mihi candida, longa,
  Recta eſt; hæc ego, ſic ſingula confiteor.
Totum illud formoſa nego. Nam nulla venuſtas,
  Nulla in tam magno eſt corpore mica ſalis.
Lesbia formoſa eſt, quæ, cum pulcherrima tota eſt,
  Tum omnibus una omnis ſurripuit Veneres.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Quintia &c.* In hoc hexaſticho poeta comparat Quintiam cum Lesbiæ forma, pro qua fauſte ju-
diͻat. Quintia autem ſcribitur ſine C ex fide vet. monum. allatorum ab Achille, e contra *Quin-
ctius*; fortaſse enim hoc pacto feminas a viris ſecernebant, ita Arrius, & Aria ex eadem fide
vet. mon. eodem Achille teſte. Hæc vero puella, puto, eſt illa meretrix, de qua Auct. Priap:
Delicia popcli toto notiſſima-Circo Quintia, vebratas docta movere nates, quod etiam Achilles belle
ſuſpicatus eſt, in quo Turnebum non laudo, qui hanc putat eſse Quintiliam amicam Calvi,
quam ſatis laudat poeta noſter loco ſuo ad eundem Calvum ſcribens, Quintiam vero hanc pili-
2 facit ut inlepidam, & ſine Venere. *Recta eſt*, quia rectæ ſunt laude dignæ, Hor. *Candida, re-
ctaque ſit, munda hactenus &c.* Leges porro jubente fere om. vet. ſcrip. Marcilio teſte *hac ego*,
non *hoc ego* vitioſum libri Scaligeri.
4 *Mica ſalis &c.* Alludit ad micam ſalis, qua utebantur in Sacrificiis ad conciliandum amorem
deorum, Ov. *Mica ſalis puri conciliabat heros*. Ad hunc autem verſum Quintilianus, *Catullus
cum dixit, nulla in tam magno corpore mica ſalis, hoc dicit, nihil in corpore ejus eſſe ridiculum*,
quem virum doctiſſimum merito reprendit Parthenius. Nam hic ſal non accipitur pro re ridicula
ſed pro elegantia, & membrorum diſpoſitione, ita Nepos *Tectum antiquitus conſtructum, plus
ſalis, quam ſumptus habet*. Ridiculum enim, quod explicat Quintilianus fruſtra a Voſſio defen-
ſus, feminis ineptum eſt, indignum, & ſine laude, præcipue ſpectans ad ſcurras, præterquam
quod poeta non de ejus animo loquitur, ſed de corpore tantum, hinc ait *totum illud formoſa
nego; nam nulla venuſtas*, quæ quidem pertinet ad corporis formam, quare Cicero *cum pulchri-
tudinis duo genera ſint, quorum in altero venuſtas ſit, in altero dignitas, Venuſtatem muliebrem du-
cere debemus, dignitatem virilem*.
6 *Veneres* & hoc ſpectat ad corporis formam, de quo relege Ciceronem ſupra citatum, Catullus au-
tem laudat amicam ſuam, ut ſolent amatores, plus juſto, & æquo,

Tib. *Tu mihi ſola places, nec jam te præter in urbe.*
Formoſa eſt oculis ulla puella meis;

Petr *Veder penſaro il volto di colei,*
Che avvanza tutte l' altre meraviglie;

alio loco *Queſto noſtro caduco, e fragil bene*
Non fu giammai, le non in queſta etade
Tutto in un corpo.

L. de M. *Chi ha la viſta ſua così potente,*
Che la mia donna paſſa mirar fiſo?
Vede tante bellezze nel ſuo viſo,
Che farian tutte l' anime contente.

Areoſt. *Non avea da tor altra, che coſtei,*
Che tutte le bellezze erano in lei.

cujus rei reddit rationem Propertius ibi, *Scilicet inſano nemo in amore videt*.

AD

AD LESBIAM

Nulla poteſt mulier tantum ſe dicere amatam
Vere, quantum a me, Lesbia, amata mea es.
Nulla fides ullo fuit unquam fœdere tanta,
Quanta in amore tuo ex parte reperta mea eſt.
Nunc eſt mens adducta tua mea, Lesbia, culpa,
Atque ita ſe officio perdidit ipſa pio.
Ut jam nec bene velle queam tibi, ſi optima fias,
Nec deſiſtere amare, omnia ſi facias.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Nulla &c.* In hoc octaſticho poeta laudat amorem in Lesbiam ſedifragam ſuum. Leges autem re-
2 cte *amata mea es*, ut erat in libro noſtro ſcripto, & Scaligeri, non *eſt*, quod repeteret ad nauſeam
in ſequenti. *Nulla fides*, poeta de ſe *Nec ſanctam violaſſe fidem, nec fœdere in ullo &c.*
5 *Nunc eſt mens adducta* ita liquide Codex Scaligeri, & noſter, non *huc deducta* vel vitioſa, vel ad.
7 ulterina. *Bene velle* autem ſpectat ad animum, *amare* ad corpus, alio loco *cogit amare magis,*
8 *ſed bene velle minus*; Tandem *omnia ſi facias*, ſubaudi ſcelera, & adulteria. Non enim doctiſſi-
mus Vulpius omne tulit punctum, cum ait, *omnia facias* idem eſſe, ac nullum non lapidem mo-
vere; Nam cur moveat Lesbia omnem lapidem, ſi jam Catullus eſt promptiſſimus ad amandum?
quare ſupra *ſi optima fias* h. e. pudica. Amantes igitur fere ſemper eo deveniunt, ut amicæ levita-
tem oderint, corpus ament, hinc merito Tibullus *Quanvis perfida, cara tamen*: Mart: *Nec tecum
poſſum vivere, nec ſine te*; Petr: *Io pur aſcolto, e non odo novella--Della dolce amata mia nemi-
ca*. Poſtremo animadvertite, hanc eſſe ſedem hujus octaſtici ex fide omnium MSS, quæ Scaliger,
quem ſecutus eſt Vulpius, cæterique, pilifecit.

IN GELLIUM

Quid facit is, Gelli, qui cum matre, atque ſorore
Prurit, & abjectis pervigilat tunicis?
Quid facit is, patruum qui non ſinit eſſe maritum?
Ecquid ſcis, quantum ſuſcipiat ſceleris?
Suſcipit, o Gelli, quantum non ultima Thetis,
Nec genitor Nympharum abluit Oceanus.
Nam nihil eſt quicquam ſceleris, quod prodeat ultra,
Non ſi demiſſo ſe ipſe voret capite.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Quid &c.* In hoc octaſticho poeta Gelii inceſtus acerbo felle reſpergit. Gellius autem ſpurcus, &
2 libidinoſus homo, de quo ſupra *Quid dicam Gelli &c.* *Prurit* vero eſt in obſcenis, quod importat
plus, quam libidine tentari, quoties vero jungitur cum ablat. perſonæ, de quo mone lexicogra-
phos; ita *pervigilat* obſcenum, de quo iterum mone lexicographos, Tib. *Et tecum longos pervigi-
lare dies*, hinc illud carmen *Perviligium Veneris dictum*, quod inepte Catullo tribuebatur. Agitur
enim ibi de Auguſto *patrem, & nepotem Cæſarem*, quem poeta ne de facie quidem novit, ut me-
3 cum probat & doctiſſimus Lipſius. *Non ſinit eſſe maritum*, & quia eum volentem detinebat ir-
rumatione, & quia ejus uxorem exercendo ipſe mariti officio fungebatur, poeta de eodem Gellio *Pa-
trui perdepſuit ipſam-Uxorem*, & deinde *Quanvis irrumet ipſum patruum.* Non enim eum veneris e-
nervavit, ne virili officio fungeretur, ut putat non belle Vulpius.
5 *Ultima Tethis* h. e. totum mare ad extremos uſque ejus fines, ita alio loco *ultimoſque Britannos.*
6 Oceanus autem vocatur genitor Nympharum, quia ex Theti genuit tria millia earum. Leges etiam
ex MSS omnibus Achille teſte *nec genitor*. *Abluit* porro ita in noſtro libro ſcripto, & Scaligeri, & Voſſii,
cæterorumque. Putabant enim Veteres, aqua purgari a peccatis. Nam hoc genus expiationis erat,

Hom. *χεῖρας* &c. *Manus lavans ſupplicavit Palladi*; Eurip. *κακὰ* &c. *Mala abluit mare*, & ſophocles allatus ab Achille *οἴμοι* &c. *puto enim neque Iſtrum, neque Phaſin abluere hanc domum*; Virg. *Donec me flumine vivo abluero*; Juv: *Deſcendat in amnem*; Perſ. *Tiberino in gurgite mergis--Mane caput, & no-*
8 *ctem flumine purgas*; Ovid. *Ablue præteriti perjuria temporis*. Tandem *voret* eſt in obſcenis, de quo & ſupra monui lexicographos, alio loco *grandia te medii tenta vorare viri*; Dein *demiſſo capite* cum dicit, alludit, puto, ad Sex. Clodium, quem ſupra vocavit Lesbium ibi *Lesbius eſt pulcher &c.* Cicero enim ait pro Domo ſua *Quare hoc ex Clodio, latitat*; *Sed ſi requiri juſſeris, invenient hominem apud ſororem tuam occultantem ſe capite demiſſo* h. e. vorantem ſe ſe eo obſceno ſenſu, quo Catullus; quo loco obiter noto, vocem *voro* natam a græcis *βορὰ* eſca, quod a *Βό'ω alo*, de quo mone lexicographos.

IN GELLIUM.

Gellius eſt tenuis, quid ni? quoi tam bona mater,
Tamque valens vivat, tamque venuſta ſoror.
Tamque bonus patruus, tamque omnia plena puellis,
Cognatis, quare is deſinat eſſe macer?
Qui ut nihil adtingit, niſi quod fas tangere non eſt,
Quantumvis, quare ſit macer, invenies.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Gellius &c.* In hoc hexaſticho poeta macritudinem Gellii lepide examinat. Exercebat enim impudicus
matrem, ſororem, uxoremque patrui, & patruum ipſum irrumabat, ut patet ex carmine ſuperiori
Quid facit is, Gelli &c. Nam corpus nimia venere macreſcit, Virg: *Quam pingui macer eſt mihi taurus
in arvo, -- Idem amor exitium eſt pecori*; Hor: *Quis gracilis te puer in roſa*; alibi *me Phryne macerat*; Juv.
Nec Veneris pharetris macer eſt. *Tenuis* vero pro macro uſurpatur, de quo mone lexicographos. *bona* por-
ro h. e. pulcra, vel liberalis, vel quaſi ignara peccati, poeta *Ignaro mater ſubſternens ſe impia nato*. *Va-*
2 *lens* autem, ſubaudi, lateribus, Plaut: *Ut Valentula eſt?* vel ſana, Cic: *Medicus confirmat, te valentem
fore*. Deinde *venuſta* h. e. pulcra, & elegans; Venuſtas enim alterum genus eſt pulcritudinis ad feminas
ſpectans, ut vidimus ſupra ex Cicerone.
3 *Tamque bonus*, quia ſe irrumari patiebatur, en ſupra *Quamvis irrumet*. Leges autem jubentibus omni-
5 bus membranis Scaligero, & Achille teſte *Qui ut nihil adtingit* h. e. licet nihil tangit, niſi &c. tamen inve-
nies &c. Ovid: *Ut deſint vires, tamen eſt optanda voluptas*. Nam Lectio, quam ſecutus eſt Vulpius,
qui ut nihil attingat, vel *qui nihil attingit* commentitia eſt, & nullo in libro ſcripta; *Attingit* autem
putat Scaliger pro *attingat*, ut ſupra *abluit* pro *abluat ἀρχαικῶς*, ego tamen inane *ἀρχαϊσμὸν* puto, acci-
pioque, ut eſt ſcriptum, utrumque. Sal tandem hexaſtici *παρὰ προσδοκίαν* eſt. Nam ſi Gellius licita, non
attingebat, multo minus illicita tangere videbatur, quod tamen erat contra verum. Macreſcimus vero,
ſudamuſque facilius in his, quæ obſtante natura, legibuſve fieri non poſſunt, quam quæ poſſunt; Leges
autem, & natura nolunt, matrem, ſororem, patruoſque a filiis, & nepotibus attrectari; quo loco
per tranſennam noto, vocem *macrum* natam a græcis *μακρὸς longus*, quia qui macer, & longus.

IN GELLIVM

Naſcatur magus ex Gelli, matriſque nefando
Conjugio, & diſcat perſicum haruſpicium.
Nam magus ex matre, & gnato gignatur, oportet,
Si vera eſt Perſarum impia religio.
Gnatus ut accepto veneretur carmine divos
Omentum in flamma pingue liqueſaciens.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Naſcatur &c.* In hoc hexaſticho poeta ſalſius inceſtuoſam Gellii libidinem abominatur. Putabant au-
tem Perſæ, magum h. e. ſapientem optimum naſci poſſe ex matris, & filii copula, quam tamen vocat
nefandam; Nam apud Romanos, & cæteras gentes illicita erat, apud Perſas non item, Q. Curt: *Sa-
trapes erat Syſimithres duobus ex ſua matre filiis genitis; quippe apud eos parentibus ſtupro coire cum liberis*
2 *fas eſt*. *Perſicum haruſpicium*, quia magi diſciplina haruſpicum erudiebantur, inſpiciebantque anima-
3 lium exta, coniciebantque futura. Leges vero *gignatur*, non *naſcatur*, quod hoc puto commentum,
donec codicem attuleris. In ultimo tandem diſticho morem magorum ſacrificantium deſcribit; *Accepto*
5 *carmine* h. e. a majoribus accepto, vel potius diis grato, quod Magi faſciculum virgarum tenentes ad
ignem, quem tanquam deum cuſtodiebant, canebant, ut vidit Scaliger ex Phrynicho poeta, & præci-
pue

pue ex Strabone ibi *καὶ πῦρ & ignem inextinguibilem cuſtodiunt magi*, deinde *διέμαν.* &c. *faſciculum*
6 *virgarum habentes &c.* *omentum* vero, quia viſcera victimarum in ignem conjiciebant; ſecunda autem
in *liquefaciens* producitur, Ovid: *Tura liquefaciunt*, ita in *rarefacio*, *& expergefacio* apud Lucretium.
Nota poſtremo, epigramma hexaſticho conſtate. Peſſime enim cum ſuperiore *Gellius eſt tenuis* connexum in quibuſdam libris legebatur, quod egregie notavit etiam Muretus.

IN GELLIVM

Non ideo, Gelli, ſperabam te mihi fidum,
In miſero hoc noſtro hoc perdito amore fore;
Quod te cognoſſem bene, conſtantemve putarem,
Aut poſſe a turpi mentem inhibere probro;
Sed quod nec matrem, nec germanam eſſe videbam
Hanc tibi, cujus me magnus edebat amor.
Et quanvis tecum multo conjungerer uſu,
Non ſatis id cauſæ credideram eſſe tibi.
Tu ſatis id duxti, tantum tibi gaudium in omni
Culpa eſt, in quacunque eſt aliquid ſceleris.
Sed nunc id doleo, quod puræ pura puellæ
Suavia comminxit ſpurca ſaliva tua.
Verum id non impune feres. Nam te omnia ſæcla
Noſcent, &, qui ſcis, fama loquetur anus.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Non ideo &c.* In hoc epigrammate poeta queritur de Gellio, qui nulla habita ratione amicitiæ Lesbiam
exercuerat. Leges autem rectius, ut volunt fere omnes Codice, Guarino, Achille, & Voſſio teſtibus *hoc*
miſero hoc noſtro repetitum ad majorem vino, doloremque ſignificandum. Miſero vero, quia amabat
Lesbiam, a qua ſpernebatur, en Plautus *ut miſer eſt homo, qui amat*, itaque explicandus eſt & Terentius
Scimus, quam miſere hanc amavit contra Vulpium, cui, cum amorem *miſerum* explicet difficilem, difficile
3 le creditur. Leges autem, ut habet liber noſter ſcriptus, & cæteri fere omnes Achille teſte, *quod te*
cognoſcem bene, conſtantemve putarem, — *Aut poſſe &c.* ut ſenſus ſit *ſperabam te mihi fidum*, *non quia te*
conſtantem (in bonam acceptum, non in malam partem, ut credit Vulpius) *amicum eſſe putarem, vel*
poſſe mentem inhibere a turpi probro, *ſed quod nec matrem &c.* liber tamen Scaligeri *qui te cognoſcem*, *qui*
4 pro *quia*, ſed verior lectio *quod*, ita infra *ſed quod nec matrem*. *Mentem* porro *inhibere* ſumptum eſt a
re nautica h. e. retrahere, Cicero, *Ut concitato navigio cum remiges inhibuerunt &c.* T. Livi: *Neque retro*
navem inhiberent. Tandem *probro* ſcilicet adulterio, & ſtupro, Cic: *Cujus ae probris, adulteriis, ſtu-*
pris extant litera.
5 *Sed quod nec matrem* ita in noſtro, & Guarini libro ſcripto, & fortaſſe aliorum recte, enſtatim *nec ger-*
manam; ſenſus autem eſt, *quia Lesbia non erat mater*, *neque ſoror tibi*, *ideo ſperabam te mihi fidum*. So-
lebat enim Gellius exercere matrem, ſororemque ibi, *Quid facit is Gelli, qui cum matre, atque ſoro-*
6 *re prurit?* Dein *edebat*, quia amor edit amantes, qui ſæpiſſime macri ſunt, poeta *ignes interiorem edunt*
medullam; Virg: *Amor crudeli tabe peredit*, e quo verſu Catulli colligitur, hanc, cujus amor edebat poe-
tam, eſſe Lesbiam, de qua alio loco *ſimul te, Lesbia, aſpexi tenuis ſub artus flamma dimanat*. Nullam
enim aliam vehementius amavit poeta, quam Lesbiam.
7 *Et quamvis &c.* Altera ratio ſumpta ex longa Gellii amicitia; *τὸ uſu* tamen in obſcenum ſenſum accipi
poteſt, quaſi Gellius ſe pædicandum, & irrumandum Catullo ſæpius dediderit. Colligo enim hoc ex
9 eo *quanvis*, & *ſatis*, & præcipue ex vitio ipſius Gellii impudiciſſimo. Leges autem ex fide libri noſtri
ſcripti *id duxti* ſine litura, quod docti jam antea retinuerunt, quanquam in aliis membranis *induxti* om-
nino vitioſum; *Duxti* vero pro *duxiſti*, de quo mone lexicographos. *Tantum tibi gaudium*, ex quo
colligo, factum narratum paſſim a Gellio, in quo facto ſcelus erat, quia rupit jus ſacrum amicitiæ, poe-
ta *ſancta fadus amicitia*.
11 *Sed nunc id doleo &c.* Hæc ſedes, hic locus eſt tetraſtici, quod in MSS ſedem certam non habebat; dii
boni, ut ſenſus optime currit! Queritur enim poeta, non ſolum quia Gellius Lesbiam ſubagitavit, ſed
& quia ejus ſpurca ſaliva conſpurcavit pura puellæ ſuavia. Gellius enim fellator erat, ut vidimus ſupe-
rius. Leges autem *pura puella* ex Codice Scaligeri, noſtro, cæterorumque, non *impura* fictitium, &
12 ineptum. Leges & *comminxit* cum Scaligero, ita infra *tanquam comminctæ ſpurca ſaliva lupa*, ut fidem
facit Achilles ex nonnullis MSS, in aliis tamen *conjunxit*, *& conjuncta*, & *commixta* vitioſa, & inſul-
ſa. Gellii enim labra notata erant fere ſemper ſero irrumatoris, ut vidimus ibi *Quid dicam Gel-*
li quare roſea iſta labella &c. igitur ſuaviando puellam quodammodo commingebat. Commingere enim,
& mingere eſt in obſcenis, de quibus mone lexicographos, poeta *minxerit in gremium*, Virg: *lectum min-*
xit nata, vetitoſque hymenaos,

Non

13 *Non impune feres*, ex quo arguo, hoc epigramma eſſe primum ordine, unde ſcripta porro illa *Quid di-*
cam Gellii &c. Gellius eſt tenuis &c. Quid facit is Gelli. & alia hujuſmodi. Hic enim poeta odiſſe cœpit
Gellium amicum infidelem; *anus*, alio loco *Charta loquatur anus* Ovid; *An notus, qui ſis, om-*
nibus eſſe velis? poeta alibi *Quidvis? qualubet eſſe notus optas? eris*. Mart: *Fama loquatur opus*; quo lo-
co obiter noto, vocem *anus* natam a grecis *ἄνους amens*, quia vetulæ ſunt ſtolidiores, & ſine mente.

DE LESBIA, ET SE SE

1 Lesbia mi dicit ſemper male, nec tacet unquam
2 De me, Lesbia me, diſpeream, niſi amat.
3 Quo ſigno? quaſi non totidem mox deprecor illi
4 Adſidue, verum diſpeream, niſi amo.
5 Odi, & amo, quare id faciam, fortaſſe requiris,
6 Neſcio, ſed fieri ſentio, & excrutior.

NOTÆ CRITICÆ.

1 *Leſbia &c.* In hoc hexaſticho poeta odium, & amorem Lesbiæ in ſe, idumque in illam notum facit, ita
2 alio loco *Lesbia mi præſente viro, mala plurima dicit*. Leges autem, ut erat in omnibus MSS Achille, &
Scaligero teſte *Lesbia me, diſpeream, niſi amat*. Qui enim verborum ordinem mutarunt, ex ingenio
3 audaculi fecerunt. Leges etiam, ut fidem faciunt exemplaria vetera Gelliana, quæ vidit idem Achilles,
Scaligerque *quo ſigno? quaſi non totidem &c.* In MSS tamen *eadem totidem* vel *cui ego quaſi*, vel *quia ſunt*
totidem mea vitioſa omnia, & inſulſa; *quaſi* autem h. e. quaſi vero; *mox* pro *ſtatim*, quod ſpectat tempus
futurum, præſens, præteritumque, de quo mone lexicographos. *Deprecor* illi porro, eſt a ſe, ſuoque
capite in aliquem precari, de quo mone lexicographos. Ita enim explicat Gellius, quem ſecuti ſunt
doctiores Scaliger, cæterique ducti & ab ipſo ſenſu, & ratione, contra quæ fruſtra, & invenuſte diſpu-
4 tat Muretus merito reprenſus a corona eruditorum. Cic: *mala multa cum dixiſſet ſuo capiti, ut ajunt*.
Diſpeream tandem jurantis vox, Plaut: *Diſpeream, ſi totus &c.* Virg: *Diſpeream, niſi me perdidit ille*
potus.
5 *Odi, & amo &c.* Diſtichon hoc, quod ſedem certam neque in MSS, neq. in excuſſis habebat, in noſtro
ſcripto peroptimo libro hic legebatur, & quidem recte; agitur enim de amantium amore, & odio,
Requiris ſermo eſt ad quempiam meque, teque, ut ſupra *quo ſigno*? Hæc poſtremo imitatus eſt Martia-
lis *Non amo te, Sabidi, nec poſſum dicere quare — Hoc tantum poſſum dicere, non amo te*; quam rem ex-
plicat Ovid: *Nequitiam fugio, fugientem forma reducit, — Averſor morum crimina, corpus amo*, alibi, *hac*
amor, hac odium, ſed puto vincet amor; *Amor* autem ortum a græco *ἅμα, ſimul*, quia amantes ſunt
duo corpora in unum.

IN CÆSAREM

1 Nil nimium ſtudeo, Cæſar, tibi velle placere,
2 Nec ſcire, utrum ſis albus, an ater homo.
3 Mentula mœchatur? mœchatur mentula certe;
4 Hoc eſt, quod dicunt, ipſa olera olla legit.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Nil nimium &c.* In hoc tetraſticho poeta amicitiam Cæſaris pili facit. Cæſar autem, ut ait Voſſius,
hic & nunc nondum rerum potitus erat, ſed tamen erat unicus imperator, victo Pompejo, ejuſque
2 exercitu: *Albus* vero *an ater* proverbium dictum non in bonos, & malos homines, ſed ad con-
temptum, cum aliquem ita parui facimus, ut ne de facie quidem noſce ſtudeamus, Cic. *Albus*
an ater fueris, ignorans, quod explicat Plautus *Quem hominem nullius coloris novi*. Lectio porro
Voſſii *neſcio* fictitia eſt. Nam in noſtro lib. ſcripto liquide erat *nec ſcire*, in aliis omnibus eodem
Voſſio teſte *nec ſi ore*, unde optimum *nec ſcire*.
3 *Mentula &c.* Hic verſus, & qui ſequitur, cum ſuperiori diſticho conjunguntur, & quidem recte.
Nam quoties poeta Cæſarem inſectatus eſt, etiam Mamurram immiſcuit; deinde quæro, cur non vult
Cæſari placere? niſi ob ejus libidines, quas notat, cum ait *mentula mœchatur &c.* tum ſenſus primo di-
ſticho contentus non eſt, alia deſiderat, quod viderunt quidam docti jure, meritoque, quare doctius
fecit Parthenius laudatus a Scaligero, ſpretus a Vulpio, & aliis, qui hoſce quatuor verſus conjunxit. *Men-*
tula igitur *mœchatur* cum dicit, reſpondet Cæſari ſe ſe excuſanti, libidineſque in Mentulam h. e. Ma-
murram reicienti, poeta alibi de Mamurra ad Cæſarem *Ut iſta voſtra diffututa mentula*. Itaque fatetur,
4 Mamurram mœchari, non tamen Cæſarem a culpa liberat, immo ſalſius exagitat illis verbis *ipſa olera*
olla legit, ut erat fere in omn. MSS, non *olere olla facit*, ut legit vitioſe Voſſius. Feſtus enim in verbo
legere ait, *Legimus aut ſcriptum, aut olera*; quo loco oleum perdunt omnes docti, contra quos ajo,
proverbium dici in adulteros, qui culpam in alium transferunt. Nam ut qui furatus eſt olera, ait *ipſa*
olera olla legit, non ego, culpam coniciens in ollam, quaſi ipſa furata fuerit olera, ita Cæſar, cum

ait,

ait *mentula mæchatur*, adulteria transfert in Mamurram quaſi ipſum adulterum, hinc diſtichon in luſibus priap. de furto olerum *Fur abeas, pænam licet indignere, feramque – Propter olus dices, hoc quoque propter olus*. Fur enim negabat, ſe eſſe in culpa, & furatum fuiſſe feram; *Legit* tandem h. e. furatur, de quo mone lexicographos, ita & apud Horatium, & Auct. obſc. hinc *ſacrilegium* furtum de rebus ſacris, quare procerbium *ipſa olera ola legit* hic peropportunum eſt. Agitur enim de Cæſaris adulteriis, quæ furta vocantur, poeta *Noſcens omnivoli plurima furta Jovis*; Prop: *Jupiter ignoro priſtina furta tua*; Tib. *Veneris per dulcia furta*.

DE CINNA, ET VOLUSIO

Zmyrna mei Cinnæ nonam poſt denique meſſem,
 Quam cœpta eſt, nonamque edita poſt hiemem,
Millia quum interea quingenta Hortenſius uno

Zmyrna cavas Atracis penitus mittetur ad undas,
 Zmyrnam cana diu ſæcula pervolvent.
At Voluſi annales Gadium portentur ad ipſam,
 Et laxas ſcombris ſæpe dabunt tunicas,
Parva mei mihi ſunt cordi monumenta laboris,
 At populus tumido gaudeat Antimacho.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Zmyrna &c.* In hoc decaſticho poeta opus Zmyrnam Cinnæ laudat, & Voluſium Hortenſium irridet. Critici autem omnes, quos Vulpius ſecutus eſt, ut eorum mos eſt, lectionem, ſenſum corrupere. Primo igitur lego *Zmyrna* cum Z non *Smyrna* ut recte docuit ex vet. mon. Voſſius, quos ſecutus eſt, & Vulpius, ita ſcribitur ζμικρὸν ζμινύω & alia hujuſmodi, quæ citat vir doctus, unde *Zmyrna*, non *Smyrna*, Zmyrna autem, vel Myrrha latine filia regis Cinyræ, cujus amore capta cum illo neſciente nutricis opera noctu concubuit, quo flagitio cognito, cum eam pater occidere vellet; in Arabiam puella profugit, ubi in arborem ſui nominis converſa eſt, de hac Myrrha Cinna poeta opus elegans compoſuit, in quod elaborandum novem annos imſumpſit, quodque commentatus eſt Craſſitius grammaticus cognomine Paſicles mox Panſa tranſnominatus, de quo extat tetraſtichon,

Uni Craſſitio ſe nubere Zmyrna probavit,
Deſinite indocti conjugio hanc petere,
Soli Craſſitio ſe dixit nubere velle,
Intima cui ſoli vota ſua extiterint.

Neque audias Parthenium putantem, hanc eſſe Zmyrnam Amazonem, in quem reclamat verſus ejuſdem Helvii Cinnæ citatus a Priſciano *At ſcalus inceſto Cinera creſcebat in alvo*. Cinna vero eſt Cajus Cornelius Helvius Cinna poeta; de quo Virg. *Nam neque adhuc Vario videar nec dicere Cinna digna*, Mart. *Judice te major Cinna Marone fuit*, quare peccant docti, quos ſecutus eſt Vulpius, putantes, puto, *ex* Euſebio, Cinnam poetam eſſe prænomine Quintum, en Catullus, qui in hoc plus auctoritatis habet, quam ſexcenti cronologi, *Meus ſodalis Cinna eſt Cajus is &c.* Loquitur enim ſine dubitatione de Helvio Cinna, quem vocat ſodalem, quocum in Bithyniam profectus eſt Memmium Præt. ſecutus, en ipſe Cinna amico.

Hac tibi Arateis multum vigilata lucernis
Carmina, quis ignes novimus aerios.
Lævis in aridulo malvæ deſcripta libello
Pruſiaca vexi munera navicula.

Meſſis vero, & hiems de annis, & ætate dicuntur, de quo mone lexicographos, poeta *Quam veniens una, atque altera rurſus hiems*; nota, poſt hoc diſtichon in noſtro nihil ſpatii intereſſe, ut ne ſyllaba quidem, ſi ſubaudias, *eſt*, deſideretur, nempe *edita eſt*, quod omiſit, ne repeteret adnauſeam, cum dicat *cœpta eſt*.

3 *Millia &c.* Comparat Cinnam cum Hortenſio Voluſio, ut intelligamus, carmina bona eſſe non poſſe, in quibus parum, vel nihil olei conſumitur, Horatius in arte *Nonumq. prematur in annum*; alibi *Carmen reprendite, quod non multa dies, & multa litura coercuit*; e contra alio loco *Sæpe ducentos Ut magnum, verſus dictabat*. Hortenſius autem non magnus orator, ut credit melior pars eruditorum, quos Vulpius ſecutus eſt, ſed Voluſius Hortenſius, quem irridet & alio loco *Annales Voluſi cacata charta*; primo quia Hortenſius orator hic, & nunc erat ſenex, in quem injuſta, & inepta erat irriſio, præſertim cum tantam in eloquentia laudem adeptus fuerit, cujuſq. nepos Hortalus tam carus Catullo ibi *Etſi me adſiduo confectum cura Hortale &c.* deinde annales Voluſii poeſim fuiſſe, fatentur omnes docti, præcipue Scaliger, ut, *millia quingenta* feciſſe, cum dicit, ad annales alludat neceſſe ſit; porro, nonne inſtituitur comparatio fere ſemper inter duos? ita poeta ſuperius de Quintia, & Lesbia, iterum de Lesbia, & amica Formiani, ſi igitur de Voluſio, & Hortenſio, & de Cinna loquamur, inepte facimus; quam ob rem tenendum, Hortenſium, & Voluſium unum, & eundem eſſe, de quo Ovid: *Nec minus Hortenſii ſunt improba Carmina*. Neque putes Voluſium fuiſſe Patavinum, ut arbitrati ſunt nonnulli ex

adul-

adulterina lectione, quæ erat in vulgatis *Patavi morientur ad urbem*, ſed Romanum. Nam Romæ erant
multæ familiæ Voluſiorum, de quibus loquitur T. Liv. *Dictator factus Voluſii filius*, & C. Tac. L. *Voluſius*,
& *Salluſtius Criſpus vita conceſſere*: Leges vero *millia* ita fere in om. vet. ſcrip., non *vilia* cum Parthe-
nio, cujus quoque verſus pentamenter *In pede ſtans fixo carmina ructat hians* abradendus; quia ſpurius,
& Catullo indignus, ita & alter neſcio cujus inſulſioris *accipit autumno verſuum ab Antimacho*; ego quid
dicam, non habeo. Nam in noſtro libro ne veſtigium quidem.
5 *Zmyrna &c.* Iterum comparat Cinnam cum Hortenſio Voluſio, ut clarius Cinnæ opus eluceat. Leges
autem *Atracis*, ut erat in quibuſdam MSS, ita & in noſtro; Atrax autem fluvius Ætoliæ in Græcia,
Cic. *Si tibi placuerit liber, curabis, ut Athenis ſit, & in cæteris oppidis Græciæ*. Neque admitto lectio-
nem *baratri* commentum Voſſii non nihil inſulſum (licet baratrum erat Athenis.) Nam reclamat
ejus ſcriptura, in qua *barrathi*, deinde *vi undas*, quæ in barathro nullæ ſunt. Eſt enim barathrum
locus cænoſus, & paludoſus, quod ineptia eſt pro Tartaro uſurpare. Lego etiam *Zmyrna*, non *illa*.
Nam in MSS *mittetur*, non *mittentur*, ut ad Zmyrnam, non ad carmina referatur, preſertim cum
6 in uno quoque diſticho vel de Zmyrna tantum, vel de Voluſio ſermo ſit. Vitioſa autem eſt lectio *in
cana diu*. Nam in noſtro, & aliis Achille teſte *Zmyrnam cana diu ſæcula pervolvent*, unde alii Co-
dices *Zmyrna incana* vitio librarii *in* pro *m*, ut ſit *Zmyrnam cana*, ita Mart. *Nec pateris, Cæſar, ſæcu-
la cana mori*; Prop. *canis ætas mea candeat annis*. *Cana* enim importat tempus longum vetus, fu-
turum, *incana* breve tempus, ut ineptum eſſe videatur, poeta, *fama loquetur anus*: alibi *hæc charta
loquetur anus*.
7 *At Voluſi &c.* Rurſum de Voluſio Hortenſio, quem acrius irridet. Altera autem verſus pars in MSS qui-
buſdam vitioſa *Paduam morientur ad ipſam*, nam *Paduam* barbarum eſt, quod fatentur omnes docti,
in excuſſis autem *Patavi morientur ad urbem* digniſſima ſcombris, quia nullo in MSS, in optimis tamen
exemplaribus præcipue Scaligeri *Paduam portentur ad ipſam*, unde vir doctus *apuam porcentur* fruſtra, quia
mutat ſcripturam, Paſſeratius *Capuam*, ubi odores vendebantur, Voſſius *Aduam*, alii alia, quos ſecu-
tus eſt Vulpius, contra quæ ſomnia amplector lectionem auream Codicis noſtri *Gaduam portentur ad
ipſam*, ex *Gaduam* tamen facio *Gadium*, *u* & *a* invicem in MSS, ut omnes norunt. Gades enim in-
ſula parva Hiſpaniæ in mari Oceano, ubi ſcombrorum maxima copia, hinc non longe eſt inſula Hercu-
lis *Scombraria* dicta, de qua Strabo loco ſuo. Nihil igitur rectius eſt lectione noſtra, qua poeta carmi-
na Voluſii quaſi ex comunione hominum exterminat, quæque vires aſſumit etiam ex verbo *portentur*,
quod de itinere maris dicitur, Virg. *Portantur avari Pygmalionis opes pelago*, unde natum *portorium*, &
portitor, naulum, & nauta. Roma enim ad inſulam Gadium quaſi in ultimas terras carmina portari
jubet. Sequentem porro verſiculum Martialis imitatus eſt *Nec ſcombris tunicas dabis moleſtas*, quo reſ-
pexit & Perſius *Linquere nec ſcombris metuentia carmina, nec thus*.
9 *Parva &c.* Loquitur de ſe, rebuſq. ſuis, ut opus breve Cinnæ magis laudet. Fallitur enim maxime Scali-
ger, qui putat, opus Cinnæ a Catullo rideri tanquam altius repetitum, quam poetam decet. Hoc enim
& falſum eſt, & inimicum Catullo, qui hoc epigramma in laudem Cinnæ conſcripſit. Leges autem *la-
boris* ita in noſtro libro, & Scaligeri, non *ſodalis* fictitium, unde collige, poetam noſtrum non de incan-
tamentis ſcripſiſſe, non de Priapo, non *Pervigilium Veneris* carmen, non alia, quæ inepte ab eruditis
tribuebantur. Paucis enim contentus fuit *Parva mei monumenta laboris*. Porro *at populus* cum dicit, Vo-
luſium deprimit, probatq. copiam laude dignam eſſe non poſſe, quæ tamen ab imperita multitudine
laudatur. Antimachus enim ab interitu Meleagri, ad reditum Diomedis viginti quatuor libros compo-
ſuit, quos convocatis auditoribus ex plebe magna cum laude recitavit, Perſ. *Ad populum phaleras*, Hor.
ſatis eſt equitem mihi plaudere. Mart. *me doctis juvat auribus placere*. *Tumido* tandem, quia, ajunt, vo-
ce, & plauſu populi excipiebatur, & Homero comparabatur, ego vero tumidum fuiſſe dixerim ob
turgidum ingenium poetæ, quam interpretationem mihi ſuggerit Horatius de eodem Antimacho loquens
Nec ſic incipies, ut ſcriptor cyclicus olim. Fortunam Priami cantabo, at nobile bellum &c. Populus enim tu-
mido dicentis ſtylo delectatur, hinc & Virg. *Pingui nil mihi cum populo*.

AD CALUVM

Si quicquam mutis gratum, acceptumve ſepulcris
  Accidere a noſtro, Calve, dolore poteſt.
Quo deſiderio veteres renovamus amores,
  Atque olim amiſſas flemus amicitias?
Certe non tanto mors inmatura dolori eſt
  Quintiliæ, quantum gaudet amore tuo.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Si &c.* In hoc hexaſticho conſolatur Calvum Licinium obitu Quintiliæ mæſtiſſimum. Calvus autem Li-
cinius orator, & poeta bonus, de quo Catullus alio loco *Ni te amarem Jucundiſſime Calve*: Cic. *Sed ad
Calvum revertamur, qui orator fuiſſet eruditior, quam Curio &c.* Dubitat autem in primo diſticho poe-
ta de mortuorum ſenſu in his, quæ fiunt apud nos, de quo diſputat & Ariſtoteles loco ſuo. Muta vero
vocat ſepulcra, quia mortui nunquam reſpondent, hinc illud *loqui mortuis*, poeta alibi *mutum allo-
querer cinerem*; Tib. *Cum muto fata querar cinere*. *Sepulcrum* porro quaſi *ſeorſum a pulcro* ut ajunt Juri-
ſperiti, ortum tamen a *ſepelio*, quod a *ſepono*; oſſa enim, & cinis componebantur in urnis, hinc Ser-
vius allatus & a Vulpio *Funus ardens cadaver, dum portatur exſequiæ, crematum reliquiæ, conditum*

ſepulcrum, quare V. Flac. *conditus tumulo*; Quæ enim non componuntur, neque ſepulta vere eſſe dicuntur, ex quo ſepelire differt ab humare.

3 *Quo deſiderio* ita in noſtro libro ſcripto, & Scaligeri, non *quum* vel vitioſum, vel fictitium. Deſiderium autem verbum ad mortuos ſpectat, Liv. *cum plures* (mortui) *deſiderarentur*. Leges & *amiſſas*, ita liquide in noſtro, & aliis Achille, & Voſſio teſte. *Mors* porro *inmatura*, quia ante tempus, Hor. *ut ſi filius inmaturus obiiſſet*. Quintilia vero puella Calui, cujus obitum mæſtiſſime carminibus ſuis ipſe celebravit, ut teſtatur Prop. *Hæc etiam docti confeſſa eſt pagina Calvi Cum caneret miſera funera Quintiliæ*. Tandem *gaudet*, quia Calvus nullam aliam poſt mortem Quintiliæ amavit puellam.

IN ÆMILIUM

Non, ita me dii ament, quidquam referre putavi,
Utrum os, an culum obſacerem Æmilio.
Nil immundius hoc, nihiloque inmudius illud
Verum etiam culus mundior, & melior.
Nam ſine dentibus eſt, hic dentis ſeſquipedales,
Gingiuas vero ploxemi habet veteris.
Præterea rictum, qualem defeſſus in æſtum
Mejentis malæ cunnus habere ſolet.
Hic futuit multas, & ſe facit eſſe venuſtum,
Et non piſtrino traditur, atque aſino?
Quem ſi qua adtingit, non illam poſſe putemus
Ægroti culum lingere carnificis?

NOTÆ CRITICÆ

1 *Non &c.* In hoc dodecaſticho poeta os deforme Æmilii lepide mordet. Æmilius autem cinædus, qui pædicabatur, irrumabaturque, ut patet ex hocce poematio: Referre vero dicitur pro intereſſe, de quo mone lexicographos, ita &c. Leges etiam *utrum os* ita in noſtro ſcripto, & in omnibus Achille teſte, ut *ipſe*, quod legit Avantius, inane ſit, & ſpurium; *m* enim ſequenti vocali & alias Catullus corripuit ita I. uieb. *militum octo*; Lucr. *Corporum in plumbo eſt*; Martialis vero ad rem *Baſia das aliis, aliis das Poſthume dextram, Dicis utrum maris, elige, malo manum.*

3 *Nil immundius &c.* Vitioſa eſt lectio MSS. Achillis *mundius nihil eſt*; nam ineptum eſſet *nil mundior* culus, quo nihil eſſet *mundius*. Leges & *nihiloque immundius illud* ex fide noſtri libri ſcripti, & Scaligeri in aliis *nobiſque* vel *nihil eſt* vitioſa. Immundum autem utrumque libidine pediconum, & irrumatorum.

5 *Nam ſine &c.* Culus erat ſine dente, unde tacite colligo, Æmilium fuiſſe cinædum contra Muretum, os autem cum dentibus maximis. Leges non *hoc* quod puto adulterinum, ſed *hac dentis* liquide in libro noſtro, & in aliis Achille teſte dentis ἀρχαϊκῶς pro dentes; *hic* enim pro *hoc* apud veteres, de quo mone lexicographos, Plaut: *hicce confinxerunt uolum*. *Ploxemi* verbum tranſpadanum pro capſa, de quo Quintil. *Sicut Catullus Ploxemum circa Padum invenit*) ut fruſtra ſudet Voſſius in lectione commentitia *ploxeni*; leges, & *defeſſus* liquide in omnibus MSS Achille, Scaligero, & Voſſio teſte, non *deffiſſus* commentum ejuſdem Voſſii. Nam muli defeſſi mejere ſolent; ita *in æſtum* in omnibus MSS ἀρχαῖον familiare Ciceroni, & Terentio ibi *Ubi vidit me eſſe in tantum honorem*.

9 *Venuſtum* etiam ex hoc verbo colligo, Æmilium fuiſſe cinædum. Venuſtus enim non eſt is, qui dicitur *vom di garbo*, ut credit Vulpius, ſed bellus, & pulcher; verbum enim ſpectat ad formam feminarum, inde ad cinædos, qui muliebrem formam ſectantur, en Cic. *Venuſtatem muliebrem ducere debemus, dignitatem virilem*. *Facit* autem h. e. putat, de quo mone lexicographos. Leges, *& non piſtrino traditur, atque aſino* ita in om. MSS, non *aſinus* vitioſum, & ſpurium, in quo non eſt mirum loquendi genus, ut putat Scaliger, ſed planum. Nam *tradi piſtrino, atque aſino* eſt tradi in piſtrinum ad molendum una cum aſino, quaſi in cuſtodiam aſini. In Piſtrinum enim jumenta, ſervi, ancillæque, homineſque nequam, & robuſti trudebantur, Ter. *hominem piſtrino dignum*; erant & aliæ pœnæ. Nam in agros mittebantur, de quo Hor., & ad lapides cædendos, & aquam auriendam, de quo Plautus, & in ergaſtulum, de quo Apulejus, ubi ſudabant ferris vincti, literis in fronte inſcripti, & ſemiraſi; Adrianus tamen Imperator ergaſtula ſuſtulit, ut conſtat ex Spartiano; erant & cuniculi, & equuleus, in quo rei ſupini extendebantur, ita alia apud veteres Scriptores.

11 *Quem ſi qua &c.* Puella, ait, quæ baſiat, amatque Æmilium hominem ſpurcum, atque deformum, digna
12 eſt lingere culum carnificis ægroti. *Carnifex* autem ajunt ethuſmologi dictum, quia ex hominibus carnes facit, at dixerim, ut ſit quaſi *fex carnis* humanæ. Nihil enim vilius carnifice, hinc fex pro homine vili, & abjecto, Cic. *omnem illam facem Civitatum quid opus eſt conictare?* Tandem *ægroti*, quia, cum ægrotamus, morbo putidiores, & abjectiores ſumus, in quo tamen verbo fortaſſe latet res obſcena, ut Carnifex culo laboret, unde ſæpe ſtiria, ita de Vectio ſuperius, *Vecti ſemilauta crura*. Non enim legas cum Achille *Agroti*, vel *Argoti* fictitia, vel *ægroti* nomen proprium facias. Nam quis tam infauſtum nomen habere velit?

IN

IN VECTIUM

In te ſi quicquam dici pote, putide Vecti,
  Id quod verboſis dicitur, & fatuis.
Iſta cum lingua, ſi uſus veniat tibi, poſſis
  Culos, & crepidas lingere carbatinas.
Si nos omnino vis omnis perdere, Vecti,
  Hiſcas, omnino, quod cupis, efficies.

NOTÆ CRITICÆ

1 *In te &c.* In hoc hexaſticho poeta linguam falſidicam Vectii, loquacitatemque perſtringit. Vectius autem ille falſus teſtis Vatinianus eques Romanus, quem ſcribes cum *c*, ut fidem faciunt omnes libri ſcripti Achille teſte. Neque obſtat marmor allatum ab eodem Achille in hortis Redulfi Pii Card. Carp., ubi A BAFBIUS. AF. OUF. VETTIA A. F. UXOR. Nam ut diximus ſupra, viros fere ſemper ſcribebant cum *c*, feminas expuncto *c*, ita dicebant *Quinctium* ex fide veterum monumentorum Achille teſte, non autem *Quinctia*, en vetus inſcriptio Romæ ad S. Marci ab eodem Achille allata C. FUL. QUINTIA. C. FULVINA. Et altera item Romæ apud Rufinum Epiſcopum L. ARRIUS. RUFINUS, ita in marmore ad Capitolini montis radices L. ARRIUS. HELVIUS. at in templo Ludovici Gallorum Regis ſacrato *Aria* cum ſimplici liquida ARRIUS SEVERUS. ARIA. FELICISSIMA. &c. ut etiam pronunciatione feminarum imbecilitas a maribus diſtingueretur. Leges etiam, ut habent MSS Scaligero teſte, *ſi quicquam* non *quemquam*, quod vitioſum, & ſpurium puto. Vocat vero putidum, ut alio loco ad Cæſarem *Vecti ſemilauta crura*, quia ejuſdem Cæſaris cinædus podice laborabat ob turpe vitium, cujus nolo dicere nomen.

3 *Iſta cum lingua &c.* Hæc ſunt, quæ in verboſos dicitur, & fatuos. *iſta* autem contemptim dictum, poeta alibi *iſte meus ſtupor nihil videt*. *Cum* vero in indignatiuncula, & contemptu reponitur eleganter, de quo mone lexicographos, Ter. *Abi cum donis tuis tam lepidis*; alio loco *Te cum tua monſtratione Juppiter perdat*, rurſum *ut te dii cum iſtoc inuento perdant*. Tandem *lingua* cum dicit, alludit ad ejus fellandi vitium ex citato loco *Vetti ſemilauta crura*, hinc ait *ſi uſus veniat tibi.* Solebat enim Vectius hæc obſcena ſectari. Leges porro ſine dubitatione lectionem omnium MSS Achille, Scaligero, Voſſio, & Politiano teſtibus *crepidas lingere carbatinas*, non *coprotinas*, vel *carpatinas*, vel *trepidas cercopilas* fictitia omnia ex ingenio Marulli, cæterorumque. Eruditiores tamen ſuperius citati teſtes, quos ſecutus eſt Vulpius, meo judicio quidem puſillo nihil explicant, cum dicunt Carbatinam calceamentum ſordidum ruſticum, Crepidam autem Thuſcum fuiſſe. Nam in verbis, & in ſenſu ineptia eſſe videtur. Quomodo enim duo ſubſtantiva ſtare poſſunt eleganter in oratione, quæ differunt inter ſe? Catullus igitur aliter ratiocinatur, cum ait *crepidas carbatinas*. Puto enim, ſub honeſtis verbis obſcena latere. Nam *crepidas* facio a *κρηΐς caro*, & *πίδαξ fons*, hinc *πιδακόεις aquis ſcatens*, ut ſit mulieris ſaltus; *carbatinas* vero a *κάρη caput*, & *βατεῖν coire*, quod de brutorum marium Venereo congreſſu dicitur, ut ſit mentula agens ipſa, itaque accedes ad obſcenum ſenſum verbi *Culos*, quapropter critici toties veram lectionem Catulli mutarunt.

6 *Hiſcas &c.* ita optime legitur in MSS libris, quos vidit Voſſius, ita in noſtro liquide, & in Codice Pat. *diſcas*, ita etiam fortaſſe & in aliis, unde ducti invenuſte præſertim Avantius, quem Scaliger vocat merito ſigniferum corruptorum, fecerunt *dicas* adulterinum. Hiſcere enim eſt os aperire; garrulus enim erat adeo ineptus, ut, non ſolum cum loqueretur, ſed cum hiſcere vellet, miſellos homines enecaret. Garruli enim occidunt, præcipue cum inepti ſunt, Hor. *Nunc ego reſto, confice*; alibi *Garrulus hunc conſumet*; Tib. *peperit garrula lingua malum*; Mart. *Auctoris pereunt garrulitate ſui*.

AD JUVENTIUM

Surripui tibi dum ludis, mellite Juventi,
  Suaviolum dulci dulcius ambroſia.
Verum id non impune tuli; namque amplius horam
  Suffixum in ſumma me memini eſſe cruce.
Dum tibi me purgo, nec poſſum flectibus ullis
  Tantillum voſtræ demere ſævitiæ.
Nam ſimul id factum eſt, multis diluta labella
  Guttis abſterſti omnibus articulis.
Ne quidquam noſtro contractum ex ore maneret

10 Tanquam conminctæ ſpurca ſaliva lupæ.
11 Præterea infeſto miſerum me tradere amori
12 Non ceſſaſti, omnique excrutiare modo.
13 Ut mi ex ambroſio mutatum jam foret illud
14 Suaviolum triſti triſtius helleboro.
15 Quam quoniam pœnam miſero proponis amori,
16 Non umquam poſthac baſia ſurripiam.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Surripui &c.* In hoc epigrammate poeta veniam petit a Juventio, cui nolenti baſium ſurripuerat. Juventius autem ille cinædus, qui amabatur a Furio ibi, *O qui floſculus es Juventiorum &c.* quemque hic
4 vocat mellitum, ut alio loco *Mellitos oculos tuos Juventi &c.* Suffigi vero in cruce ἰδίως eſt & Horatiana *ſi ligurierit jus in cruce ſuffigat*; quam Catullianam λέξ ακορήν imitati ſunt etiam itali, Petr. *A-*
6 *mor, che m'ha legato, e tienmi in croce.* Porro *veſtra* dictum de uno, de quo mone lexicographos, poeta alibi *Attamen in veſtras potuiſti ducere ſedes*; Ovid. *Veſtri Germanice cauſa triumphi -- Tradiderat domitas jam tibi Rhenus aquas*, ita Virgilius, & alii optimi.
8 *Abſterſti* ita diſertim in noſtro, de quo mone lexicographos; & in aliis omnibus libris, quos vidit Voſſius, in cæteris tamen *abſterſi* Achille teſte vitioſum, ut *abſterſiſti*, quod legebatur, tanquam inane, & ſpurium abſtergendum eſſe videatur. Catullus enim, ut ſcitis ϭυγκοπὴν ſæpiſſime omittit. Nota autem contra Vulpium τὸ *guttis*, quæ non ſunt amatoris, ſed Juventii. Nam nonne Catullus furtim ſuaviolum ſurripuerat? vix igitur tetigit labella, quæ tamen Juventius multis guttis *ſubaudi* ſalivæ di-
10 luit omnibus articulis h. e. digitis, Mart: *Adamantas Inſpidos uno verſat in articulo*. Leges vero optime *comminctæ*; ita enim erat in codice noſtro, & etiam in aliis Achille teſte, in mediol. tamen *comictæ*, in altero *comitte* vitioſum utrumque. Nam in quibuſdam membranis erat vitioſius *conjunnctæ* ſervans ultimum veſtigium optimæ ſcripturæ *comminctæ*, unde natum & *commixtæ* fictitium, poeta ſuperius *Suavia comminxit ſpurca ſaliva tua*; commingi enim eſt in obſcenis pro irrumari, de quo & ſupra monui lexicographos. Leges etiam *lupæ* jubente omn. vet. ſcrip., non *gulæ* commentum Voſſii. Lupa autem eſt meretrix, Cic. *Scorta, exoletos, Lupas ſecum ducebat*, hinc dictum *lupanar*.
11 *Tradere amori infeſto* eſt objurgari; miſerum autem vocat ſe ſe, quia amabat, Plaut: *Ut miſer eſt homo, qui amat*. Leges tandem *omnique* ex MSS.
13 *Ex ambroſio* lectio omnium MSS Achille, & Voſſio teſtibus, commentum autem doctorum *ambroſia*. Vocat enim ſuavium ambroſium, ut Virg. *Ambroſiieque comæ &c. triſtius* vero h. e. amarius. Hellebo rum enim duplex album, & nigrum, amarumq. aſperumque. Tandem *proponere penam* φράσις elegan
16 eſt, Cic. *Quam improbis pœnam proponitis*, quem vidit etiam Vulpius, poeta vice verſa *Jucundum mi*
16 *hi proponis amorem*. Leges & *non unquam* recte cum Scaligero; nam in noſtro *nounquam*, in omnibu deeſt *jam*, quod jam audaculorum eſt.

DE CÆLIO, ET QUINCTIO

1 Cælius Aufilenum, & Quintius Aufilenam
2 Flos Veronenſium depereunt juvenum.
3 Hic fratrem, ille ſororem; hoc eſt, quod dicitur, illud,
4 Fraternum vere dulce ſodalitium.
5 Quoi faveam potius? Cœli, tibi; Nam tua nobis
6 Perfecta eſt igitur unica amicitia,
7 Cum veſana meas torreret flamma medullas;
8 Sis felix, Cœli, ſis in amore potens.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Cælius &c.* In hoc octaſticho poeta Cælii, & Quinctii Veronenſium felices amores deſcribit. Cælius enim amabat Aufilenu, Quinctius Aufilenam fratres, de quibus, ait Vulpius, inſcriptiones Veronæ repertæ apud Gruterum, ut ſupervacaneum ſit monumentum Allatum ab Achille de *Aufidem*, pro *Aufilena*. Cur autem faveat Cælio, ratio eſt, quia Cælius nunquam Lesbiam tentavit, Quinctius vero maxime, de quo queritur ibi *Quincti, ſi tibi vis oculos debere Catullum &c. Eripere ei noli quod carius illi eſt oculis*; erat & alia ratio, quia Catullus & ipſe Aufilenam amabat ibi *Aufilena, bona ſemper laudantur amicæ &c.*
6 *Perfecta &c.* Verſus in excuſſis ſpurius quia magiſtellorum *perſpecta*, vel *expectata*. Nam in MSS omnibus Achille, Voſſio, & Scaligero teſtibus *Perfecta eſt igitur*; nihil muto. Omnia enim perfecta, & Catulliana, quæ ſpreverunt, ut eſt eorum mos, Critici noſtri. Amicitia enim Cælii erat perfecta, &

nume-

numeris omnibus abſoluta, ut nihil deſiderari poſſit; *τὸ igitur* autem pro *tunc* ait Feſtus, hinc ſtatim *cum*, ut ſit *tum*, *cum*. Perfectus enim eſt quaſi ad totius operis complementum amor Cęlii in Catullum tum maximè, cum Lesbiam, quæ toties aufugerat a poetæ ſinu, unde miſellus torrebatur, nunquam tentare voluerit; Voſſius tamen ad obſcena confugit, ut ſenſus ſit *nam paſſus es te amari a me, prædicarique, cum veſana &c.* Perficere enim eſt in obſcenis de quo mone lexicographos, hinc *Perfica* dea obſcenatum rerum, quæ perficiuntur; ſed *tempus* terit vir doctus. De Cælio enim nihil tale habemus, imino certo ſcimus, amores Catulli in Lesbiam illi notos fuiſſe, quare ſuperius alio loco *Cœli, Lesbia noſtra -- In Quadriviis & angiportis -- Glubit magnanimos Remi nepotes.*

8 Leges tandem *potens* ita in MSS fere omnibus. Poſſe autem in amore, eſt amore frui puellularum, Ovid. *Mihi pulcra puella ſerviat, & tota dicar in urbe potens.* Poeta enim optatiſſima precatur Cælio referens parem gratiam, quam acceperat, ita Hor. *Vivas in amore, jocisque*; Tib. *sis felix, & candida fata tua*; Poeta alio loco *ſitis felices tu ſimul, & tua vita.*

AD TUMULUM FRATRIS

Multas per gentes, & multa per æquora vectus
 Advenio has miſeras, frater, ad inferias;
Ut te poſtremo donarem munere mortis,
 Et mutam nequicquam alloquerer cinerem.
Quandoquidem fortuna mihi te abſtulit ipſum,
 Heu, miſer, indigne frater adempte mihi!
Nunc tamen interea hæc (priſco de more parentum
 Tradita ſunt triſti munere ad inferias)
Accipe fraterno multum manantia fletu,
 Atque in perpetuum, frater, have, atque vale.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Multas &c.* In hoc decaſticho poeta fratrem mortuum alloquitur, ejuſque manibus inferias ſolvit. Hæc
autem ſcripſit Trojæ, ut colligo ex ipſis verbis *advenio*, deinde *alloquerer cinerem*, non Veronæ, ut
putat temere Parthenius. Frater enim Catulli in Trojano litore ſepultus fuit, ut videre eſt in elegia ad
Hortalum. Nam cum poeta reverſus eſt ex Bithynia fratrem ſanum, & incolumen reliquit, quod argud
ex eo, quia Sirmionem hilaris ſalutavit, & aquas, domumque ad ridendum, lætandumque invitavit,
quod non feciſſet, ſi ejus frater mortuus fuiſſet. Vix igitur nuncium de fratris obitu accepit, phaſello
2 fortaſſe ſuo iterum Trojam verſus navigavit, hinc merito ait *multas per gentes &c.* Leges vero *advenio*
lectionem omnium MSS; non *adveni* commentum Achillis, quod Vulpius ſecutus eſt. Neque obſtat
τὸ donarem, alloquerer &c. Nam hæc parvula in poetis non obſervantur. Leges, & *mutam*, ut erat in
noſtro libro ſcripto, & Maffei, & Patavino Achile teſte, & in aliis etiam, quos vidit Voſſius, ita alio
5 loco ſupra *Virtutum omnium acerba cinis.* Spuria quoque lectio eſt fere omnium excuſſorum *te te abſtulit*, vel cum Marcilio *ted* inane; Nam in MSS omnibus Achille, & Voſſio teſtibus *te abſtulit*, ubi ne
6 gligitur συναλοιφῃ more Catuliano. Neque vero attendenda eſt adulterina altera Voſſii lectio *hei miſero.*
Nam om. vet. ſcrip. eodem Voſſio & Achille teſte *heu miſer* rectum, ut ſit interjectio dolentis, & exclamantis, ut τάλας apud Tragicos græcos, ita alio loco de Atti *Ut apud, miſer, ferarum &c.* Porro *ademptus* aliquando abſolute ponitur pro *mortuus*, de quo mone lexicographos, Ovid: *lacrimas Celſo libamus adempto*; T. Liv. *ademptus Hector*, quia adimere, & auferre ſunt verba ad Orcum, & mortem ſpectantia, hinc poeta ſuperius *Tam bellum mihi paſſerem abſtuliſtis*; ita hoc loco *te abſtulit ipſum*; Ter: *Niſi mors, adimet nemo.*

7 *Nunc tamen &c.* Critici noſtri omnes, quos Vulpius ſecutus eſt, hic plane poetam noſtrum Catullum cum cariſſimo fratre ſepeliverunt, ne mentiri videatur ibi, *Tecum una tota eſt noſtra ſepulta domus.* Hæc enim cum lego, Catullum deſidero. Invaſit enim quædam teterrima peſtis graſſatorum, & corruptorum hominum, quæ paulatim rem totam Catullianam abſumit, en in excuſſis libris *priſco qua more parentum -- Tradita ſunt triſtes munera ad exequias* fere omnia adulterina, quæ Vulpius ſecutus eſt. Nam in noſtro libro, & fere in om. vet. ſcrip. Marcilio teſte diſtichon legebatur *Nunc tamen interea hæc priſco de more parentum -- Tradita ſunt triſti munere ad inferias*, ita Achilles in ſuis legit *triſti*, ex quo facit *triſtis* pro *triſtes* fruſtra, at in Cod. Mediol. Voſſius *hæc tu interea* vitioſa, quia reclamant cæteri libri ſcripti, in quibus *nunc tamen &c.* quæ retinenda ſunt ut optima; quod ſi in quibuſdam eſt *exſequias*, quod non credo, erit vitioſum, & ſcriptum a quodam erudituIo librariolo. Nam exſequiæ ſunt, cum portatur funus; Eſt enim ab *ex* h. e. poſt, & *ſequor*, hinc *convenire ad exſequias, & ducere exſequias, ire ad exſequias* apud Cic: Ter: & alios, hinc formula vetus, *Ex ſequias ire, jam tempus eſt ollus effertur* h. e. funus portatur, de quo mone ethymologos, quare exſequiæ (ſcriptum ſemper cum *s*) dicuntur, cum parentes, amicique, & mercede conducti mortuam, qui portatur, ſequuntur, igitur quaſi ineptum eſt *τὸ exſequias* hoc loco, præſertim cum ſupra dixerit poeta *inferias* ab inferendo pretioſa quæque in tumulum. MSS, en Virg. *Inferimus tepido ſpumantia cymbia lacte -- Sanguinis & Sacri pateras*, quod erat quoddam ſacrificium ad deos inferos; Appellat autem munus triſte, quia redditum a matre, vel fratre, vel ſorore triſti, munus vero, non quia debetur mortuis, ut putat Vulpius; nam quæ debentur, juſta vocantur, non munera, quæ gratis, & ſponte dantur a carioribus flores, lac, vina, oleum, mel, & ſan-

guis

guis facet, Ovid. *In Cineres ultima dona dedit*, ut optima omnino ſit lectio MSS, quam ſprevit ipſe Marcilius, non ſolum cæteri omnes, *triſti munere ad inferias*, præſertim vero cum a verbo *priſco* ad alterum *inferias* [illegible] facias.

9 *Accipe* nempe *hæc*, ut [illegible] ſit *nunc tamen interea accipe hæc manantia fletu &c.* quæ cum dicit, flores, & alia in cineres mutos jacit Catullus. Leges tandem *have* cum aſpiraratone jubente ſcriptura, & monumento Romæ in ædibus Jo: Zabreræ Savonenſis ab Achille allato HAVE DOMINA. VALE DOMINA: Cic: *Majores nuſquam niſi in vocali aſpiratione utebantur*. *Vale* vero, & *have* verba ſunt ad tumulos, Virg. *Æternumque vale*.

AD CORNELIUM

1 Si quicquam tacito conmiſſum eſt fido ab amico,
2 Quojus ſit penitus nota fides animi,
3 Meque eſſe invenies illorum jure ſacratum,
4 Corneli, & factum me puta Harpocratem.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Si quicquam &c.* In hoc tetraſticho poeta Cornelio fidem ſuam, & ſilentium promittit. Cornelius autem Nepos, de quo ſuperius *quoi dono lepidum novum libellum -- Corneli, tibi*. Leges vero *tacito* lectionem omnium MSS Achille, & Marcilio teſte, ut *tacite* vel *quotquam tacitum* vel *taciti* fuganda ſint, non quia *tacitus* & *tacitum* pro eo, qui tacet, vel pro re, quæ tacetur, accipi non poſſit. Nam & active, & paſſive ſumitur, Ovid. *Taciti vulgator*, & Virg. *quis tacitum te Coſse relinquat*, Cic. *me tacito intelligetis*, Sed quia adulterina, & nullo in libro ſcripto. leges etiam *fido ab* liquide in noſtro, non *ſub fide* cum Marcilio, quia in aliis memb. *fido ſub amico*. Dura enim eſſet repetitio *nota fides*, & *ſub fide*. Leges
3 etiam, ex Cod. noſtro, & Mediol. & ex aliis omnibus *meque* nullo excepto Scaligero, Voſſio, & Marciliæ teſtibus, *que* pro *quoque* ut alio loco, & Virgilius *famulamquo*, Plinius *poſteroque die*, in uno tamen *atque* vitioſum, unde Achilles *me quem* vel *aut quem*, Avantius *me unum*, Voſſius *nec aque*, fictitia, & nulla. *Illorum* ſcilicet amicorum, qui tacent. Alludit enim ad ſuperiora *Si quicquam tacito*, non ad Ægyptios, qui Harpocratem colebant ex commento Vulpii longe petito. *Sacratum* vero, quia amicitia vera eſt quoddam ſacrum, Cic. *Amicitia eſt divinarum, humanarumque rerum conſenſio*, poeta *ſancta fedus amicitiæ*; Ovid. *Illud amicitiæ ſanctum, & venerabile nomen*. Non igitur eſt μεταφορά a re militari, ut ſomniat Muretus, quem fere omnes ſecuti ſunt. Peccatum autem maximum eſt, arcana diſſeminare, Hor. *Quid faciam ſi furtum fecerit, aut Prodiderit commiſſa fide*, alio loco *commiſſa tacere qui nequit hic niger eſt*. Leges *me puta Harpocratem*. Nam *eſſe* ſecundo loco commentitium eſt, & nullo in MSS; negligit enim Catullus de more [illegible] in verbo *puta* ultima correpta, ut in *commoda* ſuperius, & alibi. *Harpocratem tandem* deum ſilentii in honeſto ſenſu, quem ſuperius in obſceno uſurpavit ibi *patruum rediddit Harpocratem*.

AD SILONEM

1 Aut ſodes mihi redde tuo ſeſtertia, Silo,
2 Deinde eſto quamvis ſævus, & indomitus.
3 Aut, ſi te nimium delectant, deſine quæſo,
4 Leno eſſe, atque idem ſævus, & indomitus.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Aut ſodes &c.* In hoc tetraſticho poeta avaritiæ, & ſuperbiæ arguit Silonem lenonem, ut patet ex illis verbis *leno eſſe*. Cave enim grammaticum facias, quem fecit nonnihil inſulſe Parthenius. Lego autem contra omnes doctos, quos Vulpius ſecutus eſt, lectionem Codicis noſtri, & quorundam etiam Achille, & Faerno teſtibus *tuo* rectum h. e. amico tuo, Cic. *De tuis unus eſſet*; Ter. *Tuus eſt Chremes*, h. e. amicus. Amiculum enim fuiſſe colligo & ex lectione vera horum MSS *tuo*, & ex verbo *ſodes* deprecatorio amicis idoneo, Ter. *Rogitabam heus puer ſodes, quis &c.* Inane enim eſt *duo*, quod legit idem Faernus ex *tuo*, vitioſam vero puto, & inſulſam lectionem cæterorum MSS *decem*; Hæc enim immanis ſumma, ducenti quinquaginta nummi philippei, & rei, de qua agitur, inepta eſt, & præcipue Catullo, quem ſcimus pecunioſum non fuiſſe.
3 *Aut ſi te nimium &c.* Ita habet noſter liber ſcriptus, & alii quoque Achille teſte, excepto tamen Patavino, in quo *At ſi*, vicioſum, & importunum cum ſuperius dictum ſit *aut ſodes*; in quibuſdam etiam legitur *nummi*, ſed & hoc puto vitioſum, quia minus elegans. *Nimium* enim avaritiam Silonis falſius deſcribit, qui pecuniam acceperat hac conditione, ut puerum, puellulamve ei amandam daret.
4 *Leno eſſe*, quia non erit amplius ſæuus, & indomitus, cum leno deſinat eſſe; cur? quia lenones omnes ſunt ſævi, peſſimique, en Plaut. *Injuſtitiam lenonum expromere*; alio loco *Fraudis, ſceleris, parricidii, perjurii plenus -- Legirupa, impudens, verbo abſolvam, leno eſt.* Donat igitur ſeſtertia Siloni hoc pacto, ne porro artem lenoniam exerceat; Nam tum non erit amplius ſævus, & indomitus. Lenones autem pueros, puellulaſque emebant, alebant, vendebant, proſtituebantque, Mart. *Emiſti, Labiene, tres cinædos*; alibi *millia pro puero centum me mango pposcit.*

AD SILONEM

Credis me potuiſſe meæ maledicere vitæ,
Ambobus mihi quæ carior eſt oculis?
Non potui, nec, ſi poſſem, tam perdite amarem,
Sed tu cum Tappone omnia monſtra facis.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Credis &c.* In hoc tetraſticho poeta ſe ut durum hominem accuſatum egregie defendit. Puto autem epigramma ſcriptum ad Silonem ex verbo *monſtra*, quod duritiem, & injuſtitiam importat, de qua Plaut. ſuprac. *Injuſtitiam lenonum expromere &c.* Non enim æmulum alloquitur, ut credit Parthenius, in quem reclamat verſus *ſed tu cum Tappone omnia monſtra facis*. Hic enim amabat puerum Tapponem, nihil rei cum Lesbia habebat. Cęteri critici, quos Vulpius ſecutus eſt, ſunt in tuto. Nam nihil quaſi percuſsi ſidere dicunt. Leges vero *maledicere*, ut habent omnes libri ſcripti etiam Scaligero teſte, qui tamen temere maluit *valedicere* ſpurium, & ineptum. Nam Catullus valedixit Lesbiæ ibi *Vale puella, jam Catullus obdurat*; alibi *Cum ſuis vivat, valeatque mœchis* igitur poeta non poterat negare, ſe valedixiſſe. Porro *Vita* ſcilicet Lesbiæ, de qua alio loco *qua viva vivere dulce mihi eſt*. Leges tandem lectionem optimam MSS omnium Achille teſte, Scaligeroque *Tappone*. Nam in libro ſcripto noſtro, & ejuſdem Scaligeri, & Maffei, & Zanchi, & Achillis Achille eodem teſte ſine litura *cum Tappone*, at in Patavino *cum tripone*, et in duobus, quos vidit Voſſius *cuncta pone*, vel *tuta pone*, vitioſa, quæ tamen ſervant veſtigium optimæ ſcripturæ *cum tapone*. Tappones enim familia Romæ, ut patet ex vet. Inſcr. Placentiæ ab Scaligero allata C. VALERIUS TAPPO, ut lectiones Achillis *cum turpi ore*, & Voſſi *Coponi*, & aliorum *caupone*,
4 quia inania, fictitia, & non Catulliana, ad cauponem divertere poſſint. Tandem *monſtra* (quod eſt in MSS non *omina noſtra*, vel *crimina noſtra* conficta a Voſſio) nihil habent obſceni, ut fruſtra putat Scaliger, quem ſecutus eſt Vulpius, cum agat Catullus de maledictis, & duritie hominis in puellam. Nam monſtrum eſt, quod fit contra naturam, quod autem eam contra, inhumanum eſt, igitur monſtra facere, eſt ita in puerum, puellamve ſævire, (de Silone ſupra *ſævus, & indomitus*) ut monſtra h. e. res crudeles contra humanam naturam facere videatur, quam hominum ſævitiam exprobrat merito Tibullus *Ah lapis eſt, ferrumque, ſuam quicumque puellam – Verberat, e cœlo deripit ille deos.*

IN MENTULAM

Mentula conatur Pipleum ſcindere montem,
Muſæ furcillis præcipitem eiiciunt.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Mentula &c.* In hoc diſticho poeta exagitat ſtupra Mamurræ, quem ideo ſemper vocat mentulam, ut aliis locis ſemel, iterum, ac tertio. Libri autem excuſſi, quos ſecutus eſt Vulpius, reiiciendi ſunt, quia nulli, & adulterini. Nam in MSS omnibus Voſſio teſte erat *Mentula conatur Piplæum ſcindere montem*, itaque in noſtro. Dicitur enim non ſolum *Pimpleus*, ſed & *Pipleus*, de quo mone lexicographos, ut & hanc vocem Catullianam in lexico reponant, ex græco *πίμπλημι*, & *ἐμπίμπλημι impleo*; *ſcindere* vero eſt in obſcenis non pro *divido*, ut temere putant idem lexicographi ſed *frango*, & *lacero*, quod mentulæ proprium eſt, poeta *rigida mea cecidi*, itaque explicandus Auct. obſc. *Furum ſcindere podices ſolebam*; Igitur lectio *Pimplæum ſcandere* ſi non fictitia, quam tamen certe puto ex ingenio vel librariorum, vel eruditulorum, ſaltem vitioſa eſt. Poeta enim quoties Mamurram nominavit, toties libidinoſum notavit, ut ibi *Ut iſta veſtra diffututa mentula &c.* alibi *Pulcre convenit improbis cinædis Mamurræ &c.* rurſum *mentula mœchatur &c.* alio loco *mentula magna minax*, ut ineptire videantur fere omnes docti, qui Mamurram pueris, puelliſque deditum hic poetam faciunt. Tandem *muſæ* dicit quia ſub earum nomine virgines deſignantur;
2 Ad *eiicere* Ho. *expellas furca, tamen uſque recurret*; Cic. *Sed quoniam furcilla extrudimur*; quod ex græcis eſt. Queritur enim Ariſtophanes, pacem ab Athenienſibus *δικράνοις* h. e. furcis expulſam, a *δὶς duo* & *κρανίον calvaria*, unde ortum italum *cranio*.

DE PUERO, ET PRÆCONE

Cum puero bello præconem qui videt, ipſe
Quid credat, niſi ſe vendere diſcupere?

NOTÆ CRITICÆ

1 *Cum puero &c.* In hoc diſticho poeta præconem quendam, & puerum notat. Leges autem recte *cum puero bello*, ut mutarunt recte docti. Nam in noſtro lib. ſcrip. *puero bello*, in aliis tamen omn. *obelio* ortum ex ſcripturæ vitio, poeta alio loco *Cum puero bello bella puella cubet*. Leges etiam jubente omn. vet. ſcrip *ipſe* Voſſio teſte, itaq; erat in Maffei libro Achille teſte, itaq; in noſtro, non *eſſe*, vel *ipſum* vitioſa, & commen-

2 commentitia, quę Vulpius ſecutus eſt. *to' ipſe* enim eſt ille ipſe, qui videt. *Quid credat* autem, etiam Licinius in Pompejum *Quid credat, hunc ſibi velle virum!* Jocus autem eſt in verbo *vendere*. Nam quiſque putat, puerum vendi, ſed revera ejus pudicitia, hinc nobis deſcribit poeta præconem lenonem puta Silouem, puerum vero cinædum puto Tapponem, de quibus ſupra *ſed tu cum Tappone omnia monſtra facis.*

AD LESBIAM

Si quìdquid cupido, optanti obtigit unquam,
  Imperanti, hoc eſt gratum animo proprie.
Quare hoc eſt gratum nobis quoque, carius auro,
  Quod te reſtituis, Lesbia, mi cupido.
Reſtituis cupido, atque inſperanti ipſa refers te
  Nobis, o lucem candidiore nota!
Quis me uno vivit felicior, aut magis me eſt
  Optandus vita, dicere quis poterit?

NOTÆ CRITICÆ

1 *Si quid quid &c.* In hoc octaſticho poeta Lesbiam reconciliatam alloquitur. Lego autem contra corruptores MSS, quos Vulpius ſecutus eſt, ut jubet om. vet. ſcript. Achille teſte *Si quid quid* rectum, non *quicquam*, vel *quiſquid* commentum eorum. Fuganda quoque eſt lectio doctorum *optantique*, & altera Voſſii *cupide*, & Marcilii *quidquam cupido mi*, & Avantii *& contigit unquam*, præſertim Vulpii *cupidoque*, *optantique, & inſperanti*, quia fictitia ex eorum ingenio poetico. Nam libri omnes ſcripti Voſſio teſte *cupido optanti*, *inſperanti*, itaque deſertim habebat noſter ſcriptus. Catullus enim, ut ſcitis, ſolet negligere συναλοιφὴν præſertim vero cum id poſtulet elegantia dicendi, ut omiſerit bell erecteq; conjunctionem copulativam ad majus amoris incendium, & lætitiam ſignificandam. Neque audiendus eſt Cod. Pat. in quo *obtulit*. Nam reclamant cæteri libri ſcripti, in quibus liquide *obtigit*, Cic. *Inſperanti mihi cecidii, ut &c.* Porro *hoc* nem-
2 pe *quid quid obtigit*, hoc proprie gratum animo eſt.
3 *Quare* optime coheret cum ſuperioribus contra Vulpium, cæteroſque, qui aliquid poſt primum diſtichum deeſſe putant. Senſus enim eſt *Si quid quid obtigit, gratum animo eſt, igitur hoc, quod te reſtituis, Lesbia, nobis quoque gratum eſt &c.* Cic. *Quare cum bellum neceſſarium ſit &c.* Interpunctio autem ponenda poſt verbum *quoque*. *Carius* vero *auro* quaſi abiit in proverbium, Tib. *Carior eſt auro juvenis, cui levia fulgent ora.* Leges etiam *nobis o lucem*, ut erat in omn. MSS Achille, & Scaligero teſte. Nam, quæ legebantur in quibuſdam *o mihi cura magis* adulterina ſunt, ut notarunt egregie docti; σύνταξις vero talis eſt *inſperanti nobis*, ut apud Ter. *abſente nobis*, & Tib. *Nobis inimica merenti*, quod non eſt ἀρχαῖον, ut putant Scaliger, gramaticique. Nam *nos* dicitur de uno, poeta, *nos mente maligna id facere*; alibi lepiſsimæ, & apud ſcriptores optimos ſexcentis in locis, vel hoc pacto, *Reſtituis cupido, atque inſperanti; ipſa refers te nobis.* Vulpius tamen auximus qui ex Cod. Pat. punctulum figit poſt *refers te* tollit duriuſcule elegantiam orationis, faten-
6 tur vel ſemidocti. *O lucem* igitur exclamatio lætantis, Ter. *O fauſtum, & felicem hunc diem!* Petr. *O felice, e lieto giorno!* tandem *candidiore*, qui felicia albo lapide ſignabant, Perſ. *Nunera meliore lapillo* ſ poeta *Quem lapide illa diem candiore notat.*
7 *Quis &c.* Hunc quoque verſum ſolito corrupere correctores, quos Vulpius doctiſſimus ſecutus eſt. Nam in MSS omnibus Achille, Voſſio, & Marcilio teſtibus *aut magis me eſt* nihil mutandum. Nam *s* in *magis* eliditur ἀρχαϊκῶς ut ibi *tu dabis ſupplicium*, negligitur vero in *me* συναλοιφὴ de more, ut *me eſſe*, vel *me eſſe*, vel *eſt me* ſpuria eſſe videantur. Ter. *Qus me vivit fortunatior, qui ex improviſo filiam inveni meam.* Leges & *optandus vita*, om. vet. ſcript. iiſdem citatis teſtibus, quam ſpreverunt Marcilius, Achilles, Avantius, & alii. Neque dubites de tribus ultimis, verſibus, qui in lepide ſuſpecti erunt Mureto ob eorum variam lectionem. Nam reapſe Catulliani ſunt, & conſtantem in MSS ſervaut ſcripturam, quam tamen mutavit audacia ineptorum, qui per fas, nefaſque eruditi videri volunt.

IN COMINIUM

Si, Comini, populi arbitrio tua cana ſenectus
Spurcata impuris moribus intereat;
Non equidem dubito, quin primum inimica bonorum
Lingua exſerta avido ſit data volturio.
Effoſſos oculos voret atro gurgite corvus,
Inteſtina canes, cætera membra lupi.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Comini &c.* In hoc hexaſticho poeta Cominio maledico, & impuro homini exitium precatur. Cominius autem fori rabula, ſenex maledicus, fortaſſe ſpoletinus, de quo Cicero *P: Cominium Spoletinum, quo accuſante &c.* vel illum, de quo ibidem Cic: pro Cor. & Clu. & Aſconius. Leges vero recte *Comini*
2 ita liquide in noſtro, in aliis tamen MSS *ſic homini* vel *horum* vitioſa, unde *Siconi* fictitium. Leges etiam *populi arbitrio*, non *arbitrio populi* cum Avantio, vel *populari* cum Voſſio, qui omittit *tua*. Nam in omn. MSS Achille teſte *populi arbitrio*, & in Gall. allato a Scaligero *popul' arbitrio*, unde recte *populi*
4 *arbitrio; ari* enim vitio ſcriptum a librario ex primis verbis *arbitrio*. Lego etiam contra doctiſſimum Vulpium, cæteroſque *exſerta*, ut habent omnia MSS Achille, & Voſſio teſte, non *execta* fictitium, quam exſertam dat volturio dicto a volando, vel *vultu*, quia vultum petit, quamquam apud Ovid. *Roſtro trahet ilia vultus*; vitioſa etiam eſt lectio in libris excuſſis *gutture*, quod tamen erat in uno, vel altero
5 libro ſcripto. Nam in noſtro, & in Patavino, & in aliis antiquioribus MSS erat *gurgite* Voſſio, & Achille teſte, quam lectionem probat verbum *voret*, quod de gurgite dicitur, non de gutture, hinc vorago translate pro homine gurgite, & helluone, Cic. *Gurges, & vorago patrimonii*, &c. alibi *Ille gurges, atque helluo &c. atro* porro non obſceno, vel infauſto, ut infeliciter docuit Voſſius, ſed revera nigro. Locus enim in gurgite niger, ex quo verbo iterum collige, legendum omnino eſſe *gurgite*, & ſane corvus edax, & helluo eſt, ad quem alludit, puto, Homerus ibi ὄσσε &c. *oculos aves crudivoræ evellent*. Deinde in-
6 teſtina dat canibus, Ovid. *Et ſcindent avidi perfida corda canes*, Hom. κύνες &c. *Canes diſtrahent*. Leges & *cætera* ex eod. lib. ſcript. noſtro, & aliis, non *extera*, ut erat vitioſum in uno, vel altero, quos vidit Voſſius. Exterus enim dicitur de extraneo, & advena proprie, & latine, non de parte exteriori, quod vidit etiam Vulpius, Hor. *Inſepulta membra different lupi*: Ovid. *ſive meo tingent ſanguine roſtra lupi*; quo loco per tranſennam noto *roſtrum* græce ῥύγχος, unde natum latinum *ringor*, de quo mone lexicographos, etymologoſque.

AD LESBIAM

Jucundum, mea vita, mihi proponis amorem
Nunc noſtrum inter nos, perpetuumque fore.
Dii magni, facite, ut vere promittere poſſit,
Atque id ſincere dicat, & ex animo.
Ut liceat nobis tota producere vita
Æternum hoc ſanctæ fœdus amicitiæ.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Jucundum &c.* In hoc hexaſticho poeta de ſincero Lesbiæ amore maxime lætatur. In gratiam enim redierat Catullus ibi *Siquid quid cupido &c.* Vocat vero vitam Lesbiam, ut ibi *Credis me potuiſſe mea maledicere vita*.

3 *Dii magni* majorum gentium nempe Venus, & Cupido, Prop. *Pacis Amor deus eſt*. Leges vero jubente omni vet. ſcript. Achille, & Voſſio teſte *producere vita æternum*, non *perducere vita alterum* ſpurium utrumque. Cic. *Ad centeſimum annum vitam produxiſſe*; Propertius vero ad rem *ſic nos vincire catena velles, ut nunquam ſolveret ulla dies*; L. de Med. *ma il noſtro dolce amor eterno ſia*. Tandem in quibuſdam libris ſcriptis erat *munus*, in aliis omnibus *fœdus*, at illud vitioſum, hoc Catullianum; fœdus enim dicitur vere de amicitia. Nam eſt a fide, hinc *fidus* pro *fœdus* apud Ennium, quare poeta *fido ab amico*; Cic. *Amorum federa &c.*

IN AUFILENAM

Aufilena, bonæ ſemper laudantur amicæ;
   Accipiunt pretium, quæ facere inſtituunt.
Tu quod promiſti mihi, quod mentita inimica es,
   Quod nec das, nec fers, ſæpe facis facinus.
Aut facere ingenuæ eſt, aut non promiſſe pudicæ,
   Aufilena, fuit; ſed data corripere
Fraudando, effecit pluſquam meretricis avaræ.
   Quæ ſeſe toto corpore proſtituit.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Aufilena &c.* In hoc octaſticho poeta Aufilenam proſcindit. Aufilena autem amica Quinctii, de qua ibi *Cælius Aufilenum, &c.* hæc promiſerat Catullo noctem, quam tamen mentita eſt, de quo merito queritur poeta; *bonæ* h. e. liberales, Tib. *At bona, quæ nec avara fuit*, de quo mone lexicographos. Male enim explicat Muretus ita *quæ nec corporis copiam faciunt &c.* reclamat enim τὸ *amica*, quod meretricem importat, Plaut. *Sive uxor eſt, ſive amica, gravida e Pamphilo eſt.*

2 *Pretium,* ſubaudi, earum rerum, quæ facere inſtituunt. *Facere* enim hic eſt κατ᾽ ἀκμὴν ſpectans ad multas res, non, ut credit Vulpius, tantum ad obſcena. *Promiſti* vero pro *promiſiſti*, de quo mone lexicographos. *Mentita* autem cum dicit, acrius invadit amicam. Perfidum enim eſt, mentiri, Prop. *Mentiri noctem, promiſſis ducere amantem -- Hoc erit infectas ſanguine habere manus.* Deinde leges ex omn. MSS Achille, Scaligeroque teſte *nec das, nec fers* rectum, quod Guarinus, quem Vulpius, cæterique ſecuti ſunt, injuria mutavit hoc pacto *nec das & fers* ſpurium, Mart. *Caſta facit, nec dat* ſcilicet *copiam* ſui; alibi, *Das nunquam, ſemper promittis, Galla*; *Nec fers* autem in eodem obſceno ſenſu. Nam ferre eſt corpore bajulare præſertim in re Veneris.

5 *Aut facere,* ſubaudi, quod promiſti mihi. Nihil enim habet obſceni, ut monuimus etiam ſuperius contra Vulpium verbo *facere inſtituunt*; Cic. *Eſt animi ingenui, cui debeas, eidem velle debere.* Leges autem *ſed data* ex om. vet. ſcriptura, quam Avantius laceravit ita more ſuo *non promiſſa ſedaba corripere*, quæ ſpuria
7 laceranda ſunt; Ovid. *nullis flectitur ille datis*; Prop. *Nullis capta Licina datis.* Lego porro contra omnes libros excuſſos, quos Vulpius ſecutus eſt, *effecit*, ut erat fere in omnibus MSS, Scaligero, Achille, & Voſſio teſtibus, in quibuſdam tamen *efficit*, & *effexit* vitioſa, unde idem Voſſius *effexti*, alii *efficitur*, Marcilius *officium* nulla, quia adulterina, cum *effecit* aureum ſit. Sermo enim eſt non ad Aufilenam, ſed ad quamvis aliam ne illam, omnino irritet; ita alio loco *ſuccumbere fas eſt*, ut ſenſus ſit, *ſed qui corripuit data, effecit*
8 *&c.* quo loco per tranſennam noto, verbum *proſtituo* non dictum eſſe a *pro* h. e. ante, & *ſtatuo*, quod inſulſum eſt, ſed a *pro* h. e. ante, & *oſtium*, ita *proſto* non a *pro* & *ſto*, ſed a *pro* & *oſtium*. Nam meretrices, & proſtibula fere ſemper ante januam ſedebant, non ſtabant, en Ovid: *Proſtat, & in quæſtu pro meretrice ſedet*, de quo mone lexicographos, ethymologoſque.

IN AUFILENAM

Aufilena, viro contentas vivere ſolo, eſt
   Nuptarum laus e laudibus eximiis.
Sed quoivis quamvis potius ſucumbere fas eſt,
   Quam matrem fratres efficere ex patruo.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Aufilena &c.* In hac tetraſticho poeta Aufilenæ inceſtum perſequitur. Lego autem ex fide libri noſtri ſcripti, *contentas vivere ſolo eſt. Nuptarum laus e laudibus eximiis*, hinc in MSS Scaligeri *contenta eſt*,
3 & in tribus Achillis *laus e laudibus*; nam *eſt* certam ſedem non habet; Vitioſus quoque hic eſt liber Voſsii *par eſt*. Nam in aliis *fas eſt*, & etiam *quovis quamvis* pro *quantumvis*, tamen in MSS ejuſdem Voſsii deeſt *quamvis*, ut locum vitioſum plane eſſe colligamus. *Quam matrem* tandem cum dicit, palam facit inceſtum Aufilenæ, quæ ſuccumbebat patruo, unde filii h. e. fratres patrueles naſcebantur.

IN NASONEM

Multus homo es, Naſo, non tecum; multus homo eſt, qui
   Deſcendit; Naſo, multus es, & pathicus.

NOTÆ CRITICÆ

a *Multus &c.* In hoc diſtichopoeta Naſonem impudiciſsimum carpit. Errant autem omnes docti, quos Vulpius ſecutus eſt, & in lectione, & in ſenſu, quæ duo ne Scaliger quidem ipſe, qui credit punctum omne tuliſſe, naſo olfecit ſuo: legit enim *multus homo eſt naſo*, (*nam tecum multus homo es*) *qui etc.* & de aretalogo ſomniat, & *tecum* te judice interpretatur; lectionem hanc adulterinam amplexus eſt Vulpius, qui tamen aliter ſentit: Nam Naſonem hominem glorioſum, & ineptum interrogat, utrum cinædus, qui ſe inclinat, multus appellari debeat? nequicquam. Marcilius *multus* pro *moltus*, & *molitus* inſipide, cum ſtatim *pathicus* ſit; Achilles ſervat veterem ſcripturam, ſed *multus* corpulentem intelligit; Voſsius illum, qui turbam reddit in uno; quid Salmaſius? *φορτον bajulum*; alii alia, quæ non eſt operæ pretium enarrare, plane nulla, quia inſulſa, & orta ex corrupta ſcriptura, contra quos; primum accipe lectionem MSS, deinde interpretationem. Igitur in omni libro ſcripto, & noſtro, & Scaligeri, & in tribus Achillis, & in his, quos vidit Voſsius ita legebatur

Multus homo es, Naſo, non tecum, multus homo eſt, qui
Deſcendit, Naſo multus es, & pathicus.

Differunt tamen citatæ membranæ in eo tantum, quod in noſtro *non tum*, in aliis *neque cecum* c pro t ſæpe vitio librariorum, quod docti ultro fatentur, in altero Scaligeri *nam tecum* vitioſum pro *non*, hinc in Patavino quoque *non tecum*, in nonnullis autem *qua* pro *qui*, quod erat liquide in noſtro; nam ſcribebant *Luce* pro *luci*, & alia. Venio ad ſenſum, in quo a cæteris diſſentio. Poeta enim jocatur in ſtatura longa Naſonis cinædi hoc pacto *multus homo es*, h. e. longus es, Cic. *multus ſermo ad multam diem*; Ovid. *Tu quia tam longa es, veteres Heroidas aquas - Et potes in toto multa jacere toro*, ex græcis nam πολλυς *multus* & *longus*, quare Hom. πολλὸς &c. *multus enim jacebat extenſus hinc, atque illinc*, unde πλεονέκτω *plus habeo*, quia, qui longi ſtatura ſunt, plus corporis habent, quam cæteri; perge: *Naſo* homo quidam cinædus impudicus, ut patet ex verbis obſcenis *tecum*, *deſcendit*, *pathicus*, non ille, ut fruſtra putat Vulpius, de quo Cicero *vir ornatiſſimus*, quæ verba in Naſonem cinædum hunc noſtrum non cadunt; propera: *Non tecum* h. e. non cum voras te capite demiſſo, ut hic Naſonem fellatorem notet. Tecum enim res agitur, cum tete fellas, voraſque, Cic: *Occultantem ſe capite demiſſo*. Porro *multus* (ſubaudi *enim*) *homo eſt*, *qui deſcendit*
2 h. e. longus eſt revera, qui deſcendit, & pædicatur. Deſcendere enim eſt in obſcenis, de quo mone lexicographos, Juu. *Ad terram tremulo deſcendunt clune puella*; alibi *Quot diſcipulos inclinet Amillus*; Tandem *Naſo multus es, et pathicus* h. e. igitur tu, qui deſcendere ſoles, multus es, & pathicus; In Patavino Cod. erat *pacicus* vitioſum *c* pro *t*, & *e* pro *c* negligentia librarii, in aliis omn. liquide *pathicus*.

AD CINNAM

1 Conſule Pompejo primum duo, Cinna, ſolebant
2 Mœchi, illo, a, facto Conſule nunc iterum
3 Manſerunt duo, ſed creverunt millia in unum
4 Singulum, fœcundum ſemen adulterio

NOTÆ CRITICÆ

1 *Conſule &c.* In hoc tetraſticho poeta Cinnæ amico tacite narrat primum Clodii, & Cæſaris, tum Mamurræ, & ejuſdem Cæſaris, tandem Romanorum omnium adulteria. Cinna autem Catulli ſodalis, de quo alio loco *Meus ſodalis Cinna eſt Cajus*; *duo* igitur cum dicit, intelligit fortaſſe Clodium, & Cæſarem, niſi forte reclamet ratio temporum. Codius enim Pompejum amavit, & muliebri habitu ſe in domum Cæſaris intruſit, de quo Cic. *P. Clodium te credo audiſſe cum veſte muliebri deprenſum domi C. Cæſaris*, & Juu. *Clodius accuſet mæchos*; Cæſar autem Murciam Pompei conjugem in feſto Bonæ deæ, de quo Suet. *Urbani ſervate uxores, mæchum calvum adducimus*. Deinde *ſolebant*, ſubaudi, ſubagitare uxores alienas. Tacent enim obſcena ſæpe poetæ modeſtiæ cauſa, ita Palut. *Sapit veſte id, qui eſtis*; Lectio autem *ſolebant* erat in omn. MSS Achille, & Scaligero teſte, non *ſedebant* commentitium in quibuſdam excuſſis.
2 *Mœchi &c.* in noſtro *Machillo a facto conſule*, in tribus Achillis *machillia facto conſule*, in Gallicano *Mach' ill' a facto conſule*, ut Codex, quem affert Voſſius *Cecilio facto conſule*, vitioſus revera ſit. Nam & reclamant cæteri libri ſcripti, & etiam *duo*, quod abſolute ſtare nequit; vitioſiora tamen ſunt, nec ferenda, quæ leguntur in excuſſis *machilli*, vel *machallia*, vel *mechillia*, ita & *illi* pro *illo*; Nam *illi* poſtulat præmiſſa nomina mæchorum, *illo* autem nomen Pompei, quod extat; *a* vero pro *ah* ſine aſpiratione interiectio dolentis, ut præſeferunt ſemper membranæ, & etiam vetera monumenta; *facto conſule nunc iterum*; Primo enim Pompejus cum L. Craſſo divite, deinde cum eod. L. Craſſo idem Pompejus Conſul factus eſt.
3 *Manſerunt duo* nempe Mamurra, & Cæſar, de quibus ſuperius poeta *Rivales ſocii puellularum*, & de
4 Mamurra præſertim *ille perambulabit omnium cubilia*? Leges tandem *ſingulum* lectionem libri noſtri ſcripti, & Scaligeri, & Patavini, & cæterorum, non *ſingula* fortaſſe unius tantum membranæ Marcilii non ſolum vitioſum *a* pro *u*, ut vidimus ſæpe, ſed etiam inoportunum, quod Vulpius ſecutus eſt. Nam millia nata ſunt ex uno ſingulo mæcho, Plaut. *Singulum video veſtigium*. Exteritur enim media, ut in *aurunculeia* ſuperius, quanquam puto, non ſolum ſemivocalem *i* elidi ſequente conſonanti, ut apud Ennium, Catullum, & alios ſæpe, ſed etiam liquidas *m*, *r*, ut collegi ſuperius ex lectione membranarum *meditare quærunt*, unde *meditarie quarunt*, & ex hoc loco *ſingulum*. Nam erat *ſingulu*, hinc in membranis Marcilii *ſingula* *u* & *a* invicem in MSS.

IN MENTULAM

Firmanus ſaltus non falſo Mentula dives
Fertur, qui quot res in ſe habet egregias!
Aucupia omne genus, piſcis, prata, arua, feraſque,
Nequidquam, fructus ſumtibus exſuperet.
Quare concedo ſit dives, dum omnia deſint,
Saltum laudemus, dummodo ipſe egeat.

NOTÆ CRITICÆ

Firmanus &c. In hoc hexaſticho poeta ſaltum Mamurræ falſe laudat. *Mentula* enim cum dicit, ſemper Mamurram notat, vel ob ejus libidines, vel priapum ingentem. Lego autem contra omnes doctos, quos Vulpius ſecutus eſt, *Firmanus ſaltus* in noſtro ſcripto, in aliis omnibus Achille, & Scaligero teſte *Firmanus Salius*, & *ſalvus*, in altero Voſſii *Firmano ſaltu*, quam lectionem amplexus eſt Aldus perperam, cum reclament cæteri codices, in quibus *Firmanus*, quod qui mutavit, operam perdidit. Nam Catullus lepide jocatur in verbo *Firmanus*. Licet enim eſſet Formianus Mamurra, tamen, cum ſaltum haberet in agro Firmano, eum lepide vocat Firmanum, ut σύνταξις ſit *Firmanus Mentula non falſo fertur dives ſaluts, qui quot res &c.* Virg. *Dives opum variarum*. Quod autem ſaltus fuerit in agro Firmano, teſtis eſt & conſtans omnis vetus ſcriptura, & res ipſæ nempe aucupia, piſces, paludes, maria, quæ Firmanæ Coloniæ potius, (ut mecum facit etiam Voſſius) quam Formianæ conveniunt. Lectio igitur *Formianus* Formias fuganda eſt, quia ex ingenio Scaligeri, qui totum pene hoc hexaſtichum laceravit.

2 Leges etiam *quot res* cum admiratione, ita erat in omnibus MSS, Achille, & Scaligero teſte, ut *tot res*, quod legebatur, fictitium ſit; res autem egregias habebat ipſe ſaltus in ſe. In libro tamen Scaligeri *qua quot*, *qua* pro *qui* ſæpe in MSS. ita ſuperius *multus homoque - deſcendit* pro *qui deſcedit*. Nota porro, verbum *egregius* fere ſemper ἐπαινετικῶς uſurpari, poeta *Egregium narras mira pietate parentem*; Virg. *Egregiam vero laudem, & ſpolia ampla refertis*; alibi *Egregium Veneris genus*, de quo mone lexicographos.

3 *Aucupia*, ita habebant omn. lib. ſcripti Achille teſte. *Omne genus* autem abſolute dicebant veteres inſtar adverbii pro *omnis generis*, hinc natum *omnigenus*, en Varro *Seminaria omne genus ut ſerantur*, & Au. Gellius allatus a Vulpio *Elegantiarum omne genus referti*, de quo mone lexicographos. Cave enim tu facias *omne genus piſcis* cum Achille; Nam *Piſcis* ἀρχαϊκῶς pro *piſces* jubente vet. ſcriptura. Legendum porro eſt etiam *nequiquam* pro *nequidquam*, ita dicitur *quicquam* pro *quidquam*. Nam *d* pro *c* viciſſim apud veteres; ita *illuc* pro *illud*. In noſtro enim, & in his, quos vidit Achilles, & in aliis etiam omnibus Voſſio teſte erat *nequidquam* h. e. fruſtra. Neque auſcultes commentum Scaligeri, quem ſecutus eſt Vulpius, *exſuperas*. Nam in MSS omnibus Voſſio, Achille, eodemque Scaligero teſtibus *exſuperet*, quod non eſt mutandum, cum κατ᾽ ἔλλειψιν dictum ſit, ut mecum probat & Voſſius. Subintelligitur enim *ſi* vel *cum*, quæ aliquando in oratione omittuntur.

5 *Quare &c.* Etiam hoc ultimum diſtichum & corrumpit, & explicat prave Scaliger, a quo Vulpius ne digitum diſcedit. Nam τὸ *dives* ad ſaltum refert, cum ad Mammuram referri debeat, qui ipſe dives erat ſaltus, vel eſſe videbatur: Inepta enim eſſent illa *dum omnia deſint*, quæ non in ſaltum, qui jam in ſe habebat res egregias, ſed in Mentulam h. e. Mamurram maxime cadunt, quem Catullus nobis deſcripſit toties nepotem, decoctoremque ibi ad Cæſarem *Paterna primum lancinata ſunt bona, deinde præda pontica, inde tertia Ibera*. Leges tandem lectionem om. MSS nullo excepto, Achille, Scaligeroque teſte *dum modo* non *tamen*, quæ legebatur, adulterinam. Negligitur enim συναλοιφὴ, ut ſolet ſexcentis in locis Catullus. Leges & *egeat* ex MSS Criticis teſtibus contra audaciam Avantii legentis *egeas*, quod ſpurium amplexus eſt Scaliger, ut locum habere poſſit ejus peſſima interpretatio in primum verſiculum.

IN MENTULAM

Mentula habet inſtar triginta jugera prati,
Quadraginta arui, cætera ſunt maria.
Quur non divitiis Cræſum ſuperare potis ſit,
Uno qui in ſaltu tot modo poſſideat,
Prata, arua, ingentes ſilvas, ſaltuſque, paludeſque
Uſque ad hyperboreos, & mare oceanum?
Omnia magna hæc ſunt, tamen ipſe eſt maximus ultor,
Non homo, ſed vero mentula magna minax.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Mentula &c.* In hoc octaſticho poeta laudat ſaltum, & divitias Mamurræ, ut ejus vitia clarius innoteſcant. Mentula autem eſt idem Mamurra, de quo ſupra *Firmanus ſaltus non falſo Mentula dives fertur.* Leges vero *inſtar*, ut erat in omnibus MSS Achille teſte, non *juſta*, quia fictitia eſt, & ſalis nullius, *bet* vero in *habet* longum gratia cæſuræ, ut ſupra *Tum Thetis humanos non deſpexit Hymenæos*; Virg. *Tityrus hinc aberat, ipſæ te Tityre pinus*, & alii ſæpiſſime, in quo primo verſu Vulpius, cæterique omnes aberrarunt a mente Catulli. Nam *inſtar prati* non dictum eſt, quaſi jugera nil niſi fænum habeant, ſed ita ut jugera prati ſint prata ipſa, ut clare patet infra *Prata, arva &c.* & ex Cic. *Jugera L prati Caſius te irrigaturum arbitrabatur*. *Extera* quoque, quod erat in libro Zanchi, vitioſum, & inelegans. Nam in aliis omnibus ſcriptis antiq. *cætera* Achille, & Scaligero & Voſſio teſte. *Maria* autem ne explices res miras, vel ingentes opes cum eodem Voſſio, Turnebo, Scaligeroque, qui non in mari, & aqua, ſed in aere piſcantur. Nam in ſua prima notione accipienda ſunt, ut patet ex tertio verſiculo ſuperiori *piſces*, & ex quinto hic *paludeſque* Cætera enim erant aquæ tanquam maria nempe paludes, ſtagna, piſcinæ, in quibus ad delitiam Mamurra piſcabatur, Suet. *Stagnum maris inſtar.*

3 *Crœſum* ita conſtans eſt ſcriptura in libris omnibus, & liquida, & vera, ut facetia ſit dubitare, Cræſumne, an Craſſum ſcripſerit Catullus. Cræſus enim Lydorum rex omnium mortalium ditiſſimus fuit, ut habemus ex Plut. in vita Solonis. Jocantur autem omnes docti in lectione vitioſa *tot moda*, quam Vulpius ſecutus eſt. Scaliger enim ait ut *omnimodum*, ſic *totmodum* dici poſſe, Vulpius *totmoda* pro *totcomoda* ut *ſodes* pro *ſiaudes*, *cauneas* pro *cave ne eas*, quod tamen hoc ultimum fuit in ore cujuſdam plebæi, en Cic. *Quidam in portu cauneas clamitabat, quaſi cave ne eas.* utrumque igitur ex conjectura, præſertim cum Codices meliores, antiquioreſque reclament, noſter, & Zanchi, & aliorum etiam Achille teſte, in quibus *tot modo*, quod rectiſſimum eſt, nempe in ſaltu modo uno, pro *tantum*, vel *ſolum* tot nempe res egregias, quas deinde enumerat, poſſideat. Multo minus legas *bona*, quod adulterinum eſt ex ingenio malorum doctorum.

5 *Saltuſque* ſunt loca in ſilvis denſiora, ut definivit Feſtus, hinc Plaut. pro pudendo muliebri uſurpavit, *ſaltu* vero ſuperius eſt pro ingenti poſſeſſione, ut ſaltus in ſaltu eſſe poſſit. *uſque ad hyperboreos* autem dictum eſt ὑπερβολικῶς ad ſpatium ingens ſignificandum. Leges tandem & *mare oceanum* ut negligatur ταυτολογίᾳ. Nam *ad* ſecundo loco deeſt in noſtro libro, & Patavino, & aliis.

7 *Omnia &c.* Hoc quoque diſtichon docti præcipue Voſſius, & Scaliger perverterunt Catullo exploſo. In locum enim verbi *ultor*, quod erat in om. vet. ſcript. eodem Voſſio, Scaligero, & Achille teſte, ſuſtituerat *luſtro*, & *ultro*, alii *maxima & ultra*, Avantius *horum* fictitii omnia, nonnulla inepta, & Catullo contraria. *Ultor* enim eſt ad rem noſtram accomodatiſſimum, hinc ait ſtatim poeta *mentula magna minax*. Nam ulciſcitur homo mentula ſua, quare Catullus alio loco *pro telo rigida mea cecidi*, quaſi ultus ſum; alibi *tuoque pene infeſto pueris bonis, maliſque*, ſi infeſtus, ergo ultor, ut nihil aliud faciat poeta, niſi deſcribat Mamurram hominem libidinoſiſſimum, qui ſua omnia in meretricibus conſumpſerit; Virgilius autem citatus ab Achille, quem ſecutus eſt Vulpius, de Hercule loquens ibi *Nam maximus ultor, ſpoliiſque ſuperbus Alcides aderat* eſt in honeſto ſenſu explicandus, non turpi, ut Catullus hoc loci. Leges etiam *ipſe maximus* ex libro Scaligeri, & noſtro ſcripto, licet in aliis omnibus Achille teſte *ipſe ſi maximus*, *ſi* pro *eſt* inſcitia librariorum. Nam *e* quod, deeſt, in verbo *ipſe*, *i* autem pro *e* ſæpe vitio ſcripturæ. Leges tan-
8 dem, ut erat in omn. MSS nullo excepto, Achille, & Scaligero teſte, *ſed vero mentula magna minax* non *vere*, & *nimis* commentitia criticorum, præſertim Avantii ſigniferi corruptorum. *Minax* enim eſt verbum priapejum, Auct. obſc. *Inguinibus puero, prædoni falce minatur*; alibi *falce minax, & parte tui majore Priape*; poeta *tuoque pene infeſto pueris*, de quo mone lexicographos; non enim cum Scaligero *minax* accipias pro glorioſo, & extollente ſua ex Phædr. *Qui magna cum mineris, extricas nihil.* Repugnant enim ſenſus, & verba ipſa *ultor*, *mentula magna*, & citatus Auct. obſc. ut non homo videretur Mamurra, ſed mentula, vel quia mentulatus, vel quia libidinoſiſſimus, Cicero habet ſimile genus orationis *Metellus non homo, ſed litus, & aer, & ſolitudo mera,* quo loco per tranſennam noto vocem *minax* natam ex græco μῆνις *ira*. Nam qui minantur, irati ſunt, de quo mone etymologos.

AD GELLIUM

Sæpe tibi ſtudioſo animo venante requirens
  Carmina uti poſſem mittere Battiadæ,
Qui te lenirem nobis, neu conarere,
  Telis infeſta mi icere muſca caput.
Hunc video mihi nunc fruſtra ſumtum eſſe laborem,
  Gelli, nec noſtras hinc valuiſſe preces.
Contra nos tela iſta tua evitamus amictu,
  At fixus noſtris tu dabis ſupplicium.

NOTÆ CRITICÆ

1 *Sæpe &c.* In hoc octaſticho poeta Gellio minitatur jambos. Gellius autem ille, de quo ſuperius *Quid*

PA
6274
.A2
1738
c. 1

dicam Gelli &c. & alio loco. Lego autem *venante requirens*. Nam Catullus ſtudioſe venabatur car-
mina Callimachi, quæ Gellio mittere poſſet, & ſane in omn. MSS Achille teſte *venante requires*, in lib.
2 Scaligeri *veniam dare queres* vitioſa, quæ Vulpius ſecutus eſt *Battiada* nempe Callimachi dicti a Batto
rege Cyrenarum, ita Ovid. *Battiades devovet Ibin.*
3 *Qui te lenirem* optimum in MSS omnibus Achille teſte, quod tamen critici omnes ſolito mutarunt, ut
ſpuria *quis*, vel *queis*, quæ puto Vulpius ſecutus eſt, nobis imponerent. *Qui* enim in ablativo ſingulari eſt
omnis generis, ut ſit pro *quo* ſcilicet Battiade, Plaut. *Reſtim volo mihi emere, qui me faciam penſilem*,
quod notarunt etiam lexicographi; vel *qui* eſt ipſe Catullus, qui ſtudebat lenire Gellium inter quos Sca-
liges *infeſto mi*, Marcilius Lego etiam contra doſtos, quos Vulpius ſecutus eſt, *Telis infeſta mi icere muſca ca-
put*. Nam in noſtro ſcripto *Telis infeſta miicere muſca caput*, & in Mediol. *Hui infeſta* . . . . . & in aliis
Achilles *Telis infeſta mic teremuſque caput*, in Cod. Scaligeri *Telis infeſtum icere*, *u* pro *a* ſæpe in MSS,
ut ſit *infeſtu* pro *infeſta*, in membranis Marcilii *Telis infeſtum mittere muſque Caput*, *t* pro *c* & vice
verſa ſæpe vitio librariorum, ut vitioſiſsima ſit lectio a Voſsio allata *Infeſta in noſtrum mittere tela caput*
interpolata ab aliquo ſciolo librario, quæ tamen ſervat veſtigium optimarum fere omnium membranarum
infeſta; unde ita legas neceſſe eſt *Telis infeſta mi icere muſca*, *a* in *infeſta* longa gratia cæſuræ, ut apud Virg.
Clamâſſent ut litus Hyla, Hyla omne ſonaret; & *Muſca* de homine moleſto dicitur, qualis erat Gellius in
6 Catullum, hinc Cic. *Puer abige muſcas*. *Preces* non diræ, ut credit Vulpius, ſed revera obſecrationes.
7 Nam Catullus lenire volebat Gellium & precibus & Callimachi carminibus. Leges autem *Evitamus
amictu* ita ex libro noſtro, & aliis, licet in his, quos vidit Voſsius *Evitabimus amica* vitioſa, unde ille
Evitabimus hamis inania, Amictus autem ab *an*, & *jacio* non eſt quaſi pallium, ſed pallium ipſum, de
8 quo mone lexicographos, Cic. *Sed pallium, quo amictus eſſet, ſe confeciſſe &c.* Leges tandem cum vet. lib.
ſcript. Scaligeri, & noſtro *At fixus* non *affixus*. Poſtremo nota, rogo te, *φράσω dabis ſupplicium*.
Dare enim eſt luere, ita pænas *dare* apud Ciceronem, ut fruſtra Vulpius attulerit Plautum *Dabis ei ultro ſup-
plicium*, idem dixit Terentius Eunuco. Dare enim apud cit. comicos eſt infligere, hic autem luere; *ſ* ve-
ro in *dabis* eliditur ἀρχαϊκῶς, ita Ennius *Egrègie cordatus homo catus Ælius Sextus*, ita etiam Manilius,
& alii ex græcis, Hom. πολύφημε κερώνη.

FINIS.

Errata corrige
poſſit non *poſſent*
cætera ſive latina, ſive græca æqui, bonique fac

NOI REFFORMATORI

Dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per la Fede di Reviſione, & approbazione del P. F. *Paolo Tomaſo Manuelli Inquiſitore* nel Libro Intitolato *Caij Valerii Catulli ec.* non v' eſſer cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro; niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concedemo Licenza a D. Agoſtino Savioli Stampatore, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl' ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, & di Padova.

Dat. 17. Maggio 1738.

(Gio: Franceſco Moroſini Kav. Reff.
(Pietro Grimani Kav. Proc. Reff.
(

Agoſtino Gadaldini Segretario.

1738. 20. Maggio Regiſtrato nel Mag. Eccell. contro la Beſtemmia.

Vettor Gradenigo Segr.

7138282
09JY18